CANONICA ECCLESIIS VIDUATIS PROVIDENDI METHODUS EX...

Georg Fasel, Werner Vitzer, Heinrich Burgck, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 A
34

, 692,

M

13-23, 6, 49

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex Libris Fr. Hyacinthi à S. Joe Bapt. Carm. Germaniæ inferioris 1716

CANONICA ECCLESIIS VIDUATIS

biblioth. S. M. providendi Transpontina

METHODUS 1725

Ex Tridentini Decretis, Pontificum Conſtitutionibus, Cardinalium Declarationibus, Juris utriuſque auctoritate

CONCINNATA,

Veterum & Recentiorum Doctorum, tam in Curia Romana, quàm aliis Dicaſteriis Practicorum aſſertionibus

DILUCIDATA,

Per Quæſtiones omnem de Electionibus materiam complectentes ad præſentem temporis ſtatum

ACCOMMODATA,

Atque in percelebri Ilbenſtadienſi Abbatia Sacri & Canonici Ordinis Præmonſtratenſis publicæ Diſputationi PROPOSITA,

PRÆS. R. P. GEORGIO FASEL,

Ord. Præmonſt. in Cella DEI Super. Profeſſ. SS. Theol. D. Ejuſque & Sacror. Canon. Ilbenſt. Lectore emerito,

Defendentibus Venerabilibus & Religioſis,

F. WERNERO VITZER,

F. HENRICO BURGCK,

F. OTTONE WALLAW,

SS. Theol. & Jur. Canon. Emeritis, Ilbenſt. Prof. Presbyt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ,

Impenſis JOANN. EVERHARDI FROMART, 17

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO,
PERILLUSTRI,
ET
PERQUAM GRATIOSO
DOMINO,

D. JOANNI BERNARDO

DEI ET APOSTOLICÆ
SEDIS GRATIA

EPISCOPO
CHRYSOPOLITANO,

Reverendiſſimi & Celſiſſimi

PRINCIPIS
HERBIPOLENSIS
In Pontificalibus
SUFFRAGANEO,
& CONSILIARIO INTIMO,
CONSISTORII ECCLESIASTICI
PRÆSIDI, JURIUM DOCTORI, INSIGNIS
ECCLESIÆ COLLEGIATÆ AD SS. JOANNEM BAPTISTAM ET EVANGELISTAM
IN HAUGIS
CANONICO CAPITULARI.

Domino ac Mœcenati Perquàm Gratioſo.

Digitized by Google

REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS ET PERQUAM GRATIOSE DOMINE.

Victorioſam populi Iſraëlitici Reſtauratricem Juditham contra Holofernem proceſſuram inter cœteros corporis ornatus aſſumpſiſſe *Lilia*, ſacrâ referente paginâ credimus. (a) Poſt emenſum Ilbenſtadii Studiorum Stadium ad

(a) Judith. 10. v. 3.

Digitized by Google

ad publicum prodire præ-
lium, Confratrum Ilben-
ſtadienſium ſodalitas, de
Superiorum annutu, niti-
tur: at ſuis diffidens viri-
bus, à longè conſpecta ſcu-
to Tuo Gentilitio infixa
Lilia aſſumit, non dubia
Gratioſi Patrocinii inſi-
gnia. Opuſculi præſentis
exiguitas ſemetipſum qua-
ſi erubeſcens refugiſſet vel
ad Pontificales REVE-
RENDISSIMÆ ET
PERILLUSTRIS DO-
MINATIONIS TUÆ
manus arrepere, vel inter
eruditiſſimorum hujus ſæ-
culi Librorum acies ſe eli-

 brare

Digitized by Google

brare, vel ad auram ſub aprico opponentium campo comparere, niſi *Bernardina Liliorum ſuorum ſuavitate* traheretur, ut curreret in odorem unguentorum tuorum. Ut *Te* accederemus, animavit eximius ille Tuus ad Theologicas & Juridicas ſcientias affectus, quo ita excellis, ut non ſolùm cùm adhuc Sacrorum Canonum in Univerſitate Herbipolenſi Profeſſorem ageres, ſed & etiamnum hodie Theſes dexterrimè oppugnare, inter diſcurſus ordinarios quæſtiones ex utroque Jure movere, cum

quibuſ-

quibuſq; literarum amantibus converſari, in primis habeas deliciis. Animavit, inquam Tua laudatiſſima in alloquio affabilitas, in gerendis dexteritas, in audiendo benignitas, in reſpiciendo gratia, quibus ſic effulſiſti, ut cum totius Franconiæ applauſu ac fructu Epiſcopatum Chryſopolitanũ in partibus ſuffraganeatum in Pontificalibus Præſidium in Conſiſtorio Eccleſiaſtico, locum intimum in ferendis conſiliis conſequerê-re. Convivium illud ſolenne, quod ſtupente omni antiquitate Aſſuerus ſex men-

ſibus continuavit, celebratum eſt in Regia Suſan (b) quæ vox Latinis *Lilium* ſignificat. Per annos ſex & paulò ampliùs Ilbenſtadii tradendo Theologiam cum Jure Canonico myſticum inſtruxi Convivium; liceat illud nunc terminare in Suſan, hoc eſt, ad Tua Lilia Gentilitia, ut ab Eo coronam & coronidem obtineat, à quo tam eminus, quàm cominus foveri ſe ſenſit.

In Romanorum Imperatorum nummis quandoque expreſſus videbatur DEUS dextera lilium protendens, cum Epigraphe: *Spes publica.* Nobis Lilium Tuum erit Spes publica, quæ nos & opuſculum noſtrum gratioſo obtutu ſuſcipiens ab adverſantium impugnationibus tueatur. Nos viciſſim Liliorum more inclinato capite *Tuam REVERENDISSIMAM Dignitatem* venerabi-

(b) Eſther. 1.

nerabimur, ſinu aperto Candidæ Congratulationis affectus expromemus, ſeroſque annos tot votis exoptabimus, quot vel cuſpidata folia in herbeſcente Liliorum caute, vel linguæ candidæ in albeſcente flore, vel granula aurea in flaveſcente ſinu circumferuntur. Ita vovent

REVERENDISSIMÆ, PERILLUSTRIS ET PERQUAM GRATIOSÆ DOMINATIONIS TUÆ

Servi humillimi

Præſes & Juris Canonici Candidati Ilbenſtadienſes.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

AUrifodinam Literarum amantibus R. P. Drexelius aperuit, dum excerpendi ſolertiam ſuadere niſus eſt. Eandem induſtriam mihi aſſumendam duxi, ut primùm ad aliorum Inſtructionem per annos pluſquàm duodecim continuatam manus jubente obedientia applicui. Exinde præſentes enatæ ſunt paginulæ, quas conſpectui publico non offerrem, niſi inter alias cauſas ſperarem. fore ut mihi concreditos in ſtudio animarem, ſi eos inducerem, ut etiam diſputatione publicâ probarent, ſe non ìnvacuum geſſiſſe nomen Canditatorum Theologiæ vel Juris Canonici, aut non carere probabilitate, quæ inter privatos parietes fuerant propoſita. Auctores in numero non levi inſpexi, ita ut etiam verba quandoque admetiar, ne literam immutando nervum quoque interverterem. Neque bonum eſt vel ſecurum in materia morali ſine Auctore procedere, quia in practicis non tam attenditur, quod quis

 ſpecu-

Digitized by Google

ſpeculatione propriâ excogitavit, quàm quod prudentum calculus, & obſervantia in praxi approbavit. Quia autem in praxi quandoque nolentes alienam debemus ſequi ſententiam, ſtudui aliquoties oſtendere, quomodò ſententiæ oppoſitæ procedant, qualia ſunt, An Capitulum poſſit dare vocem in Electionibus illi, qui alias non habet in Capitulo, *Sect*. 2. *q*. 11. An Epiſcopus concedere poſſit, ut cum pede ligneo Sacerdos celebret, *pag*. 408. *v. Septima*. & 420. *dub*. 2. R. 2. &c. Pro dilucidiori quorundam explicatione, nota ſequentia.

I. Dum *Sect*. 1. *q*. 5. *n*. 1. dicitur, quòd in Eccleſiis collegiatis dies electionis ultrà tres menſes non debeat extendi, juxta *q*. 18. *dub*. 8. intelligitur de iis Eccleſiis, quarum Prælati Ordinariam in Clericos ſuæ Eccleſiæ juriſdictionem exercent.

II. Dum *q*. 6. §. 2. *d*. 1, *n*. 5. dicitur, quòd ſi ex Capitulo tribus Vocalibus conſtante duo voci ſuæ renuncient, tertius non poſſit eligere; intelligitur de renunciatione utriuſque vocis, quâ conſtante non poteſt fieri electio cum effectu, ſi nullus extra gremium vocem paſſivam habeat.

III. Dum *q*. 6. §. 5. *d*. 5. dicitur lædi ſecretum

tum, ſi elector ſchedam ſuam ita ſignet; ut unus Scrutatorum deveniat in notitiam, in cujus favorem votum ſit datum; intelligitur, ſi hoc fiat conſentiente magnâ Capituli parte, *d.* 6. & ſuppoſito, quòd Declaratio Pii V. ſtrictè exigens ſchedas cum ſummo ſecreto ſit uſu recepta, de qua §. 4. *d.* 1. Aliàs enim conſtat, quòd in Scrutinio auriculari Scrutatoribus innoteſcat, pro quo quilibet ferat ſuffragium.

14. Dum juxta *q.* 6. §. 7. *d.* 2. ℞. 2. particula *diligenter*, vult, ut Scrutatores interrogent, cur huic vel illi votum detur, non intelligitur de obligatione ſtricta, juxta §. 4. *d.* 4. Sed de congruitate, quæ ſcrupuloſè non obſervetur.

V. Dum juxta *q.* 7. *Obſerv.* 10. Compromiſſarii eligunt *vice propriâ* intelligitur de ſola electione *communi*, de qua ibi agitur: quòd verò Compromiſſarii particulariter eligant *vice* Capitularium, exprimitur *c. Quia propter.*

VI. Dum juxta *S.* 3. *q.* 2. *d.* 2. *n.* *VIII.* licitè additur ſuffragium, quando electio indigni non poteſt ampliùs impediri, intellige de indigno negativè, ſive minùs digno comparativè ad digniorem.

VII. Dum juxta *S.* 3. *q.* 10. §. 5. Electio ſpectat ad Officium vel *juriſdictionem*, intellige non formaliter, ſed, ut quidam docent, reductivè; & hinc ad ſummum comprehenditur in ſuſpenſione à juriſdictione in tota latitudine ſumpta, non item in ſuſpenſione à ſola juriſdictione formaliter tali.

VIII. Dum *pag.* 346. *Petes* 3. inſinuatur, quòd hæreſis parentum per accidens occulta ſubſit pœnæ inhabilitatis, ſubintellige: *in actu primo*: nam ut *in actu ſecundo* ſubſit, debet probari parentes deceſſiſſe ut hæreticos, *p.* 349. *Petes.* 7. IX. Dum

IX. Dum *S.* 1. *q.* 22. *pag.* 180. innuitur, quòd Procurator pro confirmatione obtinenda conſtitutus de Eligentium numero eſſe debeat, intelligitur ſolùm in caſu *capitis*, *Cupientes.* ibi allegati, quando nimirum Confirmatio ex titulo immediatæ ſubjectionis à Sede Apoſtolica peti debet: unde in aliis caſibus confirmatio poteſt peti, per Procuratores etiam extra numerum eligentium conſtitutos, ut *S.* 4. *q.* 24. explicatur.

X. Dum *S.* 2. *q.* 4. *pag.* 239. dicitur, quòd is, qui ante ſtatum Clericalem in Bello juſto aliquem occidit, fiat quidem irregularis, non tamen *ineligibilis*, nec privatus voce activâ: intelligitur de ineligibilitate *activâ*: quo ſenſu etiam ſumitur juxta DD. iſte terminus *ineligibilis in cap. Is qui.* 18. *de Sent. excomm. in* 6. ibi: *Et adeò efficitur ineligibilis, quòd nec ad eligendum cum aliis debebit admitti.*

XI Dum *S.* 3. *q.* 10. §. 12. *pag.* 386. dicitur, quod hæc ſpecies bigamiæ interpretativæ non incurratur *ob defectum Sacramenti*, intelligitur de caſu ibi expreſſo, quando nimirum matrimonium bonâ fide eſt contractum cum ignorantia invaliditatis: cùm enim tunc matrimonium reipsâ non intercesſerit, non poteſt dici, quòd ſacramentum matrimonii deficiat à ſignificatione Chriſti unius cum Eccleſia una. Secus eſt, ſi quis duxerit viduam à priori viro cognitam, vel ab alio corruptam, aut uxori ſuæ cohabitet, poſt adulterium ab ipſa commiſſum. Tunc enim intercurrit defectus Sacramenti. Vide Sanchez *loc. cit.*

XII. Dum

XII. Dum *S.4.q.23.pag.544.* dicitur, quòd ex Jure divino requiratur prævié conſecratio Epiſcopalis, ad ſacramentum Confirmationis conferendum, intellige de Miniſtro *Ordinario.* An verò ſimplex Sacerdos, vel non-Epiſcopus poſſit eſſe Miniſter ſaltem extraordinarius, controvertitur. Negativæ aſtipulantur S. Bonaventura *in 4. Diſt.7.3. mihi tom. 5.pag. 83.* Gabriel Biel, Durandus, Adrianus, Eſtius, Petrus Aurelius, & Catus Syritus. Affirmativa pluribus nititur Auctoritatibus, & *c. Pervenit. Diſt. 95.* Vide Theologiam.

XIII. Licet juxta *S.3.q.4. §.1.d.3.* Probati DD. in pœnis incurrendis ſemper requirant ſententiam declaratoriam, ſolet tamen cum Sanchez & Covarr. apud la Croix *L.1.n. 612.* excipi, niſi praxis vel conſuetudo (quæ eſt optima legum interpres, *L. de quibus ff. de LL.*) aut verba Legis prægnantia aliud indicent. Cùm ergo praxis ſive Stylus Curiæ Romanæ doceat, quòd S. Pœnitentiaria diſpenſet in Simonia occulta, poteſt juxta *S.3. q.10. d.1.* probabiliter dici, quòd inhabilitas ad obtinendas dignitates vel beneficia incurratur ante omnem ſententiam. Idem dic ad alios ſimiles caſus. Hinc ſi tale impedimentum eſſet adhuc occultum, tenetur electus eo laborans juxta *cit. q. 10. §.4. d. 2.* reſpuere electionem.

Appro-

Digitized by Google

Approbatio Prima.

METhodus Canonica Eccleſiis viduatis providendi *compilata induſtriâ Adm. Reverendi & Eximii D. Georgii Faſel Sacri & Canonici Ordinis Præmonſtratenſis in Cella DEI Superiori Profeſſi, SS. Theologiæ Doctoris, ejuſdemque & Sacorum Canonum Ilbenſtadii in Wetteravia Profeſſoris emeriti, nil continet orthodoxæ fidei aut bonis moribus contrarium, ſed modum oſtendit ſalubriter declinandi imprecationem Chriſti, Matth.* 23. *v.* 14. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum. Proinde nos infra ſcripti eam prælo & luce digniſſimam cenſemus. Datum Francofurti ad Mœnum,* 10. *Julii,* 1712.

Fr. Hyacinthus à S. Joanne Bapt. aliàs Petit, Ord. Fratrum B. V. MARIÆ, de Monte Carmelo, in alma Univerſitate Colonienſi SS. Theologiæ Doctor ac Profeſſor Ordinarius.

Fr. Alexius à S. Wilhelmo Ejuſdem Ordinis, ac SS. Theologiæ Lector Ordinarius.

Ap-

Approbatio Secunda.

Curam agere viduarum, & illis ſaltem conſiliis providere nos monet Spiritus S. per Eccleſiaſticum cap. 4. v. 10. *Præſtitit hoc egregiè* A. R. D. F. *Georgius Faſel Sac. & Canon. Ord. Præmonſtr. in Cella DEI Superiori Profeſſus SS. Theologiæ Doctor, Ejuſque & Juris Canonici Ilbenſtadii Profeſſor emeritus, dum conſcripſit* Methodum Canonicam Eccleſiis viduatis providendi, *quæ cùm nihil contineat, quod fidei aut bonis moribus contrarietur. digniſſimam judico, ut pro bono Eccleſiarum viduatarum lucem publicam aſpiciat. Vilabellæ 4. Julii.* 1712.

F. Philippus Beringer Ord. Præmonſtr. Ilbenſtadii Profeſſus, olim SS. Theologiæ & Philoſophiæ Lector, Protonotarius Apoſtolicus ac Parochus in Vilbel & Hatheim.

Cenſura Ordinarii.

Viſis approbationibus Graviſſimorum Theologorum & Canoniſtarum permitto infra ſcriptus, ut Plurimùm Reverendi & Ex. D. Georgii Faſel Cellæ Superioris Profeſſi, SS. Theologiæ Doctoris, ejúſdemque & Juris Canonici in celeberrima Ilbenſtadienſi Canonia Lectoris emeriti, Canonica Eccleſiis viduatis providendi Methodus *in lucem prodire poſſit. Moguntiæ* 14. *Julii*, 1712.

JOANNES GEORGIUS KIRSCH, SS. Theol. Lic. Eminentiſſimi Moguntini Conſiliarius Eccleſiaſticus, Canonicus Capitularis in Moxſtatt, Librorum Cenſor.

PARS

Digitized by Google

PARS PRIMA

De Electione & Electi Poteſtate.

Cùm Dominus Judaicum populum ob ſcelera extremo deſtinâſſet exitio, non extremæ pœnæ loco permiſit ipſum in eligendo Principe errare. *Apprehendet* (ait Iſais c. 3. v. 6.) *Vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui: Veſtimentum tibi eſt; Princeps eſto noſter.* Hæc nempe eſt cœcitas rectà ducens ad foveam, dum oculus quærit exteriora, ubi neceſſaria ſunt interiora. Veſtimentum reſpexit populus, & non attendebat, quòd hoc veteraſceret: neglexit prudentiam animi, & non cogitabat, quòd hanc depoſceret neceſſarium in rebus dubiis gubernaculum. Sic exteriora ſola non ſufficiunt, ubi interiora ſubditorum, anima & ſpiritus eſt regendus. O quàm ſæpe ſub corpore humili erectus viget animus! Quàm ſæpe veſtibus pauperis vigor involvitur Heroinus! Scio equidem, etiam in Sacra Scriptura exteriorum habitam fuiſſe rationem, dum eligerentur Reges, ut animadverſum eſt in Saule: Aſt hoc factum tunc fuerat, quando exterior ſpecies interiori correſponderat: Et ſic quidem tales cœteris

Digitized by Google

teris paribus in electionibus præferri poſitivè conſulitur.

Etſi enim per ſe loquendo ad regendos alios internis animi dotibus pollere ſufficiat, ſolet tamen etiam exterior corporis cultus vel conſtitutio non leve authoritatis & venerationis augmentum adjicere. *Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.* Non obſervantur facilè interna, niſi exteriori majeſtate prodantur vel veſtiantur. Si Sapientia hæreat in corpore gibboſo vel ſtrumoſo, cum monſtroſis hiſce defectibus facilè ridetur vel exploditur. Multa non poteſt efficere vel evincere ſola ſcientia, quæ fierent, ſi aſſociata forent exteriora ornamenta. Ex quibus diſcretione bona, in electionibus opus eſſe, patet, ne Elector circa eligendum hallucinetur, & aliquando in jactura ovium defectum ſuum doleat, quem in electionis actu ex præcipitantia ſe commiſiſſe reminiſcitur.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

De

Electione ſecundùm ſe.

MUltum dependere ab Electione Canonica quotidiana docet experientia. Non ſatis eſt, quòd perſona aliàs idonea ad faſtigium gradûs Eccleſiaſtici promoveatur, niſi via ſervetur regia, vel modus obſervetur Sacrorum Canonum Sanctionibus ſtabilitus. Suſpectus eſt ingreſſus in ovile, qui nou fit per oſtium, ſed aliunde: ſolent namque legitimè & viâ Canonicâ promoti pluribus ab alto muniri præſidiis, quibus deſtituuntur, qui contra Canones in Dignitatibus inſtituuntur. Unde nervosè P. Leo relatus *can. Miramur. diſt.* 61. Scripſit: *Principatus, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupavit, etiamſi moribus atque actibus non offendit, ipſius tamen initii ſui eſt perniciosſus exemplo. Et difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio. Quòdſi in quibuslibet Eccleſiæ gradibus providenter, ſcienterque curandum eſt, ut in Domini domo nihil ſit inordinatum, nihilque præpoſterum, quan-*

tò magis elaborandum eſt, ut in electione ejus, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur? Hinc offertur motivum in naturam & conditiones Electionis Canonicæ inquirendi.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Electio?

℞. 1. Electio *generaliſſimè* accepta eſt unius ex pluribus ad eundem finem ſervientibus præoptatio. Hoc ſenſu Electio potiſſimùm ſpectat ad Ethicos.

℞. 2. Electio *Canonica largiſſimè* ſumpta eſt quælibet vocatio, collatio, vel præſentatio ad beneficia Eccleſiaſtica. Hoc ſenſu ſumitur *c. Querelam. 24. & c. cùm Eccleſia. 31. de Elect.*

℞. 3. *Largè* ſumitur pro omni eo, per quod alicui Jus tribuitur per ſuffragia, & alterius Confirmationem, licèt non obſervetur certa forma.

℞. 4. *Propriè* ſumitur pro vocatione alicujus perſonæ ad Dignitatem vel Prælaturam, adhibitâ certâ formâ à Canonibus præſcriptâ; ſoletque definiri, quòd ſit Perſonæ idoneæ ad Eccleſiam vacantem per Vota Capitularium ſeu Eligentium Canonica vocatio. De hac nobis deinceps erit ſermo. Qualiter à Poſtulatione differat, dicetur *p. 2. q. 3.* Differt à Collatione, Inſtitutione, Commenda, Præſentatione, & his ſimilibus, quòd in iſtis per ſe loquendo non requiratur collatio votorum, ſicut in Electione. Quid quòd Præſentatio, ſicut & Jus Patronatûs poſſit competere Laicis non Jus eligendi.

Dubium unum. Quomodo Electio differat à Nominatione, & quid ſit Nominatio? ℞. Nominatio rigoroſè ſumpta eſt illa, quâ duo vel plures excellentiores nominantur ſeu proponuntur ſuperiori, ut unum ex illis ad dignitatem admittat; vel illi de beneficio provideat. Et *Nominationem* eſſe unum de tribus generalibus modis providendi Eccleſiis viduatis patet *ex c. Bonæ memoriæ. 3. §. fin. de Poſtulat. Prælat.* ibi: *Quatenus per Electionem, Poſtulationem, ſeu Nominationem Canonicam in perſonam idoneam convenire curetis.* Quomodò *Nominatio* differat *à Poſtulatione*, dicetur *part. 21. q. 4.* Quomodò differat ab Electione hìc eſt explicandum.

I. Differt; quòd nominatio ſit de pluribus; Electio verò & Poſtulatio tantùm de uno; *cap. Quod ſicut. 28. de Elect.* Unde ſi in Electione vel Poſtulatione à quovis Electore vel Poſtulatore proponerentur plures ad eandem dignitatem, ipſo facto Electio vel Poſtulatio in Nominationem transmigraret.

II. Nominatio fit alternativè, ut Superior ex pluribus nominatis hunc vel illum promoveat; Econtra Electio & Poſtulatio fiunt de uno ſolo; neque in iſtis alternatio locum habet.

III. Per Electionem acceptatam acquiritur Jus electo, non verò per Nominationem ſolam, antequàm hæc Superiori præſentata & ratificata fuerit, *d. cap. Quod ſicut. V. Nihil juris acquiſitum ſit nominatis.*

IV. Scrutinio Electionis publicato non poſſunt ampliùs Electores variare, *cap. 58. de Elect.*

Digitized by Google

Poſſunt Nominantes antequàm Nominatio fuerit ſuperiori præſentata, *cap. Ei qui.* §. *Nominationes. II. q. 6.* Fagnanus *in cap. Bonæ memoriæ. n. 78. de Poſtulat. Prælat.*

Obſerva: Inter plures nominatos primò nominatus cenſetur quidem cæteris dignior: Ex ordine enim verborum poteſt quandoque fieri argumentum ad dignitatem rerum per verba ſignificatarum, *arg. c. Inter verba. XI. q.* 3, Hoc tamen non facit regulam univerſalem: Unde nec reperitur in Jure deciſum, quòd ſuperior teneatur primò nominatum promovere.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit Forma Electionis?

℞. Triplex: Via Scrutinii, Compromiſſi & Quaſi-inſpirationis, *cap. Quia propter.* 42, *de Elect.* Via *Scrutinii* eſt, quando præſentibus omnibus, qui debent admitti, volunt & poſſunt commodè intereſſe, aſſumuntur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interjecto, ut is collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major & ſanior Capituli pars conſentit. Via *Compromiſſi* eſt, quando eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committitur, qui vice & nomine omnium aliorum eligant, & Eccleſiæ viduatæ de Paſtore provideant. Via *Inſpirationis* eſt, quando omnes Electores, DEO inſpirante, in unum eligendum abſque

abſque vitio vel malitia conſpirant. Vide *d. cap. Quia propter.* Ubi generaliter reprobantur aliæ formæ cum clauſula irritante electiones aliter factas, ita ut etiam Electores contra prædictas formas procedentes pro ea vice priventur eligendi poteſtate.

QUÆSTIO III.

Quotuplex ſit via eligendi per Inſpirationem?

℞. Duplex: Alia eſt Inſpiratio vera, alía Quaſi-inſpiratio. *Inſpiratio vera* eſt, quando certa perſona à DEO electa per veram revelationem, aut directionem ſpecialem & claram SPIRITUS Sancti, vel indicia ſupernaturalia deſignatur, ut contigit de SS. Matthia, Nicolao, Ambroſio, &c. vide *cap. Statuimus. diſt.* 61. Hæc via non ſubjacet humanis legibus, nec indiget certà forma, neqne requirit Confirmationem.

Quaſi-Inſpiratio eſt, quando nullo præcedente tractatu, vel nominatione, vel recommendatione ſuper ſpeciali perſona eligendâ omnes Electores nullo excepto in unum conclamant. Dicitur hæc via *Quaſi-Inſpiratio*, quia ob ſingularem concordiam cenſetur ſpecialiter dirigi à SPIRITU Sancto. Non requiritur quidem hìc aliqua certa forma, ſubjacet tamen inquiſitioni, an fiat ſine fraude, metu, ſimonia, conjuratione, vel alio vitio: Unde etiam ſic electus confirmationem debet petere.

Porrò ſubſtantialia Electionis per commu-

nem inſpirationm in eo conſiſtunt, I, quòd omnes Electores congregentur, teſte Pellizario *in Man. Regul. tr.* 9. *c.* 21. *Sect.* 1. *n.* 121. II. Quòd fiat omnibus Electoribus in eandem perſonam conſentientibus, nemine ex Electoribus contempto vel abſente. Etſi enim abſens poſteà Electionem ab aliis factam ratificet, hoc tamen præſumetur potiùs feciſſe perſuaſus facto aliorum, quàm DEI inſtinctu. III. Quòd fiat ſine ullo prævio tractatu, in quo Electi antecedenter facta fuerit mentio. Huic non obſtat tractatus aliquis prævius generalis de aliqua perſona idonea eligenda; vel etiam tractatus particularis de perſona alia, diſtincta ab Electo. IV. Quòd Electus non fuerit nominatus vel propoſitus à Præſide, aut alio: aliàs cenſebitur electio facta per inſpirationem humanam. V. Quòd Elector, qui ex primo impulſu motus conſenſit, poſteà non ſtatim votum revocârit; aliàs electio non erit reipsâ uniformis vel unanimis. VI. Quod ex commiſſione vel determinatione Statuti aut Capituli unus vice omnium Electionem communem faciat, & ita Electionem perficiat. VII. Aliqui addunt, quod fiat vel turmatim ab omnibus per verbum *Eligo:* vel ab uno aliquo incipiente, quem mox omnes alii ſubſequantur. An verò hoc ſubſtantialibus ſtrictè dictis ſit ſimpliciter annumerandum, non uſque quaque liquet, cur enim non poſſet vocari Quaſi-inſpiratio, ſi omnes omninò per ſchedas ſcriptas conſentirent? Si tamen electio facta fuiſſet per ſolum populi clamorem, non eſſet curanda, neque confirmanda *cap.* 5, *h. t.*

ex

Digitized by Google

ex ratione, quòd facilè multi de populo præmio & mercede corrumpi poſſint, ut clamarent in Eccleſia, & petere viderentur aliquem in Prælatum. Ita ibi:

QUÆSTIO IV.

Quis terminus, ante quem Electio vel Scrutinialis vel Compromiſſi non poteſt inſtitui? & quænam ſint Electionis præambula?

℞. 1. Nulla electio inſtituenda eſt ante diem tertium depoſitionis defuncti Prælati, *cap. Nullus. 7. diſt. 79.* Imò *cap. Bonæ memoriæ. 36. v. Electionem. h. t.* caſſatur quædam electio, eò quòd Electores corpore prædefuncti Epiſcopi nondum ſepulturæ tradito habuerint de Electione tractatum. Si tamen iſta præpropera Electio fieret accedente novâ urgente causâ, v. g. quià eſt periculum ne ab extrinſeco fierent tumultus, non videtur electio facta carere robore, Engel *h. t.* §. 3. *n.* 31. eò quòd *in d. cap. Bonæ memoriæ:* illa præpropera feſtinatio vel tractatus non fuerit cauſa principalis electionis irritandæ, ſed potiùs contemptus alicujus, qui electioni debuiſſet intereſſe, nec tamen fuit vocatus. Aliunde verò leges & canones concedunt, ut quando periculum eſt in mora, recedatur à Juris communis Regulis, *L. de pupillo. §. ſi quis rivos. ff. de novi operis nunciat.* Imò aliqui cum Fagnano, *in c. Quia propter. n.* 71. Gloſſa *in d. c. Bonæ memoriæ. v. Tractatum.* Barboſa, Tamburino &c. contra Garciam &c. notant

quòd ſolum ſit de honeſtate, non de neceſſitate aut ſubſtantia Electionis, ne Electio fiat ante demortui ſepulturam: quia *C. Epiſcopo VIII. q.* 1. ſine mentione ſepulturæ dicitur, quòd habentes jus eligendi *poſt obitum quieſcentis* poſſint dignum promovere. Quòd verò Garcias dicat, *in d. c. Nullus.* & *c. Bona.* contineri præceptum ſtrictum probandum ſoret: neque enim obligationes præſumuntur; & in dubio, quod minus eſt, ſequimur, cap. 39. de R. J. in 6. Unde Electio facta mortuo, ſed nondum ſepulto Prælato eſt de ſe valida, & ad ſummum per ſuperioris ſententiam caſſanda.

Secus eſt, ſi electio inſtitueretur Eccleſiâ necdum vacante, vel priore Prælato necdum mortuo, cùm enim beneficia necdum vacantia nemini poſſint concedi, vel promitti, *cap.* 1: *&* 2. *de conceſſione præbendæ vel Eccleſiæ non vacantis.* Etiam conſequens eſt, quòd electio ad Eccleſiam non vacantem non poſſit ſubſiſtere vel valere.

Cenſetur autem Eccleſia vacare, quando Prælatus Prior vel Rector eſt mortuus vel naturaliter, vel civiliter, v. g. ſi ob culpam juridicè deponatur: item quando prior Prælatus tranſlatus eſt ad aliam Eccleſiam, niſi obtinuerit diſpenſationem utramque Eccleſiam retinendi, *cap. Epiſcopus VII. q.* 1. quando debitè renunciavit, *cap. ex transmiſſa. de renunciat.* quando recepit aliud beneficium incompatibile, *cap.* 28. *de Præbend.* quando ingreſſus eſt Religiònem approbatam. *cap.* 10, *&* 11. *de renunciat.*

℟. 2. Ad Electionis præambula ſpectat I: aſſigna-

aſſignatiō loci, de quo infra *q.* 16. II. Aſſignatio diei, de qua infra *q*, 5. ubi obſerva: diem & locum ſemel deſignatum poſſe poſtea mutari, ſi ita expedire videbitur teſte Fagnano *in cap. Quia propter. n.* 67. *h. c.* dummodò particulares Conſtitutiones non determinaverint aliquid certi, aut tempus à Jure præfixum necdum effluxerit. III. Vocatio omnium Vocalium; invocatio Spiritus Sancti, & reliqua infra *q.* 5. recenſenda. Ubi breviter Nota. Ex eo, quòd *cap. Cùm terra* 14. *h. t.* ſtatuatur ante electionem invocandam eſſe gratiam Spiritûs Sancti (quod ex uſu fit per Miſſam ſolemnem prævię celebratam) quidam apud Barboſam intulerunt, hanc Miſſam eſſe pro validitate electionis præmittendam: Verùm alii meliùs cum eodem Barboſa *in Collectaneis ad cap. cùm terra* 14. *h. t. n.* 6. cenſent Miſſam de Spiritu Sancto non eſſe de eſſentia, ſed ſolâ decentiâ, & ſolemnitate accidentali, niſi in aliquo loco exter ſpecialis Conſtitutio, quæ cum clauſula irritante hanc Miſſam prærequirat.

Obſerva. Non ſolùm Electio, ſed & tractatus Collegialis Eccleſiâ necdum viduatâ habitus, de novo Prælato ei præficiendo, vel definitivus alicujus ſpectantis ad Electionem, eſt nullus, etſi infirmitas Prælati ſit planè deſperata, *cap. Bonæ* 36. & *cap. Quia propter. de Elect.* Inſuper Citatio ad novam Electionem facta Prælato adhuc vivente eſt nulla, neque convaleſcet, etſi ſtatim pòſt Prælatus obeat, ut dicetur *q.* 5. unde nova citatio requiritur; Electio quoque talem tractatum ſubſecuta, mortuo jam Prælato, non eſt qui-

Digitized by Google

dem irrita (quo enim Juris textu id probabis?) bene tamen irritanda, dummodò eligatur is, pro quo ante Prælati mortem tractatum eſt; Unde ſecus eſt, ſi eligatur planè alius: & dicta intellige de tractatu concluſivo vel definitivo: nam merè conſultivus per ſe non eſt prohibitus.

QUÆSTIO V.

Quis ordo procedendi ad Electionem tam ſcrutinialem quàm Compromiſſi?

1. ℞. Celebrato tertio depoſitionis die prædefuncti Paſtoris Eccleſiæ, deſignanda eſt dies pro futura electione, quæ tam in Cathedralibus, quàm Collegiatis & Regularibus Eccleſiis non debet protendi ultra tres menſes, niſi juſtum ſubſit impedimentum ab Electoribus inaufferibile: Et incipiunt dies computari, non à tempore, quo reipsâ cœpit vacare Eccleſia, ſed quo vacatio Electoribus innotuit, *cap. Ne pro defectu.* 41. *h. t.*

2. Debet & ſolet hæc dies deſignari à Superiore Ordinario, Engel *h. t. n.* 32. Et ad ipſum debent convocari omnes, qui debent, volunt, & commodè poſſunt intereſſe.

3. Si convocatio iſta fieret ante mortem Prælati, eſt ipſo jure nulla, cùm tunc nondum adſit authoritas convocandi: imò illa nec poſt mortem convaleſcit, quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non ſubſiſtit, *cap.* 18, *de R. J. in* 6. Quòd verò juxta *cap. de uxore.* 7. *de ſepult.* diſpoſitio facta tempore inhabili ſubſiſtat,

ſiſtat, ſi referatur in tempus habile, eſt verum ſolùm in caſibus, ubi Jura ſpecialiter non obſiſtunt, hîc autem obſiſtit textus *in cap. Bonæ. 36. h.t.*

4. Excipitur à modò dictis Vacatura dignitatis, quæ ex ſtatuto quodam generali Ordinis eſt affixa dici, ut ſunt provincialatus in Ordinibus Religioſis, qui adveniente termino ſtatim ipſo jure vacant: tunc enim, ſi ex eodem Statuto Electio Succeſſoris ſit etiam determinata, non requiritur convocatio eligendorum & Eligentium, nec deſignatio ſpecialis.

5. In ipſo Electionis die celebratur Miſſa de Spiritu Sancto, ſub qua omnes Eligentes, etſi Presbyteri ſint, ſacram Communionem accipiunt teſte Engel *h.t. n.* 22, quòd tamen non ſervatur ubique in praxi, ſed omnes Sacerdotes priùs Sacrum privatim legere ſolent.

Miſsâ hac finitâ pergunt ad locum electionis faciendæ, ibique Hymnum de S. Spiritu cantant, vel clarâ voce recitant. Deinde Præſes Capituli vel Electionis, nomine totius Capituli proteſtatur, ſe neminem velle admittere ad Electionem, qui jus eligendi non habet.

6. Si Legatus Apoſtolicus interſit electioni, ſolet præmittere abſolutionem à cenſuris, quatenùs illæ poſſent Canonicam Electionem impedire. Engel. *h.t. n.* 32.

7. Aliqui poſt hoc, alii fortè commodiùs, die præcedenti Capitulariter deliberant, cui viæ vel formæ velint inſiſtere, an Compromiſſo, an Scrutinio?

8. Debet etiam ante Electionem fieri aliquis

tracta-

tractatus non quidem ambitioſus, & factionalis, quo quidam inter ſe ambitioſè tractant de aucupandis aliorum votis; hoc enim redderet electionem annullandam, *cap. per inquiſitionem.* 26. *cap. cùm poſt petitam.* 46. *h. t.* Sed tractatus conſultatorius, in quo diſcutiuntur merita, & qualitates eligendorum, *cap. inter Canonicos.* 21. & *cap. in cauſis.* 30. *h. t.* Imò hæc diſcuſſio poteſt fieri adhuc vivente Prælato, teſte Layman *de Elect. Prælat. cap.* 4. *q.* 30. ſed diſſuadetur.

9. In ipſa Electione, antequam ulteriùs procedatur, debet ab Electoribus præſtari juramentum de eligendo meliori, prout quiſque judicat in conſcientia. Quod vel maximè verum in Electionibus Regularium quorumcunque ut decrevit Clemens VIII. & habetur *tom.* 3. *Bullarii Cherubini. in Conſtit. ejus* 60. *incip. Nullus omninò. edita Anno* 1599. ubi §. 23. ſic ſancitur: *In Superiorum & Officialium omnium electionibus forma præſcripta à Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Conſtitutionibus inviolabiliter ſervetur, jurentque Electores ſecundùm veritatem cujuſque conſcientiæ, probiores, ac magis idoneos ſe electuros, ac propterea priuſquàm ad electionem deveniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Conſtitutiones de qualitate & requiſitis eligendorum. Ad Officia, gradus, & prælaturas illi præcipuè eligantur, qui poſſint, & conſueverint Regulas Ordinis & Conſtitutiones obſervare, præſertim quæ pertinent ad ſervitium Chori, ac veſtitum & victum communem.* Ita ibi; cujus Bullæ titulus eſt: *Decreta generalia pro Reformatione Regularium tam Monachorum,*

Digitized by Google

chorum, quàm Mendicantium cujuſcunque Ordinis & Inſtituti. Et renovatur ab Urbano VIII. *in tom. 4. Bullarii. poſt Conſtit. ejus 28. incip. Sacra Congregatio mihi pag. 65.*

10. Eſt hoc juramentum præſtandum tactis Evangeliis juxta praxin locorum, coram Præſide Capituli cunctis videntibus ſecundùm modum, quem Regulares habent præſcriptum in Regulis vel Statutis.

11. Etſi autem ante Urbanum VIII. videri poſſet hoc juramentum non fuiſſe de Subſtantia Electionis adeoque ejus omiſſio pro tunc actum fortè non reddidiſſet irritum, tamen poſt Urbanum VIII. eſt contrarium dicendum: nam *in d. Conſtit. 28. incip. Sacra Congregatio. edita 31. Septemb.* 1624. §. 13. dicitur eſſe irritum & inane, quidquid ſecus à quoquam actum fuerit, & §. 14. derogatur contrariis Conſtitutionibus quorumcunque etiam Mendicantium. Juverit recenſere verba *d.* §. 14. Sic habentis: *Si quis verò ipſorum adversùs ea, quæ ſuperiùs præſcripta ſunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda, pœnaque hujuſmodi ſit Sanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ reſervata iiſdem Superioribus etiam Generalibus & Protectoribus illam moderandi, ſeu relaxandi poteſtate penitùs interdictâ; & nihilominus ſit irritum, & inane quidquid ſecùs à quoquam actum extiterit.* Hucuſque Urbanus VIII.

Sentis

Sentit quidem Pellizarius *in Man. Regul. tom. 2. tr. 9. cap. 2. Sect. 2. n. 98.* quòd talis Electio, in qua prætermittitur juramentum de eligendo digniore ſit adhuc valida, ſed textus Decreti videtur eſſe expreſsè contrarius, ut conſideranti patebit.

12. Porrò ſi Elector conſtituerit loco ſui procuratorem, juxta dicenda infra de Eligentibus *Sect. 2. q. 8.* tenetur conſtituens in literis procuratoriis jurare, ſe legitimè impediri, vel debet eidem ſuo Procuratori dare facultatem jurandi de tali impedimento. Cùm verò juxta Concilium Tridentinum *Seſſ. 25. de Regul. cap. 6.* modo infra *loc. cit.* allegando, non poſſint apud Regulares conſtitui Procuratores ad eligendum determinatè hanc perſonam; ſed ſolùm in genere aliquam idoneam, hinc Procurator ſolus tenetur nomine proprio jurare ſecundùm dictamen ſuæ conſcientiæ, ſe electurum magis dignum. * 13. Si tamen aliquis Ordo poſt Decretum Urbani VIII. eſſet privilegiatus ſpecialiter cum clauſulis prægnantibus, poſſet & deberet tolerari, ſi hoc juramentum omittatur.

14. Docet Bordonus apud Pellizzarium *loc. cit. n. 99.* quòd Regulares omittentes dictum juramentum non peccent mortaliter, eò quòd in Clementis VIII. Decreto tantùm ſimpliciter dicatur: *Jurentque Electores:* Sed an hoc procedat etiam juxta Decretum Urbani VIII. irritantis, ſi quid ſecùs actum fuerit, judicent alii.

15. Docet præthereà idem Pellizzarius *loc. cit.* cum Sanchez *Lib. 12. conſil. moral. cap. 1. dub. 4. n. 6.*

Digitized by Google

n. 6. Diana *p. 3. tr. 5. reſol.* 110. & aliis, quòd ſtante tali juramento Regulares adhuc poſſint eligere minùs dignum, dummodò ſit poſitivè dignus, quando major pars vult eligere minùs dignum: cùm enim minùs dignus in tali caſu ſit Electoribus magìs acceptus, & conſequenter ex hoc capite ſperetur fore, ut meliùs gubernet, etiam cenſendus eſt, eo ipſo magìs dignus.

16. Denique debet hoc juramentum Electoribus deferre Præſes Capituli: Quòd ſi ipſe etiam ſit Elector, debet aliis audientibus & videntibus jurare, etſi à nullo alio ſibi deferatur. Per hoc tamen non negatur, quin eidem poſſit juramentum remitti, ſi ita videatur expedire.

Juramentum Eligentium.

ALiqui Practici ſequentem jurandi formulam Electoribus exhibent: Ego N. Juro & promitto Omnipotenti DEO, Beatæ Virgini, Sanctiſque Patronis NN. quorum Vocabulo hæc Eccleſia dedicata eſt, quòd in Electione hac præſente nullo malo affectu inductus, ſed ſolum DEUM, bonumque hujus Monaſterii præ oculis habendo, illi votum & ſuffragium ad dignitatem Abbatialem dare velim, quem credam in præfata Dignitate & officio tam quoad ſpiritualia quàm temporalia Eccleſiæ & Monaſterio noſtro utiliorem: nec illi vocem dabo, quem veriſimiliter ſcivero, promiſſione quâcunque aut datione alicujus rei temporalis. ſeu prece, per ſe vel per alium interpoſitâ, vel aliàs qualitercunque directè vel indirectè pro ſe Electionem procurâſſe;

nec

nec votum meum ulli hominum etiam ei, in cujus favorem dedero, quâvis ratione pandam, ſed illud mecùm in perpetuo ſilentio uſque ad finem vitæ meæ conſtanter retinebo. Sic me DEUS adjuvet & Sancta DEI Evangelia, manu meâ corporaliter tacta.

Obſerva: Quia verba hìc ſubducta anguſtiare poſſent conſcientias hinc quidam Electores inſtant illa omitti: quorum loco quidam Practici eos hâc formâ ad Secretum ſervandum inſtigant:

Promittis Superioribus tuis votum tuum ſervare Secretum & nulli deliberatè revelare? ℟. Promitto.

Dubium: *An hìc dicta ſint omnia ita neceſſariò præmittenda, ut ſine illis præmiſſis electio ſit irrita?* ℟. Quoad temporis deſignationem, certum eſt, quod deſignatio activa debeat fieri ante elapſos tres menſes; an autem terminus deſignandus poſſit validè prorogari ultra hoc trimeſtre, commodiùs dicetur infra *q.* 18. De convocatione omnium, ſi vel unus non vocetur, electio quidem non eſt ipſo jure irrita, eſt tamen infirma, ut non vocatus poſſit agere de contemptu, & electionem irritare, niſi pro bono pacis malit eam ratihabere, *cap. Bonæ memoriæ.* 36. *h. t.* Quoad tractatum circa merita eligendorum, eſt is tam neceſſarius, ut eo omiſſo electio ſit irrita, *cap. cùm in veteri Lege.* 52. & *cap. in Geneſi.* 56. *h. t.* neque enim aliàs innoteſceret, quis ſit præferendus. Imò cenſet Donatus Laynenſis *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 1. *tr.* 1. *q.* 11. *n.* 3. contra Sigiſmundum à Bononia, nec conſuetudine, nec ſtatuto Capituli

Gene-

Generalis poſſe indui, ne tractatus dictus conſultorius præmittatur electioni; *non conſuetudine*, quia conſuetudo non valet contra Decretum irritans, ut tradunt communiter DD. *in tit. De conſuetudine:* ex ratione, quòd ſtante Decreto irritante non poſſit præſumi conſenſus tacitus Superioris ad legitimam conſuetudinem neceſſariò requiſitus: hic autem eſt tale Decretum irritans ſcil. *d. cap. Cùm in Veteri.* & *Cap. in Geneſi.* Nec *Statuto:* quia Capitulum Generale tanquam inferius ſine conſenſu Papæ nihil poteſt ſtatuere contra jus commune, tanquam ſuperius ſe. De omiſſione juramenti ſatis conſtat ex dictis *num.* 11. Reliqua ſi omittentur, faciunt regulariter Electionem ſolùm irritabilem.

QUÆSTIO VI.

In quo conſiſtat forma Scrutinii?

℞. Pellizarius *Man. Regul. tom. 2. tr. 9. cap. 2. Sect. 1. n. 6.* recenſet capita decem pertinentia ad ſubſtantiam, ſcil. I. ut electio fiat liberè *cap. ubi periculum. 3. §. cœterorum. h. t. in 6.* II. Quòd omnes, qui debent, poſſunt, & volunt intereſſe, ſimul congregentur in unum locum ad hoc deſtinatum. III. Quòd ex iis ſic congregatis aſſumantur tres Scrutatores appellati, qui ſingulorum ſuffragia ſcrutentur. IV. Quòd hi ſuffragia exquirant in Secreto. V. Quòd talis inquiſitio fiat ſigillatim, non à pluribus ſimul. VI. Quod omnium ſuffragia exquirantur, nullo prætermiſſo. VII. Quòd ſinguli ſcribant per ſe, aut per

Digitized by Google

Notarium propria ſuffragia. VIII. Quòd dicta ſuffragia ſic ſcripta publicentur in continenti toti Capitulo, nullo actu contrario interjecto. IX. Quòd factâ publicatione fiat collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, & zeli ad zelum. X. Quòd factâ eâ collatione fiat communis Electio per unum de Collegio ab ipſomet Capitulo deſtinatum ad talem effectum, & quidem nomine totius Capituli, Hucuſque Pellizzarius, quibus adde, quòd Clerici non requirant Laicos ut interſint Electioni, *cap. Maſſana.* 56. *de Elect.* Circa quæ cùm copia dubiorum occurrat reſolvenda, melioris Ordinis gratiâ diſpertiemur in Paragraphos.

§. I.

De Libertate Electionis.

Dub. 1. *Quando lædatur Libertas Electionis?*

℞. Quando Electores per vim & metum injuſtum cadentem in conſtantem virum adiguntur ad certam electionem faciendam. Metus autem gravis cadens in conſtantem virum cenſetur eſſe metus mortis, verberum gravium, cruciatuum, ſervitutis, carceris, vinculorum, violandæ caſtitatis, lædendi honoris vel exiſtimationis, amiſſionis omnium bonorum vel ſaltem majoris parſis, de quibus vide latè Sanchez *de Matrim. lib.* 4. *diſp,* 4. Eſt hic notabile dictum Panormitani *in cap. perlatum. n.* 12. *de his, quæ vi metûsvè causâ fiunt.* ubi ait: *Teſtibus duobus de metu deponentibus magis creditur, quàm mille deponentibus de ſpontanea voluntate.* Dub.

Dub. 2. *An læsâ Libertate Electio ſemper ſit irrita?*

℟. Panormitanus *in cap. Licet. 6. n. 12. h. t.* Quòd ſi Electores compellantur eligere certam & determinatam perſonam, electio ſit ipſo jure nulla, tanquam facta contra ſubſtantiam actûs: Eligere enim eſt unum ex pluribus voluntarie capere. Secùs eſt, ſi ſolùm compellantur eligere ex certo genere perſonarum, v. g. ſolum aliquem ex hac vel illa natione. Licet enim hic Libertas reſtringatur, ea tamen non omninò tollitur.

Et quod iſtud *ſecundum membrum* concernit, patet illud ex praxi indubitata variorum locorum, ubi Epiſcopi & Decani non eliguntur, niſi ex gremio, & quidem ex Capitularibus, cùm tamen adſint ordinariè alii æquè digni, qui nec ſunt ex gremio, nec de Capitulo. Deinde valet conſuetudo, ut Abbas Monaſterii A, eligatur tantùm ex Monaſterio B. ut eſt expreſſum *cap. cùm dilectus. 8. de Conſuet.* ergo Electio eſt valida, etſi Electores aſtringantur eligere tantùm ex certo genere perſonarum. Quòd verò Synodus Tridentina *Seſſ. 25. de Regul. cap.* 6. ſtatuat, in electionibus debere eſſe Libertatem *plenam*, non eſt id intelligendum de libertate plena *extenſiva*, hoc eſt, quòd Electores poſſint libere ex quovis hominum genere aſſumere in Paſtores, ſed ſolùm de *intenſiva*, ut ſcilicet quoad illas perſonas, quæ habent vocem paſſivam, & quas poſſunt eligere, vel non eligere, non cogantur.

Quoad *primum membrum* cenſent quidam, quòd Electio coarctata ad tres vel quatuor perſo-

nas tantùm ſit invalida: ita Rodriquéz, Miranda, & Portellus apud P. Donatum *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 1. *tr.* 1. *q.* 10. *à n.* 6. Nituntur *cap. Cùm terra.* 14. *de Elect.* & Declaratione quadam S. Congregationis. Alii dicunt, hanc coarctationem non valere, ſi Electores reclament; valere, ſi acquieſcant, & conſentiant, eò quòd ſic adhuc ſalvetur eorum Libertas. Alii dicunt hanc coarctationem eſſe validam, ſi Electores dederint cauſam reſtringendi; aliàs nemo Pontifice inferior poſſit reſtringere. Alii dicunt, hanc coarctationem valere uſque ad tres vel duas perſonas, non verò, ſi fiat ad unam tantùm prrſonam. Ipſe Donatus *loc. cit. n.* 12. innuit etiam hanc coarctationem valere, dummodò proveniat vel ex Eligentium conſenſu & voluntate; vel ex eo, quòd illi dederint cauſam, ut inviti coarctentur, v. g. ſi non haberent meliorem, vel verè dignum & capacem, excepto uno; vel præceſſiſſet aliquod legitimum ſtatutum, conſuetudo, aut privilegium reſtringendi.

Et ratio eſt. *Primò:* ſi Eligendorum eſſent ſaltem duo, eſſet adhuc electio ex pluribus, cùm pluralis locutio nomine duorum ſit contenta, *cap.* 40. *de R. J. in* 6. ergo eſſet adhuc libertas. *Secundò* ſi Electores eſſent coarctati ad unum ſolum, haberent Eligentes poteſtatem ut eligerent, vel non eligerent, ſed permitterent Superiori poteſtatem hâc vice providendi: Unde ſi eligant, liberè & non coacti eligunt: in Jure autem caſſatur principaliter illa Electio ſola, in qua Eligentes ita coguntur, ut non poſſint deſiſtere ab electione. Et quando S. Congregatio hanc coarctationem improbavit, eſt intelligenda tantùm de illa, quæ fieret

fieret à Prælato ad ſuum libitum, v. g. ſi Generalis Ordinis ad ſuum arbitrium juberet, ut in Provincialem eligeretur ſolùm Sempronius, non de ea, quæ poſſet eſſe ex neceſſitate, cauſa rationabili, vel Conſtitutione ſpeciali alicujus Ordinis vel Capituli; maximè ſi Regulares vel Capitulares in illam priùs vel tacitè vel expreſsè conſenſerint. Vide Lezanam *in Summa qq. Regul. tom.* 1. *cap.* 15. *n.* 21. ubi de ſuo S. Ordino Carmelitano teſtatur, non ſolere eligi quemquam in Provincialem, niſi ex nominatis à Generali.

Dub. 3. *An etiam metus reverentialis ex parte Eligentium faciat electiones irritas?*

℞. Affirmativè ſaltem pro foro interno: ita Lezana *loc. cit.* Navarrus *in Enchirid. cap.* 17. *n.* 29. & *cap.* 22. *n.* 51. Ratio: Matrimonium carnale & ſpirituale æquiparantur, *cap. Inter corporalia.* 2. *de Translat. Epiſc.* atqui metus reverentialis, ſaltem ſi habeat annexum periculum aliorum malorum impendentium facit Matrimonium carnale irritum, ut tenet Sanchez *Lib.* 4. *de matrim. diſp.* 6. *n.* 7. & alii DD. *in-& cum cap. Cùm locum* 14. *de Sponſalibus:* ergo etiam ſimilis metus faciet irritum matrimonium ſpirituale Prælati cum ſua Eccleſia, quod per electionem initiatur. *d. cap. Inter corporalia.* Quod dictum de metu reverentiali & ejus vi Electiones reddendi irritas etiam extende ad alia pacta, conventiones, intentamenta, ſubornationes, &c. quæ poſſent lædere libertatem Eligentium. Nam juxta *cap. Ubi periculum.* §. *Cæterum de Elect. in* 6. generaliter innuitur, quòd electio facta læsâ libertate ſit omnino irrita.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

§. II.

De Convocatione omnium Eligentium.

Dub. 1. *Quomodò ſit intelligendum, eſſe convocandos omnes: an ergo aliqui debeant intereſſe Electioni?*

1. ℞. In Electionibus *contradiſtinctis ab Electione Papæ* nullus invitus cogitur comparere, etſi commodè poſſit adeſſe, imò etſi foret jam intra ſepta Monaſterii, vel in loco, ſub eodem tecto, ubi Electio facienda eſt: niſi ex abſentia inferatur damnum Eccleſiæ, vel præjudicium bono communi: v. g. ſi quit humano reſpectu inductus renunciet voci ſuæ activæ tunc, cùm prævidet eligendum fore indignum, quod tamen dando vocem poſſet impedire; aut niſi conſuetudo vel ſtatutum Collegii contrarium exigant. Ratio: Electores poſſunt renunciare juri ſuo, & Electionis negotium totum rejicere in Superiorem, per text. expreſſ. *cap. cauſam quæ.* 8. *h. t.* ergo non tenentur inviti comparere.

2. Ut autem hæc renunciatio valeat, & negotium Electionis ſoli Superiori committatur, debent conſentire omnes, nullo diſcrepante, aliàs Superior non poteſt procedere, quia hæc renunciatio & commiſſio facta Superiori, concernit omnes Electores ut ſingulos, non ut collectivè ſumptos: adeoque major pars renuncians non poteſt præjudicare minori parti non renuncianti, *cap. 29. de R, J. in 6.*

3. Debet dicta renunciatio fieri propriis Superioribus vel Capitulis Generalibus habentibus aucto-

auctoritatem acceptandi renunciationes: Licet enim renunciatio aliorum jurium, quæ non ſunt officia vel beneficia, poſſit fieri coram Adverſario & Notario publico, vel Judice nomine adverſarii acceptante; quia tamen Electiones ſunt actus officii & non juriſdictionis, ut inſinuat *Gl. in cap. cùm dilectus. 8. de conſuet.* ibi: *Sed dicunt, quòd Canonicus ſuſpenſus eligere non poteſt, quia cùm ſit ſuſpenſus, nihil retinet Officii.* Hinc renunciatio vocis activæ non poteſt aliter admitti, quàm renunciationes aliorum Officiorum, ſcil. à Superiore.

4. Si Superior immediatus, in quem electionis negotium fuit rejectum, tempore præfixo Eccleſiæ viduatæ non provideat, jus eligendi non ad primos Electores, ſed ad Superiores mediatos ſucceſſivè devolvitur uſque ad Papam, *cap. 1. de ſupplenda neglig. Prælat.*

5. Si in uno Capitulo vel Conventu non eſſent niſi tres vocales, poſſet per ſe loquendo unus vel duo ex illis renunciare ſuæ voci; quo caſu, *ſi nullus extra gremium Capituli habeat vocem paſſivam*, cum unus reſiduus non renuncians non poſſit eligere ſeipſum, ob præſumptionem ambitionis, poterit dici indirectê coactus, ut vel debeat extraneum poſtulare, vel permittere proviſionem Superiori. Ratio: quilibet poteſt renunciare ſuo juri privato, & favori pro ſe introducto, *cap. Cùm accepiſſent. 8. de Conſtit. cap. Ad Apoſtolicam. 16. de Regularibus ad tranſeuntibus ad Religionem* ergo etiam quilibet Elector poteſt renunciare juri eligendi pro una vel pluribus vicibus.

 6 Quòd

6. Quòd autem unus non renuncians non poſſit poſteà exercere actum ſui juris eligendi, eſt per accidens: Ei verò, qui proſequitur jus ſuum (ſcil. renunciantibus vocem activam, quam renunciandi facultatem habent) non imputatur effectus per accidens, & jure ſuo utens nemini facit injuriam, *L. Nullus*, 55. *ff. de R. J.* Hic vide dicenda infra *q.* 37. Nec dic: in re communi potior eſt conditio prohibentis. *cap.* 56. *de R. J. in* 6. ergò cùm electio ſit res communis, potiùs debet audiri non renuncians vel prohibens, & alii cogi, ut ad inſtituendam electionem compareant. Nam ℞. etſi actus electionis completus ſit res communis, tamen jus, quod quisque habet ad dandâm vocem, vel ſuffragium, non eſt res communis, ſed particularis, cuique electori propria.

7. Debet tamen in iſtis renunciationibus caveri dolus & fraus contra alios & damnum Eccleſiæ.

8. Dixi ſub initium numeri quinti: *Si nullus extra gremium Capituli habeat vocem paſſivam:* ſi enim quis extraneus tale jus haberet (de quo infra) non prohiberetur unus Elector, qui voci ſuæ non renunciavit, aliquem ex illis extraneis eligere, cùm jus Univerſitatis vel Capituli in uno ſolo poſſit conſervari, Donatus Laynenſis *Prax. Regul. tom.* 2. *p.* 1. *tr.* 2. *q.* 10. *n.* 4. Lezana *tom.* 1. *Summa. cap.* 15. *n.* 6.

9. Dixi n. 1. *In Electionibus contradiſtinctis ab Electione Papæ:* Cùm enim electio Pontificis non poſſit rejici in aliquem Superiorem, & recurrere ad viam Inſpirationis, vel Quaſi-inſpirationis, quâ tota Eccleſia ſine prævia electione unanimiter

miter peteret aliquem in Pontificem, non ſit moraliter practicabilis, hinc Cardinales, etſi nulla alia jura eſſent condita, vel conſtitutiones latæ, poſſent cogi vel ab aliis Epiſcopis, vel ab obligatione juris naturalis, ad perficiendam electionem, ne Eccleſiam univerſalem exponant magnis motibus & perturbationibus, ſi Electionem Pontificis diutiùs prolongarent. Quid quod Cardinales ex jure & debito Officii publici debeant procurare & perficere electionem Pontificiam: ergo adveniente neceſſitate explendi Officii non poſſunt omnes renunciare, ſicut nec alii Officiales ſuperiore invito poſſunt modò renunciare tunc, quando adeſt neceſſitas exequendi officium.

Nec eſt paritas inter Cardinales & alios Electores aliarum Eccleſiarum: quia alii Electores etſi etiam ipſi teneantur ex officio Eccleſiæ viduatæ providere de Paſtore, tamen illi habent Superiorem, in quem poſſint negotium electionis rejicere, & qui poſſit renunciationem Officii acceptare: at Cardinales Sede vacante non habent Superiorem talem. Unde etſi non omnes poſſint ad comparendum pro Electione Papæ, cùm ad id officium explendum omnes non ſint neceſſarii, tamen ſaltem aliqui aſtringuntur, tot ſcilicet, quot moraliter requiruntur, ut faciant Collegium ſufficiens, quod mereatur ab Eccleſia Univerſali acceptari. Imò aliqui ex jure veteri volebant, quòd ſi omnes Cardinales ſub Electione Pontificis uſque ad unum è Conclavi exirent, poſſit ille unus Pontificem eligere: Verùm hodiè Electio Papæ nequit valere, niſi ad minimum fiat à duabus par-

Digitized by Google

tibus Cardinalium, *juxta Conſtitutiones* Gregorii XV. *incip. Æterni Patris Filius. edita Anno* 1621. *relat: in Bullario Magno tom.* 2. *Conſtitutionum ejus n.* 13. & Urbani VIII. *in ejus Conſtitutionibus. n.* 45. *incip. Ad Romam.*

10. Dixi 2. n. 1. *Niſi ex abſentia inferatur damnum Eccleſiæ vel præjudicium bono communi:* Quod intellige non tantùm poſitivè, ſi nimirum damnum poſitivum enaſcatur, ſed & negativè, ſi nimirum ideò magna Eccleſiæ vel Communitatis utilitas negligeretur, quòd alter non compareat. Hinc peccati lethalis ſolet argui Elector, ſi ſuffragium dare negligat tunc, quando ſuffragio ſuo ſedare potuiſſet magnas diſcordias, vel avertere electionem indigni, aut notabiliter minus digni; aliàs enim in re gravi negligeret ſuum Officium. Et iſta obligatio eſt tam gravis, ut ſtringat etiam cum gravi periculo Electoris, & quidem quandoque vitæ ipſius: v.g. ut ſpecificat Paſſerinus, quando aliàs in Epiſcopum eligendus eſſet hæreticus; tunc enim damnum Communitatis præponderaret damno particulari, & quandoque vitæ ipſius Electoris. Et hæc obligatio teſte eodem Paſſerino durat, quamdiu Elector non eſt certus votum ſuum fore inutile ad avertendum tale grave damnum Eccleſiæ vel Communitatis. Nec ſatisfacit Elector, ſi in talibus caſibus ſe habeat negativè & neutraliter, cum teneatur loqui, ne aliàs tacendo conſentire videatur.

11. Dixi 3. ibid: *Niſi conſuetudo vel ſtatutum Collegii contrarium exigant:* Cùm enim electiones ex genere ſuo tendant ad bonum Eccleſiæ, & ex earum

earum ordinata expeditione magnum commodum Eccleſiis viduatis accreſcat, poteſt Capitulum ſtatutum etiam pœnale condere, ut omnes, qui adeſſe poſſunt, compareant; & ad hoc etiam compellantur: quia unuſquiſque cogi poteſt, ut Officio ſuo incumbat, quando bonum publicum id exigit: at Electoribus ex Officio ſuo incumbit, ut proſpiciant.

Dub. 2. *An & qui abſentes debeant vocari ad Electionem?*

℞. Sunt vocandi omnes habentes vocem activam, qui volunt, & commodè poſſunt intereſſe, *cap. Quia propter. 42. h. t.* Cenſentur autem commodè intereſſe non poſſe, qui ſunt valde remoti, *cap. Cùm inter univerſas. 18. h. t.* Quinam verò habeantur pro valde remotis, deſumendum eſt ex conſuetudine locorum, quæ aliquando habet, ut omnes in eadem provincia, imò & in eodem Regno exiſtentes vocentur, teſte *Gl. in d. cap. Cùm inter univerſas.* Sed hæc limitatio non placet Donato *loc. cit. tr. 4. q. 15. n. 1.* cùm fieri poſſit, ut electio fiat in Confinibus alicujus Provinciæ, & quòd Electores fortè reperiantur in altera illa Provincia vicina, quo caſu durum foret, ſi tales non eſſent vocandi, cùm fortè poſſent eſſe magìs vicini loco electionis, quàm alii, qui in eadem Provincia exiſtentes degerent in terminis ejuſdem è regione correſpondentibus. Hìnc juxta illum attendenda eſt conſuetudo menſuranda juxta commoditatem tempore præfixo perveniendi ad locum determinatum. Illud eſt certum, quòd de rigore pro electione Summi Pontificis abſentes debeant exſpe-

Digitized by Google

exſpectari tantùm diebus decem à morte Pontificis text. expreſſ. *Cap. Ubi periculum 3. §. hoc Sacro Concilio. h. t. in 6.* In aliis Electionibus ſolent quandoque Leges ſpeciales vel conſuetudines exprimere diſtantiam unius diætæ, ſive itineris, quod nuncius pedeſter uno die commodè perficere poteſt. Secluſis his Legibus vel conſuetudinibus omnes & ſoli ſunt vocandi, qui intra tempus electioni præfixum poſſint adeſſe, ſive locus, è quo vocantur ſit intra- ſive extra Provinciam, ſive ex neceſſitate, ſive ex voluntate abſint, Tamburinus *de Jure Abbatum. diſp. 5. q. 3.*

Dub. 3. *An ſit prolonganda hora uno vel altero noncomparente?*

℞. Præſentes poſſunt, ſed non debent prolongare. Ratio: citatus ad certum actum, cenſetur etiam eſſe citatus ad illam horam, quâ talis actus ſolet expediri, ergo ſi non adſit illâ horâ, cenſetur renunciâſſe, conſequenter non debet neceſſariò exſpectari. Deinde etſi in citatione non fuiſſet expreſſa hora, cenſetur tamen ſemper deſignata hora ordinariè ad tales actus adhiberi ſolita; quia quando hora eſt de conſuetudine, expreſſio diei habetur pro expreſſione horæ. Hinc abſentes citandi ſunt ad certam diem, non tamen neceſſariò ad certam horam: tunc enim ſubintelligitur citatio ad horam conſuetam, quâ tales actus Capitulares fieri ſolent. Unde præſentes horam conſuetam non poſſunt anticipare: Imò cùm hora conſueta habeat ſuam latitudinem, debent abſentes exſpectari uſque ad extremam partem dictæ horæ, teſte Leurenio *Fori benefic. tom. 2. q. 312. n. 3.* cum aliis.

Dub.

Dub. 4. *A quo & quomodò Electores ſint vocandi?*

℟. 1. Sunt vocandi à Superiore, v. g. Capituli Præſide, Decano Capituli, vel Priore, aut Vicario in Electionibus Regularium juxta formam & conſtitutionem cujuſvis Ordinis, Tabiena *V. Electio .n.* 10. aut à primo ratione dignitatis, qui in actis Collegii primam vocem habet, vel ab antiquiore ſive Seniore in profeſſione vel Capitulo.

℟. 2. Præſentes poſſunt congregari voce, vel campanâ, abſentes per certum nuncium vel literas, quibus intimetur locus, dies, & ordinariè hora electionis futuræ, & vocandi conſenſus ad intereſſendum electioni requiratur. Quòd ſi electio fiat certâ die ex ſtatuto generali præfixâ, ſufficit ſolam vacaturam intimare, uti fit in dignitatibus non perpetuis, ſed ſolùm temporalibus, quales ſunt provincialatus temporales in Ordinibus Regularibus. Ubi verò tempus & locus electionis & vacatio ſunt incerta, v. g. ſi dignitas Superioratûs non ſit exſpirans ad certum tempus, ſed ſolùm morte Superioris, debent Electores ſigillatim vocari.

Sicut autem ſunt vocandi omnes, qui debent, poſſunt, & volunt venire, hoc eſt, qui habent jus vocis activæ, aut exequendi aliquod officium neceſſarium circa electionem; ſic ècontra non ſunt curandi ii, qui vel nunquam habuerunt jus, vel ſi quod habuerunt, eo pro hac vice vel pluribus vicibus ſunt privati.

Dub. 5. *An ſi Electores ſigillatim, & non collegialiter congregati conſentirent in aliquam perſonam, electio ſit valida?* ℟. Ne-

℟. Negativè: eſt expreſſum *cap. in Geneſi. 55. h. t.* ubi expreſsè requiritur, ut Electio ſit *communis*, qualis non eſt, ubi Collegium non eſt congregatum; Huic tamen non obſtat, ſi Canonici capitulatiter congregati poſt electos Scrutatores ex Capitulo ad locum contiguum recedant ad dandum ſigillatim ſecretò vota ſua, ne ab aliis Electoribus audiri poſſint, & poſteà redeant ad audiendam votorum publicationem, & communem electionem: Ita Zerola *in praxi Epiſc. part.* 1. *V. electio. in formula Inſtrumenti Electiones.*

Dub. 6. *An Canonicus ſæcularis ingreſſus ſtatum Religioſum, durante Novitiatu debeat vocari ad electionem pro dignitate tunc fortè vacante in ſua Eccleſia ſæculari, in qua fuit Canonicus?*

℟. Si adſit præſens, velitque dare votum, debet admitti ad coëligendum: quia quamdiu non eſt profeſſus retinet omnia jura priùs habita. Per ſe tamen, & ex Jure communi probabiliùs non debet neceſſariò vocari: quia Novitiatus & abſentia in loco remoto æquiparantur, *arg. cap. Quamvis de procurat. in* 6. ubi ingreſſus Religionis & longa peregrinatio æquiparantur: atqui abſens è loco remoto non debet neceſſariò vocari: ergo nec talis Novitius, ita contra nonnullos alios Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. p.* 3. *alleg.* 99. *n.* 31. Si tamen fortè eſſet alicubi conſuetudo etiam vocandi abſentes è locis remotis, deberet etiam talis Novitius vocari; quia ratione Novitiatûs præcisè non debet eſſe deterioris conditionis quàm alii: & tunc ſaltem per procuratorem admittendus

tendus eſſet ad coëligendum. Secluſâ hac conſuetudine non tenetur Capitulum Procuratorem recipere.

Dub. 7. *An Elector juſtè incarceratus, aut in proprio cubiculo ſequeſtratus debeat ad electionem vocari, aut ſaltem electio debeat differri, eò quòd ſit brevi è vinculis liberandus?*

℟. *Ad primum*; Non debet vocari. Ratio: *cap. Quod ſicut.* 28. *h. t.* ſtatuitur, quòd abſentia eorum, qui *nequiverint*, vel *noluerint* accedere, electionem non poſſit impedire. Secundò juxta *cap. Quia propter.* debent convocari omnes, qui *commodè* poſſunt intereſſe: Incarceratus autem *commodè* non poteſt intereſſe: Etſi enim Superior talis incarcerati vellet tantiſper exitum permittere, hoc tamen non fieret *commodè*, cùm deberet timere, ne aufugeret. Si verò velit permittere exitum, ita tamen ut in loco Capitulari detineatur ligatus, electio fieret ab adhuc carcerato, & nondum libertati reſtituto, conſequenter eſſet nulla: nam geſta juridica à Carcerato, etiamſi ſit extra carcerem, dummodò ſit adhuc ligatus, & ſub poteſtate coërcitiva Judicis detentus, ſunt nulla, *arg. Cap. accedens.* 10. *de procurat.* Neque debet tali concedi Procurator, quia ſecundùm *cap. ſi quis* 46. *h. t. in* 6. conceditur Procurator ſolùm iis, qui *juſto impedimento* detinentur: impedimentum autem carceris, cùm ſit culpabile ex parte carcerati, non poteſt hoc ſenſu eſſe juſtum.

℟. *Ad Secundum:* Etſi brevì ſperetur liberatio è vinculis, ideò tamen non debet differri electio, Pellizzar. *in Man. Regul. tom.* 2. *tr.* 9. *cap.* 2. *Sect.*

Digitized by Google

Sect. 2. n. 71. in fine. Ratio; Præſes Capituli intra tempus à Jure præfixum habet jus decernendi diem electionis, & ad hunc non debet convocare, niſi eos, qui *commodè* poſſunt intereſſe: ergo etiam poteſt pergere non exſpectato illo incarcerato, qui pro tunc non poteſt *commodè* intereſſe.

Dub. 8. *Quid juris, ſi abſens superveniat, dum actus electionis jam eſt inchoatus?*

℞. Si fuerat contemptus, etſi veniat poſt publicatum Scrutinium, poteſt petere reſciſſionem omnium geſtorum, niſi malit pro bono pacis ratihabere, *cap. quod ſicut 28. h. t.* Si non fuerat contemptus, & veniat, dum fit Scrutinium, debet quidem admitti ad ſuffragia, & alia uſque ad finem, Scrutinium tamen inceptum non debet ex ovo reiterari. Si veniat Scrutinio publicato, eſt ſolùm admittendus ad ea, quæ reſtant facienda, jam factis in ſuo robore permanentibus, debet enim id ſuæ negligentiæ imputare. Pellizzarius *l. c. n. 73.*

Dub. 9. *An Capitularis abſens, qui ſcit vocationem Eccleſiæ & diem Electioni futuræ præfixum ſit ulteriùs per literas aut ſpecialem nuncium neceſſariò citandus?*

℞. Negativè: Ita P. Reiſtenſtuel *ad Jus Canon. tom. 1. tit. de Elect. & Electi poteſt. §. 5. n.* 117. cum Abbate & Paſſerino. Ex ratione, quòd certus non debeat ampliùs certiorari *cap. 31. de R. J. in 6.* & quòd vocatio abſentium non pertineat ad ſubſtantialem electionis formam, ſed ſolùm ad Juſtitiam & ſolemnitatem; adeoque ſuppleatur per notitiam certam aliunde hauſtam. Unde ſi talis

Digitized by Google

talis non venerit, ſibi debet imputare; cenſetur enim Electioni nolle intereſſe, & pro nunc voci renunciare.

Dub. 10. *Quomodò Electores abſentes ſint citandi?*

Si ſciatur ubi degant, ſunt ſingulariter per literas vel nuncium vocandi, niſi de conſuetudine aliter ſervetur. Si neſciatur, ubi degant, citatio eſt facienda per publicum edictum in Eccleſia vel alio loco, ubi commorari ſolebant, affigendum.

Dub. 11. *An & quomodò Electio contemptis ſive non vocatis aliquibus ſubſiſtat, vel poſſit impugnari?*

℞. Si quiſpiam præſens contemnatur, eò quòd ipſius votum non exquiratur, Electio eſt ipſo jure nulla, utpote facta contra formam cum clauſula irritante expreſſam *in cap. quia propter.* Ubi jubentur Scrutatores vota *cunctorum* diligenter exquirere. Si verò contemptus unius tantùm vel paucorum ſit prævius eò quòd nimirum non fuerint vocati, Electio non eſt irrita ipſo jure, poterit tamen non-vocatus agere de contemptu, & ad ipſius inſtantiam Electio eſt irritanda, niſi malit pro bono pacis electionem ratihabere, *cap. Quod ſicut. 27. h. t.* Vide etiam *cap. 24. & cap. 36. eod.* Unde patet, quòd ex titulo contemptûs nullus alius ex Electoribus poſſit Electionem impugnare, niſi is, qui contemptus eſt; huic enim ſoli injuria facta eſt, & is ſolus ratificando poteſt facere, ut Electio firmetur. Excipe contra Fagnanum *in cap. Quia propter. n.* 40. niſi plus quàm

tertia pars Electorum fuiſſet contempta: Hinc ſi ex duodecim Vocalibus quinque (qui commodè poſſunt & volunt intereſſe) fuiſſent contempti, electio ab aliis ſeptem celebrata non tantum ad illorum contemptorum inſtantiam eſſet irritanda, ſed & ipſo jure invalida, *arg. L. Nulli & L planè. ff. Quod cujuſque Univerſitatis* ubi non valet actus Univerſitatis, niſi cum duæ partes adeſſent, aut ampliùs quàm duæ. Ita P. Reiffenſtuel. *loc. cit. n.* 120.

Alii cum Barboſa, Tamburino, Paſſerino & Leurenio *Fori benefic. tom.* 2. *q.* 314. Formant hanc regulam; Quòd ſi ex vocandis tot non vocentùr, ut præſentes non poſſint conficere illum ſuffragiorum numerum, qui juxta Leges vel conſuetudines requiritur, ut quis cenſeatur electus, electio facta à præſentibus eſt ipſo jure irrita: Hinc ſi Capitulum haberet perſonas vocales viginti quatuor, & in concurſu poſtulationis cum electione adfuiſſent vocati ſolùm quindecim vel ſedecim; poſtulatio non ſubſiſtit, etſi omnes excepto uno in poſtulatum conſenſiſſent. Si verò electio ſola fuiſſet peracta, & fuiſſenr vocati ſolùm duodecim vocales, electio eſt ipſo jure irrita. Ratio: quia in concurſu electionis cum poſtulatione poſtulatus habere debet duas tertias omnium, qui volunt, poſſunt, & debent ad electionem admitti: Si electio verò ſit abſque poſtulationis concurſu, debet Electus habere ad miuus unum votum ultra medietatem omnium habentium jus vocis activæ, qui dicto modo ſunt ad electionem admittendi: at in caſibus poſitis neque poſtulatus poſſet

poſſet accipere duas tertias, ſi ex ſedecim etiam tantùm unum votum daretur electo: neque Electus haberet ultra medietatem, etſi omnia duodecim ſuffragia in ipſius favorem fuiſſent data: ergo: Fundamentum vel ratio nullitatis in iſtis actibus non eſt contemptus & injuria non vocatis illata (nam vocatio abſentium eſt ſolùm de juſtitia, non de forma ſubſtantiali electionis) ſed defectus ſufficientium votorum, qui repugnat ſubſtantiæ Electionis.

Econtra ſi in poſtulatione cum concurſu Electionis vocati fuiſſent ſeptendecim, & uno Eligente reliqui unanimiter eandem qerſonam poſtulaſſent, aut in Electione ſola adfuiſſent vocales tredecim, qui omnes in unam perſonam conſenſiſſent, Electio, aut poſtulatio non eſſent ipſo jure irritæ, ſed ſolùm ad inſtantiam non vocatorum irritandæ. Exinde poteſt formari regula proportionis ad alios caſus, ita ut ſive unus tantùm, ſive plures fuerint contempti & non vocati, debeat ſemper Electus habere ultra medietatem, & Poſtulatus duas tertias non ſolorum præſentium, ſed omnium habentium jus vocis activæ, qui poſſunt & volunt, & debent admitti.

Dub. 12. *Quid ſi periculum ſchiſmatis, intruſionis, abusûs Laicæ poteſtatis aut alterius gravis mali eſſet in mora ob diſtantiam Vocalium, ut non poſſint aliqui abſentium vocari?*

℟. In hoc caſu poſſunt, & debent alii præſentes ad Electionem procedere, cæteris non vocatis, *cap. Cùm inter Univerſas.* 18. & *cap. Quòd ſicut.* 28. *h. t.* ibi: *ſi tamen ſine periculo potuerint convocari.*

cari. In praxi Judex arbitrabitur, quando & à quo loco abſentes ſint vocandi: habito tamen reſpectu ad conſuetudinem & periculum in convocatione imminens. Et ſi Judex determinaverit, quinam commodè vocari non valeant, poterunt reliqui ſine iſtis in Electione progredi. Si poſteà non vocati litem moveant, ad illum Superiorem, cujus eſt Electionem confirmare, ſpectat dijudicare, num quis abſentium commodè potuiſſet ac debuiſſet vocari, Layman *in cap. Coram. n. 2. h. t.* apud Reiffenſt. *l. c. n.* 119.

Dub. 13. *Quid viciſſim ſentiendum de illis, qui cœpto Electionis actu vel tractatu egrediuntur è loco Electionis?*

℟. Si major Capituli pars ſic egrediatur, cenſentur velle actum Capitularem diſſolvere, unde reguláriter tenetur minor Capituli pars ſe conformare, *arg. cap.* 1. *de his, quæ fiunt à majori parte Capituli.*

Excipe I. niſi inſtet terminus ad electionem faciendam à Jure præfixus, tunc enim minor pars præſens poſſet in electione pergere, *arg. cap. ult. diſt.* 65. Cùm in tali termino dies ipſa ac Jus pro homine interpellet, & nullus teneatur jus ſuum propter aliorum abſentiam dimittere.

Excipe II. niſi ex conſuetudine vel ſtatuto Eccleſiæ unus v. g. Decanus vel Senior haberet jus decernendi diem electionis: tunc enim aliis venire negligentibus, vel temerè recedentibus jus eligendi remanet in ſolis remanentibus, etiamſi hi faciant partem minorem Capituli teſte Pirhing *h. t. n.* 137. Et quidem in utroque hoc caſu poterit etiam unicus

Digitized by Google

unicus remanens progredi ad Electionem: quia etiam in uno ſolo jus Capituli remanere poteſt, *L. ſicut ff. quod cujuſque univerſitatis nomine.* Quòd ſi aliqui ſolùm è loco electionis ad actus extraneos recedant, poteſt major pars remanens in electione pergere, *arg. cap. cùm nobis.* 19. *h. t.* nam paria ſunt, non venire, & non exſpectare finem, *cap. Certum eſt. XI. q.* 3. & *cap.* 1. *de Judiciis.* Unde tales recedentes fruſtra proteſtantur, & appellant, quia recedendo fecerunt ſe à Capitulo & Jure vocandi alienos, *d. cap. Cùm nobis.* adeoque tanquam alieni non ſunt ampliùs curandi, nec ſpectant ad Electionem. Vide Card. de Luca. *diſcurſu* 27. *de Canonicis. n.* 9.

Dub. 14. *Quiſnam Judex habeat poteſtatem arbitrandi, quinam abſentes juxta dub.* 12. *ſint vocandi?*

℞. 1. Non Confirmator: quia ad hunc ſolùm ſpectat poſt electionem dijudicare, an aliquis non vocatus debuerit, & potuerit vocari: antecedenter ad Electionem per ſe loquendo Confirmator non poteſt ſe intromiſcere, niſi Confirmator eſſet ſimul Superior totius Capituli.

℞. 2. Hoc ergo arbitrium ſpectat ad Præſidem Electionis, nam is qui habet poteſtatem abſentes convocandi & Electionem dirigendi, debet quoque habere poteſtatem immediatè diſcernendi quinam abſentes ſint vocandi: ſed Capituli Præſes habet poteſtatem abſentes convocandi & Electionem dirigendi: ergò. Ita Paſſerinus cum Leurenio *Fori benef. tom.* 2. *q.* 305. contra nonnullos alios: ubi tamen monetur, quòd, cùm totius Capituli interſit, ne quis facilè ob abſentiam excludatur, & ſic tota electio

periculo nullitatis exponatur, non poſſit nec debeat Præſes aliquid decernere ſine conſenſu majoris partis præſentium Capitularium.

Dub. 15. *Quoſnam illa particula* commodè *denotet, dum dicitur vocandos eſſe illos qui commodè poſſunt electioni intereſſe: An reſpiciat commoditatem Eccleſiæ, an Electorum abſentium?*

℞. Denotat, & reſpicit commoditatem Eccleſiæ, non ipſorum abſentium. Nam Electio & exſpectatio abſentium refertur ad bonum Eccleſiæ: ergo ſi hoc bonum poſtulet, aut imminens grave Eccleſiæ damnum exigat Electionem maturari, non erunt neceſſariò vocandi omnes abſentes; etſi aliàs fuiſſet conſuetudo omnes abſentes convocandi. Neque conſuetudo vim quandam habere poteſt, ubi Eccleſia patitur præjudicium. Tale incommodum erit, ſi ex dilatione Electionis immineat periculum Schiſmatis, vel abusûs poteſtatis ſæcularis: Vel ſi abſentium quiſpiam moretur in loco quodam contagioſo; qui neceſſariò non eſt vocandus, ne nimirum contagio etiam ad ipſam Eccleſiam ſimul advehatur; aut ſi aliquis ſit valde remotus à loco Electionis, quales remoti non ſunt vocandi neceſſariò, etſi nullum aliud grave damnum Eccleſiæ immineret: quia hoc ipſum cenſetur eſſe incommodum Eccleſiæ, quòd vocare debeat valde remotos. Quinam ſint habendi pro valde remotis, vide ſupra *dub.* 2.

Dub. 16. *An renunciatione ſemel abſolutè factâ atque à Superiore acceptatâ, poſſit renuncians pœnitere, & renunciationem ſuam revocare?*

℞. Ne-

Digitized by Google

℞. Negativa defenditur à Donato *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 1. *tr.* 2. *q.* 18. *n.* 4. eò quòd per talem acceptationem extinguatur jus renunciantis, & remittentibus actiones ſuas non ſit ampliùs regreſſus ad eas dandus, *L. Quæritur.* 14. §. *ſi venditor.* 9. 9. *ff. de ædilitio edicto.*

Econtra Affirmativæ patrocinatur Leurenius. *Fori Benefic. tom.* 2. *q.* 307. *cum Gl. in cap. Eccleſia veſtra de Elect.* cum Paſſerino, Sylveſt. Angelo &c, quia licèt quis renunciare poſſit juribus ſibi in propriam utilitatem datis, v. g. Voci paſſivæ, non tamen juribus ad utilitatem publicam conceſſis, ad quæ exequenda obligatur (quale eſt jus vocis activæ) adeoque locus eſt pœnitentiæ utilis Eccleſiæ de malè facta hac renunciatione. Ita ille.

Verùm hæc ſententia impugnat ipſam renunciationem in radice, & vult illam non potuiſſe fieri: contra quod faciunt dicta *dub.* 1. *n.* 2. ubi ex text. *Cap. Cauſam quæ.* 8. *de Elect.* patet, quòd Electores totum Electionis negotium in Superiorem poſſint rejicere: ergo à fortiori poterunt renunciare.

Facilior locus conceditur huic ſecundæ ſententiæ, ſi renunciatio non fuerit abſolutè & ſimpliciter facta, ſed duntaxat poteſtas eligendi ſit alteri tanquam Procuratori, vel Compromiſſario commiſſa tunc enim juxta Jus commune res dicitur non amplius eſſe integra, & conſequenter commiſſio irrevocabilis, quando aliquid ſubſtantiale electionis eſt habitum *cap. In cauſis.* 30. §. *Quia verò. de Elect.* de quo plura vide infra *q.* 7. *dub.* 1.

Suppoſito autem quòd is, qui voci activæ re-

nunciavit ſimpliciter pœnitere poſſit, vocandus eſt ad Electionem, poſtquàm reaſſumptionem vocis ſufficienter vel Superiori vel Capitulo notificavit; aliàs poterit agere de contemptu. Debet tamen admitti ſolùm in ſtatu & terminis, in quibus electionem invenit, dum ad Capitulum rediit eligendi gratiâ, adeoque quæ antecedenter abſque illo ſunt facta, rata manent, nec iterari debent. Leurenius *loc. cit.*

Dub. 17. *An & quomodò inhabiles vel privati voce activâ ad votandum ſint vocandi?*

℞. Si liquidò adſit inhabilitas ſubſtantialis conſiſtens in carentia qualitatis à Jure ad formam requiſitæ, non debent vocari. Idem dic de inhabilibus pœnaliter, poſtquàm per Judicis ſententiam ſunt declarati inhabiles. Nam iſti non habent jus vel ſaltem ullum uſum Juris vocis activæ.

Qui obnoxii ſunt delicto, cui privatio vocis activæ per modum ſolius ſententiæ *ferendæ* eſt appoſita, debent vocari ante ſententiam latam; quia euſque jus ſuum vocis activæ retinent.

Qui obnoxii ſunt delicto, cui privatio vocis activæ per modum ſententiæ *latæ* eſt appoſita, etſi necdum ſint declarati, dummodò crimen ſit notorium, aut ſufficienter in judicio probari poſſit, poſſunt, & ad vitandas lites quandoque expedit vocari, attamen per ſe loquendo non debent neceſſariò vocari, quia licet tales ante ultimatam declarationem criminis adhuc habeant aliqualem vocis activæ poſſeſſionem, & quoddam jus, illud tamen ſummè eſt infirmum & nullum declarandum, & quidem per ſententiam Judicis retrotrahendum ad

Digitized by Google

ad diem criminis commiſſi, in tantum, ut poſtquàm in judicio de crimine conſtiterit, talium quiſpiam judicandus ſit privatus voce tempore electionis, tanquam nullum jus ad illam habens, & ſi ante ſententiam criminis declaratoriam de contemptu agat, eſt quidem audiendus, non tamen ad ejus inſtantiam caſſanda electio; cùm nulla illi facta ſit injuria. Leurenius *loc. cit. q.* 309.

Dub. 18. *An ſi qui abſentes vocati venire neglexerint, & poſteà ob non conſenſum Electi nova Electio ſit habenda, an inquam abſentes denuò ſint vocandi?*

℞. Negativè: dummodo hæc electio quaſi in continenti fiat: quia iſta nova electio habet ſe conſecutivè ad primam, ad quam citati fuerant, & quilibet Electorum ſcire debet, quòd ſi electus non conſentiat, electio non ſit differenda. Sic nec illi ſunt denuò citandi vel monendi, qui dum in prima vocatione nullus Canonicè fuit electus, Capitulo nondum diſſoluto receſſerunt: hi enim etiam ſcire poterant & debebant, quòd Electores poſſint ſæpiùs actum electionis repetere toties, quoties neceſſe fuerit, & donec aliquis legitimè eligatur; unde recedendo cenſentur voci ſuæ renunciâſſe; Neque prætendere poſſunt, quòd ſibi non perſuaſerint, vel non cogitaverint, fore ut iterum ad Electionem procederetur; nam ſuam inconſiderationem ſibi debent imputare.

Dub. 19. *An ad debitam citationem abſentium requiratur, ut citandis inſinuatur dies certa electionis futuræ?*

℞. Si Electoribus præſentibus conſtet abſen-

tem ſcire determinatè diem & locum Electionis, aut ſi dies Electionis ſit determinata à Jure vel conſuetudine; aut ſi modò abſens priùs interfuerit, dum determinaretur dies, & poſteà receſſerit; aut ſi vocatus ad deſignandam electionis diem abſque legitimo impedimento non comparuerit, non eſt denuò citandus: quia tales diem jam ſciunt, & conſequenter tanquam certi ulteriùs certiorari non debent, *arg. cap. Qui certus eſt. de R. J. in 6.* vel ſcire poſſunt, & non volunt, & conſequenter incuriæ ſuæ imputare debent. Econtra qui die Electionis necdum determinatâ recederet, adhuc citandus eſt pro die certa, etſi Præſes Electionis talem moneret, ne recederet, aliàs non eſſe denuò vocandum, quia prætextu Electionis futuræ incertæ non poteſt Elector impediri, ne ſuis negotiis peragendis invigilet. Excipe: niſi Præſes recedenti intimâſſet, brevi pòſt tempore futuram electionem, intra quod recedens non poſſet denuo commodè vocari: tunc enim novâ citatione non foret opus.

§. III.

De Scrutatoribus.

Dub. I. *An Scrutatores debeant eſſe neceſſariò aſſumpti de Collegio?*

℞. Affirmativè. Eſt expreſſum *cap. Quia propter. 42. v. aſſumantur de Collegio. h. t.* & docet Magnificus & Ampliſſimus D. D. Braun *in princ. Jur. Canon. tit. 6. concl. 3.* & concordat communis opinio cum Abbate, Joaune Andrea, Hoſtienſi, Rebuf-

Rebuffo, Sylveſtro, Angelo, Tabiena Roſella, Azor & aliis pluribus allegatis in Deciſione Rotali *in una Trevirenſis Abbatiæ S. Maximini coram Reverendiſſimo D. Decano Coccino* 20. *Novembr.* 1624. qui omnes docent electionem eſſe nullam, ſi admittantur Scrutatores, qui non ſint de Collegio. & *Ratio eſt:* quia membra Collegii præſumuntur cum majori fidelitate negotium electionis agere, quàm quivis alius, etſi fortè eſſet ejuſdem Ordinis. Præterea cùm *in d. cap. Quia propter.* ſubjungatur, electionem aliter factam non valere, rectè infertur, eſſe de ſubſtantia electionis, ut Scrutatores aſſumantur de Capitulo vel Collegio. Excipe, niſi Electores *omnes* ſponte conſenſiſſent in unum vel plures extra Collegium: Sicut enim poſſunt de communi conſenſu aliquos extraneos admittere ad coëligendum, *cap. ſcriptum.* 40. *h. t.* Sic etiam poſſunt extaneos admittere ad ſcrutanda vota, ita fermè Wagnereck *in cap. Quia propter. v. aſſumantur tres de Collegio. Quæres utrum.* cum aliis contra quoſdam tacito nomine.

Dub. 2. *An Scrutatores debeant aſſumi ſolùm per Capitulares, an poſſint etiam ab aliis deſignari?*

℞. Regulariter, debent aſſumi tantùm per Capitulares. Ratio: *d. cap. Quia propter.* ſtatuitur, ut convocatis omnibus aſſumantur de Collegio Scrutatores tres; hoc autem refertur ad eos, quibus incumbit in eodem Capitulo habere tractatum, quod ſolùm incumbit Electoribus.

Deinde ſponte ſe ingerentes habentur ſuſpecti, *L. quæ omnia.* 25. *ff. de Procuratoribus & Defen-*

Digitized by Google

Defenſoribus. Si tamen quidam Vocalium caſu ſe ingererent in hoc officium Scrutatorum tacentibus aliis de Capitulo, & quidem in talibus circumſtantiis, in quibus ceſſaret ſuſpicio & præſumptio, quòd per potentiam violentam aliis invitè tacentibus id agant juxta Barboſam *de Jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 189. Electio ideò non eſt irrita, quia tunc cenſentur implicitê ad hoc officium aſſumi.

Dixi: *Regulariter debent aſſumi:* Nam fieri poteſt, ut certæ perſonæ ad hoc ſint deſignatæ ex conſuetudine, ſtatuto, vel lege, v. g. in tali vel tali Officio aut Dignitate conſtituti; aut Seniores de Capitulo: quia licet *c. Quia propter* dicatur, quòd Scrutatores tres debeant aſſumi de Collegio, non tamen ibidem additur, quòd ita aſſumptio vel deſignatio fieri debeat per ipſum Capitulum, ſed tantum inſinuatur, quòd debeat fieri præſente Capitulo: ergo non eſt contra hunc Canonem, quòd Scrutatores deputentur per Superiorem, aut per Statutum. Præterea: Aſſumptio Scrutatorum non eſt rigoroſa electio: ergo non eſt menſuranda juxta regulas rigoroſæ electionis: ergo nec debent Scrutatores præcisè per ipſum Capitulum congregatum deſignari; Imò in hac ipſa aſſumptione tacitus Capitularium præſentium conſenſus intervenit: Si enim à Lege vel Statuto deſignati ſe aliquâ ratione reddiderint ſuſpectos, poſſunt reliqui Capitulares contra illos excipere, ergo ſi taceant, conſentire videntur, *arg. c.* 43. *de R. J. in* 6. Ita Leurenius *Fori Benef. tom.* 2. *q.* 336. Ubi ex Paſſerino addere licet, quòd ſi Officium Scrutatoris ad aliquem ratione Senioritatis ſpectet, iſto

iſto abſente vel impedito in ejus locum ſubintret alius Senior ex præſentibus. Si verò alius quis ex alio titulo, v. g. ratione Dignitatis hoc Officium habeat, iſto impedito, non ſubintret neceſſariò antiquior illo, ſed alius ſit eligendus.

Dub. 3. *Quâ forma Scrutatores debent aſſumi vel eligi?*

℞. Non formâ verâ electionis ſcrutinialis, quia ſi talis forma eſſet neceſſaria, iterum deberent adhiberi Scrutatores; & de iiſdem iterum formabitur quæſtio, an per alios Scrutatores, & ſic per proceſſum in infinitum Scrutatores eſſent multiplicandi. Unde ſufficit modus arbitrarius poteſtque deſignatio iſta Scrutatorum fieri per vota publica aut Scrutinium publicum, vel ſaltem per compromiſſum in unum aut plures, qui omnium nomine Scrutatores determinent. Si deſignatio Scrutatorum fiat per Capitulum ipſum, debent Capitulares eſſe legitimè congregati: nam iſta deſignatio eſt actus Capitularis, qui non poteſt fieri niſi à Capitulo congregato: debetque is, qui Scrutator futurus eſt, habere majora, hoc eſt; ſupra medietatem, ut communiùs ſentiunt Doctores.

Dub. 4. *An numerus ternarius Scrutatorum poſſit minui?*

℞. Si jus eligendi penes unum tantùm reperiatur, ſcil. reliquis mortuis, voce activâ privatis, aut electioni activæ hìc & nunc reſignantibus, nullus omninò Scrutator requiritur; Si remaneat illud Jus apud tres tantùm, requiruntur Scrutatores duo, vel ſaltem unus cum teſtibus. Ratio: quando Lex non poteſt ſervari in totum, ſi habeat

mate-

materiam diviſibilem, debet ſervari in tantum, quantum poteſt, atqui *cap. quia propter.* requirens Scrutatores tres habet materiam diviſibilem, & non poteſt ſervari in totum, quando Electores ipſi non excedunt numerum ternarium; poteſt autem ſervari quoad Scrutatores duos, vel unum, ergo debet ſic ſervari.

Si denique Eligentium ſint ad minus quatuor, vel plures, requiruntur ad valorem ad minimum Scrutatores tres, ut patet *ex d. cap. quia propter. v. aſſumantur tres de Collegio.* Ubi ſubjungitur clauſula irritatoria ſecùs factorum, & hoc quidem ex jure communi; at ex jure ſpeciali approbato à Sede Apoſtolica, referuntur Theatini, poſſe adhibere ad libitum majoris partis Capituli Scrutatores duos vel tres.

Dub. 5. *An numerus ternarius Scrutatorum poſſit augeri?*

℞. Pro Affirmativa ſtat Lezana *tom. 2. cap. 12. n. 28.* Pellizzarius *tom, 2. Man. Regular. tr. 9. cap. 2. Sect. 1. n. 24.* Wagnereck *in Cap. quia propter. V. aſſumantur tres de Collegio. Quæ res utrum.* Ratio. per hoc, quòd quatuor vel quinque Scrutatores adhibeantur, redditur electio certior, & ſecurior, ergo per hoc non fit contra finem Legis.

Quid quòd duæ Declarationes Cardinalium à Suare referantur in favorem hujus ſententiæ. Neque timendum eſt de violando ſecreto, ſi quatuor vel quinque Scrutatores admittantur; ſi enim poſſit ſervari Secretum, quando ſunt Scrutatores tres, etiam bene poterit ſervari, ſi ſint quatuor

vel

vel quinque. Aliud foret ſi Scrutatores nimiùm multiplicarentur. Ita iſti.

Econtra pro Negativa ſtat Deciſio Rotalis *in una Trevirenſis Abbatiæ coram Reverendiſſimo D. Decano Coccino. die* 20. *Novembr.* 1624. expreſſis verbis aſſerens, eſſe communem & indubitatam ſententiam debere tantùm tres eſſe Scrutatores, & non plures, aliàs electio non valeat: Et pro hoc allegat Abbatem, Immolám, Innocentium, Joannem Andream, Rebuffum, Joannem de Friburg, Tabienam *V. Electio.* 1. *n.* 20. *verſ. Secundum quod.* Angelum. *v. eodem. n.* 26. Azor *Inſt. Moral. p.* 2. *lib.* 6. *c.* 14. Roſellam, Sylveſtrum, Rodriquez & plures alios. Et hinc Rota cenſuit Electionem in dicta Abbatia, præter cætera etiam ex hoc capite fuiſſe nullam, quòd in ea fuerint Scrutatores ſex, tres de Collegio, & tres extra Collegium, cùm tamen non poſſint eſſe plures quàm tres, & quidem omnes de Collegio: Ita ibi, ubi etiam *n.* 5. additur quoſdam D. D. exiſtimare, quòd opinio admittens Scrutatores ſupernumerarios, etiam extra Collegium vel Capitulum, ſit in Curia recepta: Verum hoc ipſa Deciſio Rotalis negat: Nec obſtat 1. quòd utile per inutile non vitietur, *cap. utile* 37. *de R. J. in* 6. ergo nec actus à Scrutatoribus tribus legitimis vitiabitur per additionem aliorum Scrutatorum ſupernumerariorum: Nam regula in antecedenti allegata locum non habet, quando aliquid inducitur pro forma ſubſtantiali, prout eſt, quòd tres tantùm eligantur Scrutatores de Collegio. Nec obſtat 2. quòd in Curia Romana confir-

mata

mata fuerit Electio Abbatis Tullenſis, licèt in ea fuerint ſex Scrutatores adhibiti, tres de Collegio, & tres extra Collegium.

Nam hæc electio ut rectè Rota advertit in *Cauſa Metenſis Monaſterii* 4. *Julii* 1621. per Summum Pontificem potuit confirmari ex gratia, non autem ex eo, quòd electionem cenſuerit eſſe validam. Ita ibi.

Volunt quidem aliqui, quòd eligi poſſit quartus Scrutator, qui unà cum Notario ſcrutetur Scrutatores, rectiùs tamen tenent alii, & communiter ſervatur, quòd duo ex Scrutatoribus tertium ſcrutentur, qui modus ſcrutandi cenſetur eſſe ſecundùm formam. *cap. Quia propter.*

Dub. 6. *An Scrutatores teneantur jurare de præſtanda fidelitate, & ſervando Secreto?*

℞. De jure communi non tenentur; quia nullibi hoc Jus reperitur: In aliquibus tamen Eccleſiis uſu receptum eſt, ut tale juramentum præſtent.

Dub. 7. *Quales eſſe debeant Scrutatores?*

℞. I. Quòd debeant eſſe de gremio, dictum eſt dub. 1.

II. Quòd etiam debeant eſſe *fide digni*, patet ex textu claro *cap. quia propter.* Cùm verò iſta particula (*Fide dignus*) in textu apponatur ſolùm per modum admonendi, hinc D. D. inferunt, quòd ſolùm ſit de juſtitia, & non de ſubſtantiali forma electionis: adeoquè ſi Capitulum conſentiat in Scrutatores non ſatis dignos fide, vel notatos ſolâ infamiâ facti, non poterit reſilire, & electio ſubſecuta (ſi nullo alio vitio laboret) non erit ad alicujus inſtantiam caſſanda.

III.

III. Debent eſſe liberi à ſurditate & cœcitate perfecta: quia ſi procedatur per ſchedas, requiritur, ut Scrutator eas poſſit legere, ac eligentes videre; quod cœcus non poteſt: Si verò procedatur per Scrutinium auriculare oretenus prolatum & exceptum; ſurdus hujus eſt incapax. Urceanus putat, dum proceditur per Schedas, non poſſe opponi ſurditatem Scrutatori: aliiècontra dicunt, quòd Scrutator debeat poſſe audire publicationem Scrutinii, ne tam ipſe quàm Capitulum decipiatur à duobus reliquis Scrutatoribus publicantibus majorem ſuffragiorum numerum in favorem alicujus, quàm reipsâ ſubſit. Et hinc communior vult; quòd etiam ſurditas poſſit opponi Scrutatori; dum proceditur per Schedas. Poſſet quidem replicari, quòd ſurdus iſte ſaltem videat, ſi alius promulgetur, quàm ipſe ſciat promulgendum eſſe; adeoque deceptionem ſtatim valeat detegere: Verum hoc vix ſuccedet ſine notabili perturbatione totius Capituli; cùm ipſe faciliùs à duobus ſupplantari, quàm ipſe duos ſuperare valeat.

IV. Omnia ea; quæ impediunt vocem activam, ſive Jus eligendi, etiam impediunt Officium Scrutatoris. Quænam verò vocem activam impediant, *Sect*, 2. explicantur.

§. IV.

De Modo tradendi vel exquirendi vota.

Dub. 1. *An vota poſſint tradi vel excipi voce vivâ; an debeant eſſe in ſcripto?*

 ℞. Ex

℞. Ex Jure communi poteſt Elector vivâ voce coram Scrutatoribus edicere ſuum votum, quod poſteà Scrutatorum aliquis debet ſcriptis annotare. Aſt hodie Jure novo conformiter ad mentem Tridentini *Seſſ. 25. de Regul. cap. 6.* debet in Electionibus Prælatorum Regularium in Monaſteriis virorum quilibet Eligentium ſuum votum deferre ſcriptum in Scheda, quam coram Scrutatoribus mittit in calicem, vel aliud vas quoddam ad id paratum, ut ſic votum, antequàm Scheda aperiatur, nequidem Scrutatoribus innoteſcat. Et ſic declaravit Pius V. ad ſupplicationem multorum Religioſorum, ut omnes electiones fiant ſecretò, mediis Schedulis, quæ peracto Scrutinio coram Capitulo ſunt cremandæ, ſecùs irritæ ſint Electiones, ut refert Donatus *tom. 2. part.* 1. *tr.* 1. *q.* 6. *n.* 6. ex Rodrig. *tom. 2. Bullar. in fin. Bull. hujus Papæ.* Pellizzarius tamen *Man. Regul. tom. 2. tr. 9. cap. 2. Sect. 1. n. 26.* aliique volunt, poſſe adhuc ſervari formam & modum Juris communis, eò quòd Tridentinum velit ſolùm vota ita eſſe Secreta, ut nunquam publicentur, quæ omnia ſalvari poſſunt, etiamſi vota oretenùs eſſent prolata. Verùm Declaratio Pii V. ſi oſtendatur authenticè, & alicubi ſit recepta, eſt contraria. In praxi videtur ſtandum conſuetudini.

Dub. 2. *In quo loco Scrutatores vota Eligentium ſcrutari, aut exquirere debeant?*

℞. In loco aliquo reſpectu Eligentium publico, ita nimirum, ut ſit in conſpectu eligentium, atque hi omnes à longè videre valeant, quid agatur ne fraus aliqua committatur. Debet tamen

locus

Digitized by Google

locus iſte ab Electoribus in tantum eſſe ſeparatus, ut ſi Scrutinium ſit auriculare, alii de Capitulo non valeant audire Scrutatores inter ſe, vel cum Electore, cujus votum exquirunt, loquentes: aut ſi Scrutinium fiat per Schedas, alii non valeant Schedas inſpicere & legere dum aperiuntur.

Dub. 3. *An ad vota exquirenda requiratur, ut Scrutatores alloquantur eos, quorum vota ſcrutantur?*

℞. Negativè: ut habet communior contra Barboſam *ad cap. quia propter. n.* 20. Unde ſufficit, quòd illi Scrutatores audiant ipſos Electores ad ſe ſponte accedentes, & vota ſua exprimentes. Nam ipſo facto cenſentur alloqui & interrogare, quò ſolent tanquam deputati, ad Officium audiendi & conſcribendi ſuffragia ſingulorum. Adeoque non eſt multa vis facienda in hoc verbo, *exquirant:* quod *in cap. quia propter*. reperitur. Multò minùs iſtud alloquium requiritur, dum electio fit per Schedas, tunc enim ſufficit, ſi Scrutatores attendant, ne Electores in urnam ponant plures Schedas, vel unam extrahant, vel dent aliquam notatam ſpeciali ſigno, aut aliud quid præjudicioſum agant.

Dub. 4. *An Scrutatores debeant Electores interrogare, ex quo motivo, affectu, vel conſcientia hunc vel illum eligant? aut an aliquibus meritis vel zelo nominatus fulgeat?*

℞. Negativè: Ita communior contra Barboſam *l. c.* quia nullo textu Juris vel ratione, quod vel ſubſtantia electionis, vel aliud quoddam præceptum hoc exigat, probatur.

Dub. 5. *An Scrutatores teneantur admonere vel corrigere, dum advertunt Electores in votando errare, aut aliquid electioni præjudicioſum attentare?*

℟. Affirmativa eſt communis, idqae vel ex charitate, vel juſtitia, aut vi ſui Officii.

Dub. 6. *Quomodò vel à quo Scrutatorum vota ſint exquirenda.*

℟. Ad hoc non eſt adhibendus Scrutator quartus: quia *cap. Quia propter.* ſolùm de tribus facit mentionem: Unde juxta uſitatam praxin Scrutatores ſe invicem ſcrutantur. Et quidem ſi Electio fiat per Schedas complicatas, parum intereſt, an Scrutatores primi, an ultimi Schedas ſuas in urnam conjiciant: Si verò fiat per Scrutinium auriculare, convenit, ut Scrutatores priùs ſcipſos ſcrutentur; ne aliàs dum per ſcrutationem aliorum votorum facti ſunt conſcii, ex hac notitia dirigant ſua vota, & ſic pro ſuo arbitrio inflectant electionem, quo volunt. Hoc tamen etiam poſt Tridentinum non debet neceſſariò fieri, ut habet communior contra nonnullos alios: quia quandoque poteſt Electioni eſſe utile, ſi aliqui Electores in dando ſuo voto dirigantur ex notitia voti aliorum, & ſic electionem valeant concludere & inflectere in favorem digni vel dignioris relicto indigno vel minùs digno.

§. V.

De ſervando votorum Secreto.

Dub. 1. *Cur ſtatuatur, ut vota à Scrutatoribus exquirantur ſecretò?*

℟. Ut

Digitized by Google

℞. Ut quilibet eò liberiùs dicat, quod ſentit, & ne facile animi Eligentium contra ſe invicem exaſperentur, ſi fortè unus alteri votum negaret.

Dub. 2. *An hoc Secretum incumbat ſolis Scrutatoribus, an etiam Electoribus?*

℞. Incumbit utriſque Ratio: præceptum ſervandi ſecretum, & inſtituendi electionem per vota ſecreta, ponitur abſolutè & indefinitè: ergo Eligentes æquè ac Scrutatores obligat. Vide Lezanam *in Summa qq. Regul. tom. 2. c. 12. n.* 34.

Dub. 3. *An ſi poſt celebrationem Electionis in Bullis Confirmationis, vel inſtrumentis ſuper Electione confectis exprimerentur nomina Eligentium, pro quo vota dederint, electio facta annulletur?*

℞. Annullatur: & ſic declaravit S. Congregatio Cardinalium teſte Barboſa *in Collect. ad cap.* 6. *Trid. Seſſ.* 25. *de Regular. n.* 8. & *in Summa Bull. V. electio. n.* 15. Ratio: In Concilio Tridentino *ad. cap.* 6. decernitur, ut electio Prælatarum Regularium fiat per vota adeò ſecreta, ut eligentium nomina nunquam publicentur: atqui in caſu poſito publicarentur; ergo agitur contra Decretum Tridentini, quod ſubnexam habet hanc clauſulam: *Si verò contra hujus Decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit.*

Dub. 4. *An ſi vel unus Eligentium ſuum votum palam præſtet, cœteris arctum ſecretum ſervantibus, electio ſit irrita?*

℞. 1. Si hoc faceret ex dolo & fraude, ſcil. ut ſic malitioſè electionem impediat, non redderet electionem irritam, nec irritandam, quia dolus

& fraus nemini debent patrocinari: Et alterius odio nemo debet prægràvari, *cap. 22. de R. J. in 6.*

℞. 2. Si quis manifeſtet verbotenùs ante Scrutinium, pro quo velit dare ſuffragium, non irritatur electio, quia adhuc electio manet ſecreta, cùm alter non poſſit ſcire, an non variaverit, vel mentem mutaverit.

Idem eſt, ſi poſt electionem alicui manifeſtaverit, pro quo ſuffragium tulerit, quamvis talis malè faciat; non enim cenſetur hoc feciſſe in- & ſub electione, ergo manet ſemper verum, quòd electio facta ſit per vota ſecreta: & ita dicitur declarâſſe S. Congregatio Cardin. teſte Barbosâ *in Collect. ad cap. 6. Trid. Seſſ. 25. de Regul. n.* 14.

Nec dic: Si vota publicentur in inſtrumentis electionis, vel confirmationis, electio facta annullatur, ut dictum *dub.* 3. & eſt expreſſum *in Declarationibus ad Concil. Trid. Seſſ. 25. de Regular. cap. 6. v. nomina nunquam publicentur:* ergo etiam erit electio nulla, ſiquis Eligentium poſt electionem factam alicui manifeſtet, pro quo ſuffragium tulerit. ℞. N. conſeq. diſparitas eſt, quòd illa inſtrumenta electionis vel confirmationis moraliter compleant actum electionis, adeoque manifeſtatio votorum facta in iis inſtrumentis, cenſetur moraliter facta ſub ipſo actu electionis completè ſumpto: at ſi votum privatim manifeſtetur poſt electionem, nullo ſenſu poteſt dici manifeſtatum ſub electione.

℞. 3. Si ſub actu electionis, vel unus tantùm abſque fraude & dolo ſuffragium præſtet palàm, dummodò id fiat Capitulo audiente & permittente, ele-

electio redditur nulla. Ratio: forma eſt indivi-dua, ergo nec in minimo poteſt lædi, quin vitietur totus actus. Dixi: *dummodò id fiat Capitulo audiente & permittente:* Si enim Capitulum vel Præſes contradiceret, hoc votum publicè prolatum (utpote reipsâ contra formam & Decretum irritans datum, adeoque ipſo jure nullum) non computaretur inter ſuffragia, nec electio ideò debet caſſari, vel aliis legitimè procedentibus ob errorem unius vel paucorum præjudicium inferri. Sufficit autem contradictionem fieri à majori parte Capituli, etſi minor pars hoc votum publicè datum vellet permittere. Sicut enim unus non poteſt habere in ſua poteſtate contradicentibus & reliquis Electoribus invitis conſtituendi electionem nullam per ſuum unum votum publicè datum, ſic nec poteſt dici, quòd talis poteſtas competat minori parti. Porro ſi contradictio omittatur ex metu gravi cadente in conſtantem virum, non nocet Electoribus aliis, neque ideò Electio eſt nulla: Secùs eſt, ſi omittatur ex ſolo metu levi reverentiali, aut timida puſillanimitate.

Dub. 5. *An ſit contra Secretum, ſi quis Eligentium ſchedam ſuam ſignet tali ſigno, ex quo Scrutatorum unus vel alter poſſit devenire in notitiam ejus, in cujus favorem ſit datum?*

℞. Affirmativè: Sic enim votum innoteſcit, & conſequenter læditur forma à Tridentino præſcripta, adeoque etiam electio eſt irrita.

Dub. 6. *An ſi quis eligentium alicui ſecretò oſtendat ſuam ſchedam, ut alter videat, quem eligat, electio irritetur?*

℞. 1. Si hæc manifeſtatio fieret vidente vel conſentiente magnâ parte Capituli, electio foret irrita. Ratio: Sic votum non eſſet ſecretum, nec ſcheda dicetur privatim, ſed potiùs publicè alteri manifeſtata.

℞. 2. Si hæc oſtenſio eſſet cauſa, quòd electio fiat in hanc vel illam perſonam particularem, facit eandem irritam. Ratio: non poteſt eſſe cauſa, ut vi illius alii coëligentes dent votum alicui perſonæ particulari determinatæ, quin innoteſcat in hac Scheda eſſe votum pro tali perſona datum: ergo ipſo facto tale votum non eſſet Secretum. Deinde talis modus imitaretur naturam factionis, conventionis vel pactionis, quæ electionem ſubſecutam, ſi non planè irritam, reddunt tamen irritandam, *cap. cùm poſt petitam. 46. cap. per inquiſitionem. 26. h. t.*

℞. 3. Si hæc oſtenſio fieret ex dolo, malitia, vel fraude, nihil noceret: Sequitur ex dictis *dub.* 4. ℞. 1.

℞. 4. Si quis planè privatim abſque malitia, dolo vel fraude oſtendat alteri Schedam ſuam, cum intentione etiam, ut ſuum votum videat; probabiliùs non vitiatur vel irritatur electio. Ratio. licèt Concilium Trident. ſummè præcipiat, ut electio fiat modo ſecretiſſimo, neque nomina eligentium unquam publicentur, hoc tamen potiùs concernit totum Capitulum vel Collegium, quàm quemvis Capitularem vel Electorem in particulari: ergò cùm in dubio potiùs ſit ſtandum pro valore actûs. *Cap. Abbate de V. S. L. quoties. ff. de rebus dubiis.* debet dici, quòd per ſe loquendo

talis

talis electio valeat. Manifeſtans autem (ſi causâ rationabili id faciendi careat) peccat juxta quoſdam mortaliter, juxta alios venialiter.

Dub. 7. *An violans Secretum, ſi id faciat ignorans conſtitutionis à Tridentino latæ, & intentatæ annullationis, faciat electionem irritam?*

℞. Affirmativè: Ratio illa annullatio non eſt purè in pœnam, ſed per modum ſtatuti Generalis, idque non adæquatè & principaliter in favorem eligentium, ſed ipſius electionis, ad vitandas fraudes, & illicitas contentiones, atque ad conſervandam majorem libertatem: ergo non eſt ratio, cur debeat excuſare ignorantia.

Dub. 8. *An & quomodò hoc Secretum debeat ſervari non tantùm in electione Abbatum, ſed & Abbatiſſarum?*

℞. Quoad ſubſtantiam debet ſervari in utriſque, quia Concilium Trident. *l. c. cap.* 6. exprimit etiam *Electiones Abbatiſſarum* vel *aliarum Præpoſitarum.* Nec Epiſcopus poteſt diſpenſare, ut electio Abbatiſſæ per publica vota facta valeat, Riccius 4. *p. deciſ.* 197. *n.* 7. Differunt tamen quoad aliqua accidentalia; quia ſcil. regulariter electiones virorum non poſſunt, vel ſaltem diſſuadetur fieri per vota prolata voce vivâ, ut dictum; §. 4. *dub.* 1. poſſunt ita fieri electiones Abbatiſſarum, ſaltem niſi obſtent particulares Ordinis Conſtitutiones: Sic enim declaravit S. Congregatio Cardin. *in d. cap. 6. Concil. Trid.* Et ipſum Concilium Trident. *Seſſ. 25. de Regular. cap.* 7. circa Electiones Abbatiſſarum ſpecialiter decernit

Is verò, qui electioni præeſt Epiſcopus, ſive alius Superior, clauſtra Monaſterii non ingrediatur, ſed ante Cancellorum feneſtellam vota ſingularum audiat vel accipiat. In reliquis ſerventur ſingulorum Ordinum vel Monaſteriorum conſtitutiones. Ex quo infertur: cùm nullibi reperiatur contrarium declaratum, de facto ex jure communi eſſe liberum, an vota *audiantur* verbotenùs prolata, an *accipiantur* ſcripta. Cùm verò dicatur ſervandas eſſe conſtitutiones ſingulorum Ordinum vel Monaſteriorum, in reliquis, hoc eſt, in iis, quæ à S. Synodo non ſunt immutata vel determinata; infertur, quòd ſi Conſtitutiones alicujus Ordinis vel Monaſterii jubeant, ut vota accipiantur vel in ſcriptis, vel audiantur oretenùs prolata, id debeat obſervari; neque enim Concilium aliquid determinat: ſed ſolùm alternativè dicit: *Vota ſingularum audiat vel accipiat.*

Nec obſtat quædam Congregatio Cardinal. *in d. cap. 6.* ſic declarantium: *In Electione Abbatiſſarum vota oretenùs accipi non poſſunt à ſuis Superioribus cum duobus teſtibus, nec poteſt proximus ſuperior hujuſmodi electionem irritam, utpote ſactam contra formam hujus Decreti, confirmare & revalidare abſque Sedis Apoſtolicæ authoritate.* Nam hoc procedit, quando ultra deputatos adhibentur aliqui teſtes, per quos poſſet votum publicari: ſi verò illi duo teſtes aſſumerentur tanquam Deputati ad illum actum, electio valeret, prout eadem S. Congregatio declaravit, teſte Riccio *loc. cit. n.* 5.

Dub. 9. *An ſi quis per errorem votum ſuum alteri*

teri oſtenderet, inſcio tamen & ignorante Capitulo, per hoc electio reddatur irrita?

℞. Negativa defenditur à Reiffenſtuel *ad tit. de Elect.* §. 14. *n.* 346. cum Navarro Pirhing Barboſa &c. eò quòd defectus Clandeſtinus unius de Capitulo non debeat nocere toti Capitulo defectum ignoranti, *arg. cap. ult. de Procuratoribus.* Præctereà in tali caſu Capitulum non permittit aliquid fieri, quo votum alicujus publicetur, cùm factum illud ignoraverit: ergo non debet ipſi imputari in ejus præjudicium, ut ob illum totus actus Capitularis (qualis eſt electio) evertatur. Idem ſequitur dictis *dub. 6. hic ſupra.*

Dub. 10. *An Scrutatores, dum vota ſingulorum exquirunt, poſſint adhibere teſtes & publicum Notarium ad tollendam omnem fraudis ſuſpicionem, & dandum teſtimonium veritati, ſi opus fuerit?*

℞. Juxta Zerolam *in praxi Epiſcop. v. Electio, in forma inſtrumenti Electionis*, & plures alios, poſſunt, ut colligitur ex ſimili aliorum actuum, in quibus etiam teſtes adhibentur, dum quis timet, ſe aliàs arguendum minùs ſinceræ fidelitatis: Ad hoc tamen non tenentur, ut ex Gregorio Tholoſano notat Reiffenſt. *loc. cit.* §. 5. *n.* 26. quia Electores aſſumendo hos vel illos Scrutatores ipſo facto indicant, ſe illis fidem velle habere, ergo aliis teſtibus non eſt opus. Imo (Electionibus Abbatiſſarum exceptis de quibus ſupra *dub.* 8.) in Electionibus maximè Regularium iſta adhibitio teſtium non videtur eſſe ſatis conformis textui *cap. Quia propter.* & Tridentino, exigenti valde ſtri-

ctum

ctum Secretum; cùm è contra præter Scrutatores adhibitis Notario & duobus teſtibus ad minimum ſex perſonis vota eligentium innoteſcant.

Obſerva 1. Suppoſito, quod Notarius & teſtes adhiberi poſſint, concedunt multi illos poſſe eſſe laicos, eò quòd nullam exerceant auctoritatem vel juriſdictionem, ſed nudum miniſterium vel officium. Melius eſt tamen adhibere Eccleſiaſticos.

Obſerva 2. Quoad fidem Scrutatoribus habendam: Si omnes tres vel duo ex illis jurati affirment, aliquem habuiſſe tot vel tot vota, illis fides debet haberi, etſi Electores aſſerant, ſe illum non nomināſſe in tanto numero, *cap. cùm dilectus, de Elect.*

Dub. 11. *An Electio patiatur aliquid, vel nullitatem incurrat, ſi votantium nomina poſt electionem tranſactam publicentur?*

℞. Si hæc publicatio fiat per hoc, quòd nomina votantium, pro quo ſuffragia tulerint, instrumento Electionis vel literis confirmatoriis ſint inſerta, inducitur nullitas electionis ut dictum *dub. 3.*

Si verò hæc publicatio vel potiùs revelatio fieret per aliquem Scrutatorum, inſpiciendum eſt, an revelatio fiat publicè, an privatim? Si *privatim:* aget imprimìs Scrutator iſte conta fidelitatem & juſtitiam ſui officii, & juxta Bonacinam *de Contract. q. 2. n. 3.* peccabit abſolutè graviter: juxta alios peccatum erit grave vel leve, prout ex hac revelatione imminet damnum grave vel leve Electionis vel Electoris taliter revelati; Electio tamen

per

Digitized by Google

per hoc non vitiatur, nec nullitatem contrahit, ſiquidem apud Regulares? quia non debemus de facili abſque ſufficienti ratione vel textu juris pœnam nullitatis aſſerere, aut onus graviſſimum de novo eligendi Electoribus imponere: at nulla ratio ſufficiens vel textus Juris hìc occurrit. Nam quòd Tridentinum cum clauſula irritante in Electionibus Regularium ſtrictè prohibuerit, ne unquam publicentur nomina Eligentium, & cui quis ſuffragium dederit, hoc tamen utpote valde moleſtum onus aliis Electoribus intelligendum eſt ſtrictè & propriè de vera publicatione vel evulgatione, quâ tale votum fit notorium, ac tranſit in famam publicam, ad hoc autem non ſufficit manifeſtatio aliqua privata alicujus rei, ſed requiritur, ut illa res verbo vel facto propaletur in loco publico, & coram tanta multitudine, ut illius notitia per ſe tranſeat ad majorem partem Collegii, vicinæ Civitatis, vel alterius loci.

Si revelatio à Scrutatore fiat *publicè* modo hìc immediatè recenſito, inducetur nullitas Electionis, ut colligitur ex Tridentino *Seſſ. 25. de Regular. cap. 6.*

Si denique ipſimet Electores unus vel plures, aut etiam omnes poſt electionem manifeſtârint, pro quo ſuffragium tulerint, communiter dicuntur per ſe malè & illicitè agere: refertur enim S. Congregatio hoc tenore aliquam declarationem edidiſſe: *Ante vel poſt Scrutinium Electoribus nullo modo licet, cui votum dederint, publicare.* Hæc manifeſtatio tamen quandoque poteſt ex juſta cauſa fieri licita.

Sed

Sed etſi utcunque manifeſtatio foret illicita; non tamen ob eam electio præcedens foret irritanda: quia Trident. *loc. cit.* dum dicit; *Concilium diſtrictè præcipit omnes ſupradictos eligi per vota ſecreta, itaut ſingulorum Eligentium nomina nunquam publicentur:* per ſe ac determinatè non prohibet publicationem eligentium ſeparatam ab electione (qualis eſt illa, quæ fit ab Electoribus ante- vel poſt electionem) ſed ſolam intrinſecam electioni, dum hæc electio fit, vel connexam electioni factæ. Publicatio *intrinſeca* prohibetur etiam Electoribus: nam iſti, dum actu dant ſuffragia, non poſſunt ſuum votum publicare, in cujus favorem ferant, ut patet ex dictis. Publicatio *connexa Electioni*, & præceptum ſub pœna nullitatis nunquam publicandi vota eligentium, afficit ſolos Scrutatores & eos, qui auctoritate publica Scrutinio aſſiſtunt, & hâc viâ ejus notitiam habent.

Quòd verò aliàs non ſit per omnia prohibitum Electoribus ante Scrutinium dicere, pro quo quis ſuffragium ferre velit, vel tranſactâ electione, pro quo ſuffragium tulerit, colligitur imprimìs ex eo, quòd tractatus prævii non prohibeantur, quibus Electores tractent de meritis eligendorum, certaque perſona digniore eligenda: ità ut Electores dicant, ſe velle talem eligere, imò idipſum aliis, attamen ſine factionibus & minis, ſed viis licitis, perſuadere conentur.

Secundò: licitum eſt quandoque Electioni & perſonæ electæ ſe opponere, aut, aliis opponentibus inſtare, ut à ſe electus confirmetur; ſic autem

autem ipſo facto indicatur poſt electionem, quòd Elector ſe opponens non dederit Electo ſuum ſuffragium, aut pro Confirmatione inſtans, quòd dederit.

Dub. 12. *An ſit contra Secretum, ſi Schedæ votantium (ubi Electio facta eſt per Schedas) poſteà aſſerventur, & aliis monſtrentur?*

℞. Si in Schedis nomen ſolius Eligendi, non verò Eligentis ſit expreſſum, neque dignoſci poſſit manus ſcribentis (quod eò faciliùs locum habet, ſi omnes Schedæ ſint impreſſæ, vel unâ manu alicujus Syndici vel Secretarii conſcriptæ) non eſt contra Secretum has Schedas aſſervare: quia etſi iſtæ Schedæ in aliorum manus deveniant, plus tamen non innoteſcet, quàm quòd Electus habuerit tot vel tot vota: hoc autem non eſt contra Secretum: cùm hoc ipſum etiam innoteſcat facilè ex publicatione Scrutinii, aut Electione communi, ut inſinuatur hac *q*. 6. §. 11. *dub*. 2. Si verò Schedis ſimul inſcripta eſſent nomina Eligentium, non poſſent Scrutatores, aut illi, qui auctoritate publicâ Scrutinio vel Electioni aſſiſtunt, electione tranſactâ has Schedas aliis manifeſtare: quia hoc ipſum eſſet revelare nomina Eligentium.

Habet ergò communior praxis, quòd tales Schedæ in præſentia Capituli comburantur: Secluſo tamen ſtatuto ſpeciali iſta combuſtio non eſt de forma Electionis: poteſtque intentioni Tridentini volentis nomina Eligentium nunquam publicari, ſatisfieri, ſive hæ Schedæ comburantur, ſive ſepeliantur, ſive aliâ ratione deſtruantur, aut quocunque modo cuſtodiantur, ne ad manus aliorum deveniant.

§. VI.

§. VI.

De votis in ſcripto dandis.

Dub. 1. *An & quomodo quis votum ſuum debeat ſcribere?*

℞. 1. Per ſe loquendo debet Elector ipſe votum ſuum Schedæ inſcribere, ita ut non poſſit curare per alium ſcribi, quò ſic meliùs conſulatur Secreto. Si tamen alicubi eſſet uſus, ut nomina Eligendorum ſcribantur in Schedis ab aliquo Notario vel Sindico, & unicuique dentur nomina omnium Eligendorum diverſis Schedis inſcripta, excepto nomine proprio; non videtur eſſe culpandum.

℞. 2. Non debet Schedis inſcribi nomen Eligentis; ut ſic ſit eò liberior, quò minùs ſciri poteſt, pro quo ſuffragium tulerit, Donatus *in prax. Regul. tom. 2. p. 1. tr. 1. q. 17. n. 16.* Imò aliqui ſuadent cum Pellizario *Man. Regul. tom. 2. tr. 9. cap. 2. ſect. 1. 26.* Ut eligentes, dum ſcribunt ſuffragium, characterem aliquatenùs immutent, ne ſcil. deprehendatur perſona dans hoc votum, ſi præter ſpem ante-vel poſt electionem talis ſcheda ab aliis deprehenderetur.

Forma conſcribendi dictam ſchedam juxta donatum *l.c.* eſt: *Eligo talem N. in priorem vel Abbatem hujus Monaſterii.*

Dub. 2. *Si quis ſcribere non poſſit, quid tunc?*

℞. Talis conſequenter videtur eſſe incapax, ut eligat activè: quia in iis locis, ubi de forma electionis eſt dare vota per ſchedas, deberet ipſe ſuam ſchedam curare ſcribi per alium, conſequenter deberet

Digitized by Google

beret ipſe alteri dicere ſuum votum, adeoque non maneret ſecretum. Dixi: *videtur eſſe incapax:* nam ſi curaret ſibi plurium nomina in diverſis ſchedis ſcribi, ita ut ſcribens neſciat, quam ſchedam tradiderit ſcrutatoribus, ſatis cavetur ſecreto electionis, adeoque non erit ratio talem prohibendi ab electione activa. Quod multò magis verum erit, ſi alicubi eſſet uſus, ut omnium Eligibilium nomina ſcribantur à tertio quodam ſyndico vel ſecretario, & quidem toties, quot ſunt eligibiles, uno minùs, ut quiſque capiat tot ſchedas cum inſcriptis nominibus, quot ſunt eligibiles, exceptâ illâ ſchedâ, quæ refert nomen illius proprium; ex quibus eligens ſeligat illam ſchedam, in qua ſcriptum eſt nomen illius, cui vult dare ſuum votum, ut jam inſinuatum *dub. præced.* ℞. 1.

§. VII.

De votis ſigillatim, ordinatè & diligenter perſcrutandis.

Dub. 1. *An vota juxta cap. quia propter adeò neceſſariò ſint ſigillatim exquirenda, ut ſemper electio fiat irrita, ſi ſimul bini aut trini ſua vota darent?*

℞. Si vota proferantur oretenùs, ſemper invalidatur electio, quando plures ſimul darent ſua vota: eſt enim iſte modus incomponibilis cum Secreto. Si verò dentur in ſcriptis per Schedas, parum refert, an unus vel plures ſimul dent illas Schedas: nec enim ſubeſt periculum lædendi Secretum. Neque timendum eſt, quòd in concurſu aliorum

Digitized by Google

facilè per fraudem poſſint immitti Schedæ binæ; nam huic obviatur per hoc, quòd Schedæ vel ſub collectione, vel poſt collectionem diligenter numerentur à Scrutatoribus, an numero Eligentium correſpondeant; Etſi fortè reperirentur excedere vel deficere, comburerentur omnes, fierentque novæ, ut electio integrè & fideliter perficiatur, Donatus *loc. cit. q.* 17. *n.* 13.

Dub. 2. *Quid ſignificet particula diligenter, quam d. cap. quia propter: poſt particulam ſigillatim apponi, & quomodò ordinatè ſit procedendum?*

℞. 1. Particula *Ordinatè* vult, ut in Electionibus, quæ vivâ voce fiunt, & ſine ſchedis, ſervetur certus ordo, ſcil. ut Scrutatores ipſi omnium primò à ſe invicem exquirant vota, & duo illorum ſuſcipiant votum tertii, idque ideò, ne, ſi poſt aliorum excepta vota ipſi Scrutatores ſua vota addant, habeant in ſuo arbitrio, alicujus electionem per additionem vel denegationem ſuorum votorum perficiendi, aut infirmandi, uti advertit P. Ludovicus Engel *h. t.* §. 3. *p.* 35. *v. additur quoque.* Hoc tamen in Electionibus per ſchedulas non videtur ſcrupuloſè obſervandum, quia data ratio ibi ceſſat. Imò nec in aliis Electionibus debet neceſſariò fieri ut dictum ſupra §. 4. *dub.* 5.

Poſtquam autem Scrutatores ſua vota à ſe mutuò exquiſierunt, decet quidem ut habitâ dignitate eligentium etiam ſervetur modus & ordo in ſcrutandis votis, eo tamen neglecto non naſcitur vitium irritum ipſam electionem, quia talis ordo perturbatus, per ſe loquendo, non cauſat

peri-

periculum ipſi electioni vel ſecreto votorum, nec aliunde reperitur canon vel ſtatutum eum cum clauſula annullativa prohibens.

℞. 2. Particula *diligenter*, vult, ut Scrutatores non tantùm nomen eligendi exquirant, ſed etiam indagent rationem, cur potiùs huic, quàm illi votum detur, ex quo deinde collatio zeli ad zelum, & meriti ad meritum habeatur, atq; appareat, quæ non tantùm ſit major ſed etiam ſanior pars. Eng. *l.c.* qui tamen ſubdit ex Fagnano *in cap. quia propter. n. 23.* & Laymanno *de Prælatis Eccleſiaſticis q. 73.* hoc non ita ſcrupuloſè exigi in Electionibus Regularium, ſed potiùs ſufficere; atque ita receptum eſſe, ut Electores ſinguli nomen Eligendi in Scheda ſcribant, eamque clauſam in calicem vel aliud vas conveniens conjiciant, licèt ſi nulli Scrutatorum innoteſcat, cui ſinguli eligentium dederit ſuffragium. Collatio verò zeli ad zelum ſuppletur tum ex præſumptione, quòd Regulares, propter incapacitatem ad proprietatem non facilè obnoxii Simoniæ, aliquem zelo malo, ſint electuri: tum ex prævia viſitatione Monaſterii, vel inquiſitione ſuper perſona electi, ejuſque ſcientia & meritis poſt electionem & ante confirmationem inſtituenda. Hucuſque Engel.

§. VIII.

De omnium votis ſcrutandis & in Scripturam redigendis.

Dub. 1. *An vota omnium eligentium tam ſtrictè ſint exquirenda, ut nec infirmi vel abſentes poſſint præteriri?*

℞. De *infirmis*: Si ii non poſſint ob infirmitatem electioni intereſſe, & tamen decumbant in domo vel clauſtro, vel ſub eodem tecto loci, ubi Electio fit, debent Scrutatores adire infirmos, atque Schedulas in vas ad id paratum ſuſcipere. Donatus *ſupra. q.* 17. *n.* 15. Et Ratio eſt: quia juxta *cap. Quia propter.* Scrutatores omnium præſentium vota inquirere debent: at tales infirmi ſunt adhuc moraliter præſentes, nam juxta *L.* 5. *&* 6 *ff. de Procuratoribus.* præſens habetur, & qui in hortis eſt, & qui in foro, & qui in urbe, & qui in continentibus ædificiis.

Quoad dationem Schedularum ab infirmis faciendam, Obſerva: illam à Donato *loc. cit.* Layman *in cap. ſi quis juſto.* 46. *h. t. in* 6. & Pirhing *h. t. n.* 151. admitti in Electionibus Regularium, in quibus forma Scrutinii verbalis non ſervatur. Oppoſitum tenet Fagnanus *in cap. Quia propter.* §. *Illud autem. n.* 3. *& ſeqq. h. t.* ubi refert ſæpiùs ita à S. Congregatione fuiſſe deciſum. Putat P. Reiffenſt. *ad Jus Canon tom.* 1. *tit. de Elect. & Electi poteſt:* §. 8. *n.* 196. tale votum non ampliùs fore ſatìs Secretum, præſertim ſi Schedula illa priùs à Deputatis ad Schedam recipiendam legi poſſet. Idem putat hanc praxin non carere periculo, eò quòd Procurator, qui portat Schedulam obſignatam, poſſit illam occultare, & aliam ſubſtituere juxta ſuum placitum, prout olim ſæpiùs factum eſſe dicebatur. Verùm ad primum dici poteſt, quòd votum cenſeatur adhuc ſatìs Secretum, licèt oretenùs proferatur in Scrutinio verbali (ubi hoc viget) neque huic Secreto obſtat, quòd votum

orete-

oretenùs prolatum innoteſcat Scrutatoribus tribus: ergo etiam manebit votum adhuc ſatìs Secretum, dum illud traditur Scrutatoribus per Schedulam. Quòd verò hæc Scheda à Deputatis legatur, eſt per accidens: & quidem per tale accidens, quod poteſt elongari, ſi viri prudentes & diſcreti (prout ſolet & debet fieri) ad hoc deputentur.

Ad alterum dici poteſt, quòd illud periculum vel ſit remotum, & regulariter talis deceptio futura non præſumatur, vel illi poſſit obviari, exigendo juramentum à Deputatis, ut fideliter procedant. Et certè ipſi Scrutatores etiam poſſunt abſolutè loquendo fallere, alium pro alio, quàm oretenùs audierunt, nominando: & tamen hoc periculum non curatur, vel ſaltem ipſi obviatur exigendo à Scrutatoribus juramentum, ut fideliter procedant: Quidni eadem praxis obſervari poſſet in exceptione dictarum Schedarum?

In praxi ergo alii volunt obſervandas eſſe ſpeciales conſuetudines, & proprias Conſtitutiones cujuslibet Capituli, an & quomodo talium infirmiorum vota ſint exquirenda, neque enim Declarationes S. Congregationis ſemper halce particulares Conſtitutiones vel conſuetudines evertunt.

Alii prætereà ſuadent, ut talis infirmus conſtituat Procuratorem, qui ſuo loco det ſuffragium, eo modo, quo *Sect.* 2. *q.* 8. dicitur id fieri poſſe. Vide infra *Sect.* 2. *q.* 15.

Illud magìs eſt certum, quòd infirmi vel alii legitimè abſentes non poſſint votum ſuum mittere in ſcriptis, ut patet *ex cap. ſi quis juſto.* §. *fin. h. t. in* 6.

Nec obſtat, quòd de Jure communi poſſit quis conſtituere Procuratorem de dando voto certæ perſonæ: adeoque videatur etiam poſſe votum ſuum mittere in ſcriptis: Diſparitas enim eſt, quòd mittens ſuffragium ſuum in Scriptis det ſuum votum ante Scrutinium, illudque ſi validè datum eſſet, deberet recipi, etſi mittens interim moriatur: cùm tamen juxta *Cap. quia propter.* dandum eſſet ſolùm in Scrutinio. Econtra dans mandatum ſuo Procuratori de eligenda certa perſona nondum eligit (ſi enim is Procurator interim moriatur, vel Principalis ſui mandatum non exequatur, votum ipſius non computatur) ſed Procurator ejus nomine in ipſo Scrutinio dat ſecretè votum. Et ita quidem teſte Paſſerino apud Leurenium *Fori Benefic. tom. 2. q. 263.* tenent omnes contra Azor & porrellum cenſentes, dare ſuffragium per literas obſignatas non eſſe contra Jus commune, verùm alii *ad d. cap. ſi quis juſto* cenſent communiùs nequidem conſentiente Capitulo id fieri poſſe, eò quod de forma Scrutinii ſit, ut vota dentur ſigillatim & ſecretò; tales autem literæ deberent imprimis legi, & tanquàm propriâ manu ſcriptæ recognoſci à Capitulo. Hæc ipſa tamen juxta Layman *ad d. cap. ſi quis juſto. n. 3.* Pirhing *n. 151. ad tit. de Elect.* Leurenium *l. c. n. 2.* ſunt intelligenda tantùm de iis Electionibus, in quibus ad apicem ſervanda eſt forma Scrutinii præſcripta *cap. Quiapropter.* Unde in aliis v. g. Regularium quorundam electionibus, quæ fiunt per Schedas obſignatas in urnam conjectas, poteſt abſens, & infirmus ſuffragium ſuum ita ſcriptum ad

Capi-

Capitulum mittere. Ita illi: ubi tamen ad antiquas conſuetudines videtur eſſe attendendum. *Vide Sect. 2. q. 15.*

Dub. 2. *An & quomodò vota ſingulorum eligentium à Scrutatoribus poſſint aut debeant in Scripturam redigi?*

℞. Hoc faciendum eſt ſolùm in electionibus iis, in quibus ſuffragia proferuntur oretenùs, ſi enim darentur Schedæ, cùm Scrutatores pro tunc neſciant, quid in iis contineatur, etiam non poterunt deſuper Scripturam conficere; niſi fortè velis dicere, quòd in collatione Schedarum annotanda ſint vota, in cujus favorem quæque ſint data Verùm ſi retineantur ipſæ Schedæ ſcriptæ, jam ipſo facto vota habebuntur in Scriptis redacta, adeoque ulterior Scriptura non videtur neceſſaria.

Forma autem votum oretenus acceptum in Scripturam redigendi poteſt eſſe talis vel ſimilis: *Talis N. interrogatus, & adjuratus*, ſive *præſtito juramento* (ſi quod ſpecialiter præſtari ſoleat) *reſpondit: Ego nomino* vel *eligo talem*, vel *conſentio in talem.* Eſt hæc Scriptura de ſubſtantia electionis, & omiſſa electionem vitiat, ſequitur *ex cap. quia propter. v. ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in Scriptis redacta mox publicent in communi.*

Dub. 3. *Quis debeat vota in Scripturam redigere?*

℞. Aliqui cum Gl. *in Cap. quia propter. v. redacta*, cenſent id debere fieri ab ipſis Scrutatoribus, vel aliquo Tabellione. Alii cenſent nihil referre, an Scriptura ſit publica, vel à perſona

publicâ facta, an privata, dummodò fiat à Scrutatoribus, quia licet hi poſſint committere dolum, vel fraudem, id tamen non præſumitur. Alii communiùs cenſent, poſſe hoc fieri per Notarium, ſive is Clericus ſit ſive Laicus: nam ratione ſtatûs Laicalis ab hoc officio nemo poteſt arceri, quia ſcribendo nullam exercet juriſdictionem, vel functionem Eccleſiaſticam, ſed ſolùm præbet nudum Miniſterium: & ob eandem cauſam in re vel cauſa ſpirituali non repellitur Procurator Laicus, *cap.* 1. *de procurat. in* 6.

§. IX.

De publicatione votorum.

Dub. 1. *A quo, & cui publicatio votorum ſit facienda?*

℟. Debet fieri Capitulo congregato à Scrutatoribus, non omnibus ſimul, ſed uno tantùm. Ratio *primæ partis.* Soli Scrutatores poſſunt & debent ſcire ſuffragia: ergo etiam illi ſoli poſſunt & debent publicare. Ratio 2. *partis* non expedit, neque neceſſarium eſt, ut Scrutatores omnes ſimul loquantur, ergo debet fieri ab uno tantùm eoque vel primo inter illos, vel qui à Capitulo ad hoc eſt determinatus, vel qui per ſtatuta aut conſuetudinem ad hoc eſt Deputatus.

Dub. 2. *Quando hæc publicatio ſit facienda?*

℟. Debet fieri *mox,* poſtquàm vota omnium ſunt collecta & inſcriptis redacta. Ratio: *cap. quia propter.* addit has particulas: *mox publicent in communi:* ergo hoc facere erit conditio ad valorem

rem requiſita. Cenſetur autem *Mox* fieri, quando fit in continenti uno contextu abſque morali interruptione vel actu extraneo interveniente. Unde non valeret, ſi interponeretur actus tendens ad impediendam, differendam vel diſſolvendam electionem, v. g. ſi appellaretur, vel nondum factâ publibatione, abſque cauſa cogente, Congregatio diſſolveretur. Si Scrutator dolosè publicationem & collationem votorum, uti & electionem communem differret, poſſet electus, vel alius quivis de Capitulo officium Superioris vel Præſidis in Capitulo, aut illius, ad quem ſpectat confirmatio, implorare, ut tergiverſantes compellat, & in hoc caſu valet electio, etſi publicatio non fiat in continenti, ne fraus & dolus aliorum noceat nominato. *Cap. publicato.* 58. *h. t.*

Dub. 3. *Quomodò vel ubi publicatio facienda?*

℟. Eſt facienda *in communi* ſcil. coram omnibus Electoribus, patet ex textu citato *cap. quia propter.* Dicitur autem publicari in communi, quando integer numerus votorum, omnium Eligentium publicè enunciatur dicendo, v. g. *Vota, quæ à Dominis Electoribus exquiſivimus, ſunt univerſim numero tot vel tot.* Et hic needum exprimuntur nomina perſonarum, in quarum favorem vota ſunt data: Quod fit ad majorem certitudinem collationis votorum poſteà faciendæ, & ad ſubterfugia, vel tergiverſationes excludendas, ſi non ab initio conſtaret neminem eſſe præteritum, vel numerum votorum non excedere numerum Electorum, Wagnereck *in cap. Quia propter. v. mox publicent in communi.* Unde ſi inter Schedas

reperiatur aliqua ſciſſa vel ſignata, aut numerus Schedarum non correſponderet numero Eligentium, hoc facilè deprehenderetur in prædicto modo publicandi; & ex tunc, omiſſo ulteriori progreſſu in electione habitâ, deberent omnes Schedæ comburi, & nova Electio inſtitui. Tamburinus *de Jure Abbatiſſarum. diſp.* 28. *q.* 1. *n.* 4.

Quòd ſi pars aliqua minor appellaret, & nihil rationabile opponeret, non obſtante tali appellatione deberet fieri publicatio; ſecus eſſet, ſi omnes aut major pars opponeret. Hoſtienſis apud Donatum *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 1. *tr.* 4. *q.* 31.

Obſerva 1. duplicem in Electionibus dari publicationem. Altera eſt *Scrutinii*, altera ipſius *Electionis Capitularis*. Publicatio *Scrutinii* eſt nihil aliud, quàm publicatio votorum in communi, de qua in præſenti Paragrapho fit ſermo. Publicatio *Electionis Capitularis* eſt, quando ipſa Electio communis promulgatur: de qua dicitur *Cap. Quia propter.* §. *fin.* ibi: *Electiones quoque clandeſtinas reprobamus, ſtatuentes, ut quàm citò electio fuerit celebrata, ſolemniter publicetur.* Prior publicatio eſt via ad Electionem communem, & conſequenter ad hanc ſecundam publicationem.

Obſerva 2. Licet modus publicationis primæ faciendæ ex Wagnereck relatus ſit munitus gravium Doctorum auctoritate cum Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 15. Barboſa *Lib.* 1. *Jur. Eccleſ. Univerſ. cap.* 19. *n.* 216. *&c.* ut nimirum ſolus Eligentium numerus publicè enuncietur, nondum exprimendo perſonas in quarum favorem vota ſunt data, alii tamen cum Zerola *in praxi*

Epiſc.

Epiſc.part. 1. *V. Electio in Forma Inſtrumenti Electionis*, requirunt, ut Scrutatores coram Capitulo publicè Electum, vel ſi plures fuerint, Electos, antequàm ad alium actum procedant, nominent, cum expreſſione, quot vota quilibet habuerit; Concordat Ludovicus Engel *h. t. n.* 36. Mandagotus, Paſſerinus &c.

Obſerva 3. Hinc ſequitur rectè reprobari Electiones Clandeſtinas: Dicitur autem *Clandeſtina Electio*, quæ fit ſingulariter per occulta conventicula, vel quando Capitulares inter ſe conveniunt, ut extra Capitulum nihil de Electione dicatur: quod ipſi ſtatuere non poſſunt, cùm ſolemnem Electionis publicationem prohibere non valeant.

§. X.

De *Collatione numeri ad numerum & zeli ad zelum facienda.*

Dub. un. *Quomodò & quando collatio ſit facienda?*

℞. 1. Facienda eſt in communi, per textum expreſſum *cap Cumana.* 50. *de Elect.*

℞. 2. Collatio numeri ad numerum eſt ita de ſubſtantia Electionis, ut non poſſit omitti; Ratio: debet ſciri, in quem vel omnes, vel major & ſanior pars conſenſerit: atqui hoc non poteſt ſciri ſine collatione numeri ad numerum: ergo.

℞. 3. Collatio zeli ad zelum in Electionibus Regularium ſuppletur aliunde, ut dictum §. 7. *dub.* 2. ℞. 2. imò in Electionibus Monialium planè non eſt neceſſaria talis collatio, *cap. Indemnitatibus*, 43. *h. t. in* 6. Si tamen jus commune inſpicia-

ſpiciatur, Collatio zeli ad zelum, & meriti ad meritum æquè eſt neceſſaria ad valorem Electionis, ac collatio numeri ad numerum, quia *in cap. Quia propter.* ad electionem requiritur copulativè majoritas & ſanioritas votantium: ſine collatione autem zeli ad zelum non dignoſceretur ſanioritas votantium. Et hinc *cap. Eccleſia veſtra* 57. *h. t.* textu aperto irrita decernitur electio facta ſine collatione zeli ad zelum.

Hæc collatio comparativa numeri ad numerum, vel zeli ad zelum ceſſat, quando quis omnibus concordantibus fuit unanimiter electus: tunc enim non adeſt, cum quo comparatio fieri debeat. Idem dic ſi quis à duplo majori Capituli parte fuerit electus: nam *cap. ſi quando h. t. in* 6. decernitur, quòd contra Electum à duplo majori parte, vel contra ipſius Electores nihil à reliqua parte poſſit opponi, quod votum eorum *extenuet*, v. g. objiciendo, quòd ſit datum ab illiterato &c. ergo in numero tam exceſſivo præſumitur major zelus. Debet tamen adhuc in utroque caſu fieri aliqua collatio abſoluta tam numeri quàm zeli & meriti: hoc eſt, debet conſiderari numerus votantium, an omnes præſentes habuerint vocem activam: an elegerint bono zelo, an verò per pacta Simoniaca, preces illicitas &c. item an Electus ſit ad dignitatem idoneus &c. Unde *ex d. cap. ſi quando.* Fuit dictum quòd contra Electum à parte duplo majori nihil poſſit opponi *ad extenuationem zeli, meriti, vel auctoritatis ipſorum electorum:* ubi notandus eſt terminus *ad extenuationem*: nam mox ſubditur: *Si quid autem opponere voluerint, quod votum illius,*

cui opponitur; nullum redderet ipſo jure, id eis non intelligimus interdictum.

1 ℞.4. Collatio fit hoc modo: imprimis numeratur, an Schedæ votorum, vel vota, ſint tot in numero, quot ſunt Eligentes: Deinde quiſnam habeat ultra medietatem. Quòd ſi numerus Schedarum correſpondeat numero Eligentium, & una ex illis reperiatur alba, in qua nihil eſt ſcriptum, præſumitur is, qui eam dedit, ceſſiſſe jure ſuo, & non velle eligere, adeoque nec computabitur Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 2. tr. 9. cap. 2. Sect. 1. n. 33.*

2. Si collatione factâ, Schediſque numeratis deprehendatur, numerum Schedarum non concordare numero Vocalium, Schedæ ſunt comburendæ, & procedendum ad novum Scrutinium, ut dictum §. 9. *dub. 3.* Si verò uterque numerus concordet, omnes Schedæ ſingulatim ab omnibus Scrutatoribus ſunt legendæ, & ſic deſcribendæ, Leurenius *Fori Benefic. tom. 2. q. 364. n. 2.*

3. Hac collatione plenè factâ, & integrâ repertâ completur publicatio Scrutinii, exquirendo à Capitulo congregato, an quis adhuc habeat, quod moneat vel opponat: nemine opponente dicetur juxta quoſdam: *Habemus Electum vel Prælatum, nam cùm eſſemus decem, Titius habuit ſex vota, Cajus duo, Sempronius unum: & unum votum fuit album, vel incertum & inutile.* &c. intellige: ſi horum aliquid interceſſerit.

4. Et ſic vota determinatè deſcribi & diſtribui debere, ut Capitulum ſciat, qualiter ad Electionem ulterius procedere poſſit, tradit Leurenius

loc.

loc. cit. tom. 2. *q.* 368. *n.* 3. cum Abbate, Paſſerino & aliis paſſim.

5. Quoad ipſam oppoſitionem obſerva: Electorum quilibet poteſt ſe opponere & appellare uſque ad illud momentum, quo publicandum eſt Scrutinium, etſi ipſe votum ſuum jam dederit, & & vota jam inſcriptum eſſent redacta: nam eouſque ipſe ſuum votum (dummodò adhuc poſſit diſcerni) mutare poteſt: ergo ſi mutare volens non audiatur, poteſt à futura Scrutinii publicatione appellare tanquàm gravamen paſſus. Idem jus appellandi à fortiori eſt concedendum, ſi Scrutatores ante completum Scrutinium vellent illud publicare; tunc enim quilibet meritò poſſet ſe dicere gravatum. Cenſetur autem Scrutinium completum, quando omnium votis vel auriculariter, vel per Schedas acceptis in ſcriptum redactis nullus apparet, qui votum mutare velit. Poſt publicatum Scrutinium, ſi Scrutatores omnes, vel ſaltem duo eorum concordent in Sciptura, nulla appellatio auditur, ſed ad electionem communem proceditur. Si Scrutatores omnes inter ſe diſcordes Scrutinium publicent, illud tanquàm nullum eſt iterandum; Neque Scrutinium dubium aliquâ ratione eſt publicandum. Unde Scrutatores ſi diſcordes fuerint, priùs Schedas revideant, vel ſi Scrutinium fuerit auriculare, revocent ad Scrutinium unum vel alterum ex Electoribus de quorum votis fortè eſt diſſidium: ut ſic inter ſe conveniant vel concordent; quòd ſi nihil horum ſuccedat, non debent publicare nominalium in priori Scrutinio, ſed curent, ut Scrutinium iteretur Leurenius *l. c.* *q.* 369. *n.* 2.

7. Porro

Digitized by Google

7. Porro hæc collatio votorum, ſive numeri votantium facienda eſt ab eo, cui à Capitulo vel Lege aut conſuetudine committitur.

8. In Electionibus habendis juxta formam Tridentini, vel in quibus major pars etiam præſumitur eſſe ſanior; fit ſola hæc collatio numeri ad numerum, quæ non diſtinguitur reipsâ adæquatè à Scrutinii publicatione, adeoque pertinet ad illum Scrutatorem, ad quem aliàs publicatio Scrutinii pertinet, qui eam faciet dicendo: *Habemus Scrutinium completum & Prælatum electum, cùm enim ſimus numero tot N* &c. ut ſuprà.

9. Collatio meriti unius partis Eligentium ad meritum alterius partis ceſſat in iis electionibus, in quibus nomina Eligentium nunquam publicari poſſunt.

§. XI.

De Electione communifacienda poſt Collationem.

Dub. 1. *An & Quomodò factâ collatione Electio communis ſit formanda?*

Obſerva. In omni Electione perfectè Canonica duplex intervenit Electio: altera privata, altera communis vel Capitularis. *Privata* eſt nihil aliud, quàm ſingulorum Vocalium votatio: ex quo patet, quòd ſint tot Electiones privatæ, quot ſunt numero Eligentes, ut colligitur *ex cap. In Geneſi. 55. h.t. Communis Capitularis* ſive *publica* eſt illa, quæ receptis ſingulorum Electorum votis & factâ eorundem collatione fit ab uno nomine totius Capituli, de qua hic fit ſermo. ℞. 1.

℟. 1. Eſt facienda talis Electio communis, patet ex cap. *Quia propter.* ibi: *ut is collatione habitâ eligatur, in quem omnes vel major & ſanior pars Capituli conſentit.* infero: ergo præter conſenſum majoris & ſanioris partis Capituli requiritur adhuc una electio, quæ vocari ſolet *Electio communis.* Similia habentur *cap. Sicut cùm.* 21. *h. t. in* 6. *cap. Eccleſia.* 48. *X. eodem.* Expreſſiſſimus textus eſt *in cap. Cùm ab uno.* 4. *de ſent. & re judicata. in* 6. ibi: *Licèt ſecùs in Electione ſervetur, in qua (ut cenſeatur evidentiùs unica & communis) eſt ab uno vice omnium (ſive per Compromiſſum, ſive per Scrutinium procedatur) electionis pronunciatio per verba ſingularis numeri pronuncianda.*

℟. 2. Iſta Electio communis eſt adeo neceſſaria, ut totus actus corruat, & ſit invalidus, ſi illa omittatur ex ignorantia, ſimplicitate, negligentia vel ignavia. Ratio: poſtquàm *in cap. In Geneſi.* 55. *h. t.* dictum fuiſſet, *Cùm in Concilio* (Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 24.) *caveatur, ut is collatione habitâ eligatur, in quem omnes vel major & ſanior pars Capituli conſentit* (Ecce Electionem communem) ſubjungitur in fine: *Nos his pleniùs intellectis de Conſilio Fratrum noſtrorum præmiſſam Electionem, utpote contra formam Concilii attentatam, decernimus irritam & inanem.*

Et ex hoc argumento potiſſimùm impugnabatur Electio Sereniſſimi Principis Joſephi Clementis in Archi-Epiſcopum, & Electorem Colonienſem facta 19. Menſis Junii 1688. in concurſu Poſtulationis Eminentiſſimi Cardinalis Guilielmi Egonis Landgravii de Fürſtenberg.

Quam-

Quamvis ibidem argumentum ſatis accuratè fuerit ſolutum, ex eo, quòd talis communis Electio tum fuerit omiſſa ex culpa unius Scrutatorum alteri parti addicti, adeoque non poſſit præjudicare electioni aliàs legitimè factæ.

Plura videri poſſunt in diſcurſu de hoc typis edito ſub titulo: *Juſtitia triumphans mihi pag.* 19. *& ſeqq.*

Dub. 2. *A quo debeat Electio communis fieri?*

℞. De hoc in Jure nihil reperitur deciſum, adeoque ſufficit unus ex Scrutatoribus vel Electoribus, quem aliqui cenſent eſſe deputandum à Capitulo, alii à Præſide; alii nullam requirunt deputationem, ſed putant ſufficere, ſi quiſcunque de Capitulo hoc officium ſibi aſſumat, Capitulo non contradicente. Imò aliqui tenent ſufficere extraneum, dummodò nomine Capituli procedat. In ſimilibus attendendæ ſunt conſuetudines & Conſtitutiones particulares cujuſvis Capituli.

Utetur autem hâc formâ vel ſimili: *Abbatem vel Paſtorem habemus; nam cùm eſſemus Vocales numero tot, unus habuit vota tot, alter tot, tertius tot &c.* Exinde (ubi fieri ſolet) inſtituenda eſt collatio meriti ad meritum, zeli ad zelum, omnibus Electoribus è conclavi recedentibus & præſentibus ſolis Scrutatoribus, & iis, qui Electioni præſident, Notario vel Protonotario, teſtibuſque duobus ad id ſpecialiter ad ipſum actum Electionis conteſtandum rogatis. Hac collatione factâ, revocatis in Conclave Electoribus & interrogatis, utrum Electionem communem fieri & publicari placeret, placereque reſpondentibus,

interim publicè omnibus votorum ſchedulis igni traditis per Scrutatorem aliquem, vel alium ad hoc deputatum, communis Electio & publicatio facienda eſt ſimili formâ: *Ego NN. nominibus omnium in his conſentientium, invocatâ Spiritûs Sancti gratiâ, adſtipulante patrocinio glorioſiſſimæ ſemper Virginis MARIÆ ac Sancti N. Eccleſiæ hujus Patroni, venerabilem in Chriſto Patrem NN. Ordinis S. N. in hoc Monaſterio Profeſſum, ætatis legitimæ, moribus gravem, in Sacris, etiam Presbyteratus Ordinibus conſtitutum, literis competenter imbutum, de legitimo thoro procreatum, in ſpiritualibus & temporalibus providum, aliàsque ſecundùm Sanctiones Canonicas idoneum, in quem collatione factâ major & ſanior pars totius Capituli noſtri conſenſit, in Eccleſiæ ac Monaſterii hujus Abbatem eligo, electumque pronuntio, & in communi coram vobis publico, In nomine ✠ Patris, & ✠ Filii, & ✠ Spiritûs Sancti, Amen.* vel ſi mavis uti hac formâ breviori:

Ego N. vice mea & omnium Electorum præſentium, qui mecum conſenſerunt eligo in Epiſcopum, Abbatem vel Paſtorem N. in nomine ✠ Patris, & ✠ Filii, & ✠ Spiritus Sancti, Amen.

Dub. 3. *Quando Electio communis ſit facienda?*

℟. Incontinenti, poſt collationem factam, nullo alio extraneo actu interveniente, ſecùs, totus actus corruit. Fagnanus *in cap. publicato n. 60. & 61. de Elect.* patet *ex cap. cùm poſt petitam. 46. eod.* ibi: *Quia examinato, ſicut decuit, proceſſu electionis tuæ, invenimus eam poſt publicationem conſenſuum, vel collationis tractatum aliquamdiu fuiſſe*

Digitized by Google

fuiſſe protractam, aſſenſumque tuum priùs, quam electus fueris, requiſitum: Electionem eandem (ex ipſius duntaxat inordinato proceſſu) juſtitia caſſavimus exigente. Ita ibi.

Dub. 4. *An Electio quævis ſit ſemper & ſtatim nulla, ſi dicta communis Electio vel publicatio omittatur?*

℞. Regulariter eſt nulla, etiam quoad Scrutinium antecedens, nam valor iſte actûs conſiſtit in forma indiviſibili, ergo vel tota forma ſtat, vel tota corruit. Ex accidenti tamen poteſt valere. Si enim ſubeſſet fraus (quia ſcil. Electoribus electio facta diſplicet, & ſic intendunt inſtituere novam) poteſt Electus adire Superiorem, & requirere Præſidem Capituli, ut juxta juris præſcriptum faciat Electionem publicari; Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 2. tr. 9. cap. 2. Sect. 1. n. 35.* Aliàs enim facilè daretur Electoribus facultas pro libitu electum privandi jure ſuo.

Dub. 5. *An Præſes Capituli teneatur Electionem publicare, ſi ſibi conſtaret, Electum eſſe indignum?*

℞. Tenetur. nam *cap. Quia propter.* indefinitè præcipitur, ut facto Scrutinio ſtatim vota publicentur. Debet tamen Superior abſtinere à confirmatione talis Electionis. Imò etiam ipſe Præſes poteſt ſummariè per teſtes inquirere de idoneitate Electi, & probatâ ſufficienter ejus indignitate (ne contra reum inauditum feratur ſententia) eundem ab Electione excludere. Pellizzar. *loc. cit. n.* 38. ſi confirmatio Electi ad alium ſpectet, ad ipſum mittet totum Electionis Proceſſum cum probationibus de inidoneitate.

Dub. 6. *An & quomodò ad Electionem communem requirantur verba ore prolata?*

℟. In Electione Canonica facienda juxta *cap. quia propter.* Electio communis facienda eſt oretenus clarâ voce; ita ut non ſufficiat factum aliud, quo in communi conſenſus eligentium manifeſtetur, ut habent DD. communiter cum Leurenio *Fori benefic. tom. 2. q. 376. n.* 1. ſic aſtipulante praxi ex ratione, quòd verbis non æquivaleant facta, quando verba ſunt de actûs ſubſtantia.

Debent autem iſta verba proferri ab uno nomine plurium, & quaſi repræſentante unitatem plurium in uno Collegio vel Capitulo, unde etiam juxta *cap. Cùm ab uno. 4. de ſent. & re judicata. in 6.* Electionis (ſcil. communis) pronunciatio per verba ſingularis numeri pronuncianda eſt: conſequenter Electionem communem facturus in perſona ſingulari & propria deberet dicere: *Ego NN. nomine omnium &c.* Conceditur tamen communiter, quòd iſta expreſſio in linguam non ſit de ſubſtantia Electionis; nec ideò Electio communis erit irrita, ſi dicatur: *Nos eligimus:* quia non eſt implicantia, quòd plurium conſenſus exprimatur per verba in plurali: Et hodie ex praxi vulgata Viri in dignitate conſtituti individuam ſuæ perſonæ ſingularitatem exprimere ſolent per particulam: *Nos:* v. g. *Nos DEi gratiâ, &c.* In ſimilibus ergo attendenda eſt quævis laudabilis conſuetudo in loco vigens.

§. XII.

De faciendis poſt finitam electionem & aliis Corollariis.

Dub.

Dub. 1. *Quid faciendum finitâ electione?*

℞. 1. Electione communi factâ, debet illa Electio inſinuari, ejuſque conſenſus exquiri; neque enim *per ſe loquendo* quiſquam cogitur electioni de ſua perſona factæ præbère aſſenſum. Quo aſſenſu præſtito ſolet applicari ipſi ſtola ſupra Superpelliceum, imponitur Biretum, traduntur claves, & particulariter clavis ad ærârium in poſſeſſionem Monaſterii Abbatiæ (quæ ſi eſſet diruta, aliud conclave loco illius pro tempore poteſt deſignari) & menſæ Abbatialis, uti & Cancellariæ, Cellerariæ, Granarii, Cellarum, aliorumque locorum intra & extra ſepta Monaſterii exiſtentium & connexorum. Exin ſolet Neo-Electus è conclavi vel loco Electionis educi, & in medio Præſidentium, præcedentibus Electoribus juxta ordinem ſuum in Eccleſiam introduci; ſub intonato Hymno Ambroſiano: *Te DEum Laudamus.* Sub quo ipſe vel in medio Chori proſtratus, vel in Stallo ſuo Abbatiali perſiſtit; ſubjunctâ per ipſummet Collectâ pro gratiarum actione, datâque in medio Altaris Majoris publicâ benedictione. Denique in Choro & Stallo Abbatiali conſtituto ſolent omnes Conventuales per oſculum manûs eidem Neo-Electo reverentiam exhibere & ſpondere obedienriam. Circa quæ tamen.

Nota: Omiſſionem Hymni: *Te DEum Laudamus:* non vitiare actum, cùm nullibi reperiatur hoc ſtatutum: Deinde reverentia exhibenda, vel traditio Clavium aut immiſſio in poſſeſſionem Monaſterii poteſt fieri etiam poſt Hymnum *Te DEum Laudamus:* adeoque inſpicienda erit conſuetudo locorum.

℞. 2. Debet ſuper toto actu Electionis confici Inſtrumentum (ſive ut alii vocant Decretum Electionis) authenticum ab aliquo Notario publico; in quo contineatur Forma Electionis, & quidquid à principio uſque ad finem electionis actum eſt. Quod Inſtrumentum poſtmodùm mittitur Confirmatori ad faciendam fidem, ut Neo-Electum poſſit confirmare. Illud tamen ipſum non eſt de ſubſtantia actûs, quia nullibi reperitur id ſancitum. Licèt enim ſit de ſubſtantia Electionis, ut ipſa Confirmatori innoteſcat, in quantum requiritur, ut de ea judicare, illamque confirmare vel caſſare valeat; eſt tamen per accidens, quòd Confirmator hanc notitiam accipiat potiùs per Scripturam, quàm per relationem fide dignam, oretenùs factam per teſtes, vel Scrutatores, aut Electores ipſos. Hinc ſi ſuperior Confirmans eſſet præſens, per ſe loquendo poſſet planè omitti, quamvìs id diſſuadeatur. Poſſet hoc Inſtrumentum confici à Regulari, ſi ſit Notarius: Si enim libris ratiociniorum Conventuum ſcriptis manu Notarii Monachi, aut fortè etiam Monialis adhibeatur fides, cur non etiam adhiberetur fides tali Inſtrumento facto à Regulari Notario? Pellizzarius *l. c. n.* 37. ex parte contra Lezanam *in Mari Magno Eremitarum. n.* 143. Imò multi cenſent, quòd per ſe loquendo ad hoc Inſtrumentum conficiendum aſſumi poſſit Notarius Laicus.

Obſerva: In electionibus non Regularium eſt ordinarium, ut omnes Electores Inſtrumentum ſubſcribant, v. g. *Ego Titius Capitularis hujus Eccleſiæ N. interfui huic Electioni, conſenſi, & pro-*

pria

Digitized by Google

pria manu ſubſcripſi: Hoc tamen non eſſe requiſitum neceſſarium, tenet communior contra nonnullos alios: Ex quo enim fundamento hæc neceſſitas evincetur? Ut verò hoc Inſtrumentum legitimè plenam fidem faciat, cofectum eſſe debet juxta cujuſvis Capituli conſtitutiones Apoſtolicâ auctoritate] approbatas; Etſi quidem Leges vel conſuetudines obtineant, ut ad hoc aſſumatur Notarius, id erit ſervandum: ſi verò de hoc nihil ſit ſancitum, poterunt ipſi Scrutatores ad hoc aſſumi & deputari, ut tanquam Tabelliones proceſſum Electionis conſcribant; tunc enim hoc ipſo iſti procedunt ut perſonæ publicæ. ex officio ſcribentes, & conſequenter ex hac auctoritate publica plenam fidem facient, etiam aſque aliis ulterioribus teſtibus: cur enim tres Scrutatores ex officio ſcribentes vel ſubſcribentes non mererentur æqualem vel etiam majorem fidem, quàm unus Notarius & duo teſtes? Notant tamen aliqui cum Paſſerino, quòd dum Scrutatores tale Inſtrumentum conſcribunt, debeat neceſſariò apponi ſigillum Capituli: dum verò alius Notarius publicus id ſcribit, ſufficiat ſigillum ſui Notariatûs abſque ſigillo Capituli.

Dub. 2. *An Capitulares teneantur petere conſenſum electi?*

℟. In Electionibus ad Eccleſias Cathedrales & Regulares ex Jure communi & ſecluſis conſtitutionibus particularibus vel conſuetudinibus tenentur petere electi conſenſum & quidem infra octiduum, *cap. cupientes. de Elect. in 6.* Vide hic infra *dub. 9. & q. 19.* & *q. 26.*

Dub. 3. *An Electores poſſint ſtatim publicato Scrutinio ante factam electionem communem conſenſum Electi exquirere: vel an Electus pro tunc conſenſum poſſit præſtare?*

℞. Neutrum poteſt fieri, aliàs electio erit ipſo jure nulla, quia eſt contra Ordinem in *c. Quia propter.* ſtatutum, vi cujus factâ collatione votorum & ſcrutinio finito jubetur mox abſque actu alio interpoſito fieri Electio communis. Fieret autem interruptio & dilatio Electionis communis, ſi inter Scrutinium peractum, & Electionem, Electores conſenſum Electi inquirerent, aut Electus conſenſum ſuum præſtaret: hic enim eſſet verè actus intermedius. Unde etiam *cap. Cùm poſt.* 46. *de Elect.* Ob ſolum conſenſum contra debitum Ordinem requiſitum electio fuit caſſata: item. *Quia tamen examinato ſicut decuit proceſſu Electionis tuæ, invenimus eam poſt publicationem conſenſuum, & collationis tractatum, aliquamdiu fuiſſe protractam, aſſenſumque tuum priùs, quàm electus fueris, requiſitum: electionem eandem (ex ipſius duntaxat inordinato proceſſu) juſtitiâ caſſavimus exigente.* Ita ibi. Adeoque ratio hujus nullitatis eſt potiùs perturbatio Ordinis debiti, quàm ambitio prætenſa nominati præproperè conſentientis. Prædicta intellige de requiſitione conſensûs publica facta ex Officio: non enìm culpatur requiſitio privata, ſi Capitulum vel potiùs Capitulares ante electionem privatim explorent conſenſum eligendi, ne poſteà ſi is diſſentiret, invanum tempus pro electione communi inſumpſerint.

Dub. 4. *An prædicta in Scrutinio debeant ſervari*

non

Digitized by Google

non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam ſecundùm Ordinem, ſecundùm quem ſunt recenſita?

℞. Affirmativè: Ratio: *cap. Quia propter.* poſt conditiones dicto ordine præſcriptas ſubdit: *aliter electio facta non valeat.*

Dub. 5. *Quid ſi forma præſcripta non poſſit ſervari?*

℞. Debet ſervari quantùm poteſt: ſi quædam non poſſint ſervari; Electio non ideò erit irrita. Ratio: Lex non ſtringit ubi de facto ſervari non poteſt, *cap. Erit autem lex. diſt.* 4. *L. fin. ff. quæ ſententiæ ſine appellatione reſcindantur. L. ita autem. ff. de adminiſtratione & periculo tutorum.* ita Pellizzarius *loc. cit. cap.* 2. *Sect.* 1. *n.* 4. ubi ſpecificat caſum, in quo extarent ſolùm duo Electores in Capitulo, qui facient electionem validam, & tamen non poſſunt ſervare formam præſcriptam, cùm electio non poſſit manere ſecreta, eò quòd alter debeat ſcire, cui in electione à ſuo Collega votum ſit datum. Similiter in tali Electione non poſſent haberi Scrutatores tres è gremio &c.

Dub. 6. *An formâ cap. quia propter. præſcriptâ non ſervata, electio ſit ipſo jure nulla, an ſolùm annullanda?*

℞. Eſt probabiliter ipſo jure nulla. Ratio: *in d. cap.* ſubditur: *Aliter electio facta non valeat.* Ea autem quæ in præſenti vel quaſi in præſenti decernuntur irrita, communiter cenſentur eſſe irrita ipſo jure. Si tamen nemo electionem impugnet, Electus eſt tutus in conſcientia, & poſt triennium à die poſſeſſionis adeptæ non debet ampliùs moleſtari,

ſtari. Wagnereck *in d. cap. quia propter. v. aliter electio facta.* allegans Regulam 33. Cancellariæ, per quam regulam ait Pontificem velle ſupplere defectum Electionis aut proviſionis.

Porro Electores transgredientes formam præſcriptam, non incurrunt pœnam privationis ipſo facto, ſed modò per ſententiam, quia *cap. quia propter.* utitur particulâ: *priventur.* Ibi: *Qui verò contra præſcriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice, poteſtate priventur*, quod ſonat ſententiam modò ferendam.

Dub. 7. *An Electores poſſint ſe Electioni factæ opponere?*

De oppoſitione contra publicationem votorum dictum eſt. §. 9. *dub.* 3. *in fin.* Hic ſermo eſt de oppoſitione reſpectu ipſius Electionis.

℞. 1. Si ab initio Electores ſe opponant, & appellent, ne procedatur ad Electionem, quando carent rationabili causâ, nihil obſunt, ſecùs eſt, ſi nitatur causâ, qualis eſt, ſi locus celebrandæ Electionis eſſet interdictus, vel infectus contagione; aut ſi Electores eſſent inhabiles, vel intereſſe vellent, qui non debent intereſſe, colligitur *ex cap. conſideravimus.* 10. *de Elect.*

℞. 2. Qui Electioni de ſe factæ renunciat, non poteſt appellare ad impediendam electionem alterius, Summarium *ad cap. Cùm inter.* 16. *eod.*

℞. 3. Electione unanimiter peractâ non poſſunt ſe Electores poſteà modò opponere, niſi ex cauſis de novo emergentibus, vel niſi indignitas aut improbitas morum Electi ex poſt modò ſit detecta, *cap. Nulli.* 8. *eodem in* 6. ℞. 4.

℞. 4. Debet oppoſitio fieri hoc modo: Appellantes in Inſtrumento publico ſeu literis ſuper appellatione, confectis, omnia & ſingula debent exprimere, quæ contra formam Electionis, vel perſonas (tam electam, quàm eligentes) intendunt objicere: Dein coram una vel pluribus perſonis authenticis, quæ ſuper hoc teſtimonium perhibeant veritati, corporale præſtent juramentum, quod credant ea, quæ objiciunt, eſſe vera, vel ſe ea poſſe probare: Alioquin objiciendo aliqua, quæ non fuerint in hujuſmodi literis expreſſa, poteſtatem objiciendi non expreſſa, ſibi, ſuiſque adhærentibus noverint interdictam, niſi aliquid de novo emerſerit, quod tempore appellationis veriſimiliter ignorare potuerint, & etiam ignorârint; vel niſi ſuper antiquis probandi facultas modò ſupervenerit, textus expreſſus *in cap. Ut circa.* 4. *h. t. in* 6. Additur *in cap. ſtatuimus eod. in* 6. Quòd, ſi impugnetur forma vel perſona, & ad Pontificem contingat appellari, omnes, quorum intereſt, per ſe, vel per Procuratores ad Sedem Apoſtolicam à die objectionis iter arripiant intra menſem. Si parte unâ veniente, altera per viginti dies exſpectata non venerit, eo non obſtante procedatur.

Qui plenè non probaverit, quod in *formam* opponit, in expenſas condemnetur. Qui in probatione *adversùs perſonam* defecerit, à beneficiis ſuis per triennium ſit ſuſpenſus, in illa ſe interim ingerens, iiſdem perpetuò ſit privatus, niſi manifeſtò calumniam purgaverit, ita ibi. Sed cùm hæc ſint pœnalia, & adſit terminus *condemnetur*, non incurrentur ipſo jure. ℞. 5.

℟. 5. Opponens non poteſt pœnitere, & deſiſtere in præjudicium ejus, contra quem oppoſuit, *cap. ab eo. 31. h. t. in 6.*

Quando proſequentes vel impugnantes poſtulationem aut electionem, poſſint repetere expenſas, dicetur *p. 2. q.* 24. Plura de appellatione à confirmatione vide *Sect*, 4. *q.* 27.

Dub. 8. *Quam pœnam incurrant ii, qui moleſtant Electores ideò, quia non elegerunt illum, pro quo fuerunt rogati, vel ſollicitati?*

℟. Pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendam *cap. ſciant* 12. *h. t. in 6.* ubi indicatur, Electores cenſeri moleſtatos, non ſolùm, ſi eorum perſona propria gravetur, ſed etiam, ſi eorum conſanguinei, Eccleſiæ, Monaſteria, loca, ſeu bona cætera graventur.

Dub. 9. *Quomodò Electio ſit intimanda Electo?*

℟. Si ſit præſens, fiat id oretenùs, quamprimùm commodè fieri poteſt: Si abſens, debet eidem electio notificari in formâ authenticâ, hoc eſt, ſubſcriptâ ab omnibus Electoribus, aut ſaltem à Scribâ de mandato illorum. Pellizaarius *in Man. Regul. tr. 9. cap. 2. Sect. 1. n.* 44. vide infra *q.* 19.

Dub. 10. *Ad quid referatur hæc clauſula in ſæpe cit. cap.* Quia propter *expreſſa:* Electio aliter facta non valeat?

℟. Tantum referri debet ad ea, quæ ad ſubſtantialem formam ſpectant, non verò ad ea, quæ ad ſolam juſtitiam electionis pertinent, quale eſt illud, ut electio fiat præſentibus & vocatis omnibus, qui debent, volunt & poſſunt commodè intereſſe.

Ita

Ita textus expreſſus, *cap. Eccleſia veſtra.* 57. *v. denique ſtatutum de Elect. & Electi poteſt:* Ex quo Pirhing *h.t.n.* 198, *verſ. notandum* 4. format hanc regulam generalem, quòd clauſula in fine diſpoſitionis poſita non referatur ad omnia antecedentia, ſi ex eo ſequatur jurium correctio, aut aliud quoddam abſurdum vel inconveniens; aut ſi adſit congrua ratio diverſitatis, cur ad aliqua ex antecedentibus, & non ad omnia referatur.

Porrò ſecundùm aliquos ſubſtantialia formæ *in cap. quia propter:* expreſſæ, non incipiunt à verbis illis: *Aſſumantur Tres de Collegio.* Sed à verbis immediatè ſequentibus: *Qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant*, prout ſentit *Gl. in d. cap. quia propter. v. Sanior. in fine.* Mandagotus *de Elect cap.* 23. *v. irritari. &c.* Verùm deciſio Rotalis *in una Trevirenſis Abbatiæ S. Maximini coram Reverendiſſimo D. Decano Coccino.* 20. *Novembr.* 1624. dicit expreſsè hanc Gloſſam non eſſe veram, & contrarium debet admitti ab omnibus, qui ſentiunt tres tantùm & non plures Scrutatores eſſe admittendos, aliàs Electio ſit nulla, de quo vide §. 3. *dub.* 6. à qua opinione juxta citatam Deciſionem Rotalem non eſt recedendum in conſulendo vel judicando.

Nota: Dicta de libertate, Secreto, publicatione votorum, collatione zeli ad zelum, Electione communi &c. debere obſervari tam in via Scrutinii, quàm Compromiſſi, de qua ſit.

QUÆSTIO VII.

In quo conſiſtat forma eligendi per Compromiſſum?

℟. Con-

℟. Compromiſſum in genere eſt, quando partes inter ſe conveniunt, ut lis vel quæſtio aliqua litigioſa arbitrio boni viri termine.ur. Hìc ſumitur pro voluntaria conventione, quâ Electores inter ſe conveniunt, ut Eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice & nomine omnium aliorum eligant. Vaſtitas hujus materiæ exigit, ut iterum in ſpecialia dubia ſubdiſtinguatur.

Porrò Compromiſſum eſt duplex in Electionibus. Aliud eſt *abſolutum*, vi cujus in Compromiſſarios translata eſt omnis poteſtas eligendi vel poſtulandi quemcunque idoneum, etſi non eſſet de gremio, cujus exemplum reperitur *cap. In cauſis. 30. h. t.* Aliud eſt *limitatum* vi cujus Compromiſſariis datur ſolùm poteſtas eligendi cum reſtrictione aliquâ v. g. ut ſolùm aliquem eligant de gremio; vel ut ad electionem adhibeatur aliorum conſilium, vel (ut magìs ſpecialiter in præſenti materia ſumitur) vi cujus Compromiſſariis ſolùm datur poteſtas, ut ſecretò exquiſitis ſingulorum votis eligant duntaxat illum, qui à majori Capituli parte fuerit nominatus. juxta *cap. cùm dilectus. 32. h. t.* & *cap. cùm expedias. 29. eod. in 6.* ubi

Obſerva 1. Quando inferiùs dicetur Electionem per Compromiſſum non uſquequaque tolerari, ad ſummum de Compromiſſo *abſoluto* intelligitur; nam *limitatum* non eſſe abrogatum per Concilium Generale, relatum in *Cap. Quia propter.* colligitur ſatis *ex cit. cap. 30, h. t.* & *cap. 29. eod.*

eod. in 6. Sic conſentientibus Doctoribus etiam poſt Concilium Tridentinum.

Obſerva 2. Quando Compromiſſariis datur poteſtas eligendi eum, in quem major pars Capituli conſenſerit, intelligitur non de majoritate reſpectu aliorum Nominatorum, ſed reſpectu totius Capituli, ut explicatur hâc *Sect.* 1. *q.* 17. aliàs Compromiſſum erit nullum.

Obſerva 3. Compromiſſum *limitatum* hìc deſcriptum reipsâ eſt forma mixta ex ſcrutinio & compromiſſo; ac proinde forma Scrutinii in tali electione compromiſſoria eſt ſervanda; ita ut ſi plures ſint Compromiſſarii, unus eorum Electionem communem facere debeat, aliter Electio facta non teneat, *cap. ſicut enim.* 21. *h. t.*

Hæc tamen forma adhuc differt à ſimplici Scrutinio, quòd in Electione ſcrutiniali debeat eſſe plus quàm unus Scrutator juxta hanc *Sect.* 1. *q.* 6. §. 3. *dub.* 5. at in Compromiſſo poteſt ſufficere unus Compromiſſarius, juxta dicenda hac *q.* 7. *dub.* 7.

Obſerva 4. Aliqui cum Pirhing *h. t. n.* 210. putant, hanc formam mixtam hodiè eſſe expeditiorem, quàm forma Compromiſſi abſoluti & ſcrutinii.

Obſerva 5. In Compromiſſo limitato ſive mixto, ſi Compromiſſarii unum de Collegio ab omnibus nominatum elegerint, ſed cujus præſentis votum non exquiſierint, etſi hic electus electioni conſenſerit, ſi tamen ante Electionem voci activæ non renunciaverit, electio erit nulla, nam de ratione Scrutinii eſt, ut omnium Electorum vota exquirantur, ut dictum ſupra. *q.* 6. §. 8.

Obſer-

Obſerva 6. Si Electores independenter à Scrutinio compromittant, ut determinatè hæc vel illa perſona N. eligatur, electio eſt nulla, quia ſic eligendus nominatur extra Scrutinium, quod eſt invalidum, ſecùs eſt, ſi jam aliquis in Scrutinio nominatus fuiſſet, tunc enim bene poteſt fieri compromiſſum, ut hæc determinata perſona à Compromiſſariis eligatur.

Obſerva 7. Si Compromiſſariis limitetur electio hoc modo: ut eligant unum ex tribus, quos tres de Capitulo nominabunt, electio eſt nulla, quia iſta forma non exprimitur *cap. Quia propter.* at nulla forma valet, niſi quæ ibidem exprimitur, *cap. ſi cui. de Elect. & textus ind. c. Quia propter.*

Obſerva 8. In Compromiſſo mixto reipsâ in nihil aliud compromittitur, niſi in electionem communem, vel ad ſummum in publicationem Scrutinii & Collationem: nam facultatem eligendum in Scrutinio nominandi ſibi ipſis reſervant Electores; & Compromiſſarii poſteà non habent aliam facultatem, niſi hunc in Scrutinio nominatum eligendi.

Obſerva 9. Si Compromiſſarii ipſi cujuſvis Electoris votum exquirere debeant, debent neceſſariò conſtitui tot Compromiſſarii, quot ex Jure requiruntur Scrutatores: quia in hoc caſu Compromiſſarii reipsâ nihil aliud ſunt, quàm Scrutatores. Si verò compromittatur, vel committatur ſola electio illius, qui ex Scrutinio ab aliis facto & publicato nominatus eſt à majori & ſaniori parte, ſufficit unus Compromiſſarius.

Obſer-

Digitized by Google

Obſerva 10. Compromiſſum *mixtum* differt à Scrutinio puro, quòd in Scrutinio puro is, cui committitur electio communis, eligat vice præſentium Electorum: at in Compromiſſo mixto eligat vice propriâ & aliorum Compromiſſariorum, ſi eorum ſint plures. Hinc licet aliàs in Scrutinio puro à Lege quiſpiam determinatus eſſet, pro electione communi facienda: poteſt tamen per compromiſſum hæc poteſtas ad alterum transferri. Altera diſtinctio Scrutinii puri, & compromiſſi mixti colligitur ex *obſerv.* 9. His poſitis ſit

Dub. 1. *An quis invitus poſſit ad viam compromiſſi cogi?*

℟. *Ex jure communi*, nemo Electorum poteſt cogi, ita DD. communiter *in L. Furti. 6. §. qui juſſu. ff. de his qui notantur infamia* & probatur *ex cap. In cauſis. 30. §. quia verò. h. t.* ubi dicitur: quòd *poſtulatio facta per eos, in quos totum Capitulum eligendi transtulerat poteſtatem* (quod fit in compromiſſo) *propter quod Unanimiter de Conſenſu totius Capituli intelligitur eſſe facta, ſit manutenenda*, non obſtante, quòd quidam re non ampliùs integrâ reclamaverit: Infero: ergo ſaltem ab initio requiritur, ut translatio poteſtatis eligendi in certos tantùm, fiat *Unanimiter de conſenſu totius Capituli.* Conf. jus eligendi, ſive dandi vocem activam in electionibus competit Electoribus ut ſingulis, non ut collectivè ſumptis: ergo etſi aliqui vellent renunciare voci activæ à ſe immediate præſtandæ, tamen alii ad hoc non tenebuntur. Quod adeò verum eſſe judicat Donatus *in prax. Regul. tom. 2. p. 1. tr. 1. q. 14. n. 7.* ut non

G ſuffi-

ſufficiat conſenſus tacitus aliorum, v. g. ſi Compromiſſum fieret tantùm ab aliquibus aliis præſentibus, & non contradicentibus: ex ratione, quod in re gravi & magni momenti, qualis eſt præſens, taciturnitas non noceat, *Gl. in cap. qui tacet de R. J. in 6.* unde requiritur conſenſus expreſſus.

Si tamen in cujuſdam Ordinis Religioſi Conſtitutionibus eſſet ſancitum, ut hæc via adhibeatur: præſcindendo à Decreto Concilii Tridentini *Seſſ. 25. de Regul. cap. 6.* poſſent talem Ordinem profeſſi cogi ad inſiſtendum viæ Compromiſſi, maximè ſi ſit compromiſſum mixtum.

Ratio: Per Profeſſionem, qua inter cætera amplexi ſunt talia ſtatuta hujus Ordinis, cenſentur renunciâſſe favori à jure communi pro ſe non tam præcepto, quàm conceſſo. Quid autem dicendum ſit de mente Concilii Trident. Dico breviter: quòd illud ad Summum Regularibus inhibeat compromiſſum purum, vide etiam infra *q.8.* Imò obſerva: Datam reſponſionem, quòd nemo invitus ad Compromiſſum cogi poſſet, multi intelligunt de ſolo compromiſſo abſoluto: in quo Electores deberent cedere ſuo Jure, quod quilibet habet ad eligendum: nemo verò invitus jure ſuo cedere teneatur. At ſi ſermo ſit de compromiſſo mixto, ſufficiat, in electionem compromiſſoriorum conſenſiſſe majorem partem Capituli; eò quòd in hoc compromiſſo nulli Electorum fiat injuria, cùm illis adhuc relinquatur Scrutinium, vota ſingulorum ſint exquirenda, adeoque quilibet nominare valeat perſonam, quam vult, & Compromiſſarii eligere nequeant, niſi nominatum à majori parte Capituli.

Dub.

Digitized by Google

Dub. 2. *An Compromiſſarii debeant eſſe de Capitulo?*

℞. Negativè, attento ſolo jure communi. Eſt expreſſum *cap. Cauſam, quæ* 8. *h. t.* Secùs eſſet, ſi quæ Congregatio, vel Ordo Regularis haberet ſtatuta ſpecialia contraria: nam etſi aliàs Congregationes particulares, vel Status Regulares non poſſint derogare Juri communi, tanquam inferiores illo, hoc tamen intelligitur ſolùm de Jure communi præceptivo, non purè permiſſivo, vel collativo alicujus favoris, cui quilibet poteſt renunciare, ſi renunciatio non cedat in præjudicium totius Ordinis vel tertii, *cap. fin. de Feriis. L. penult. C. de pactis.* Unde etiam inſpecto Jure communi Mas Compromiſſarius eſſe poteſt in Electionibus Monialium. *d. Cap. cauſam.*

Dub. 3. *An poſſit compromitti in quoslibet?*

℞. Negativè: Quia *cap. quia propter.* dicit id eſſe committendum *viris idoneis.* Hinc Compromiſſarii in Electione Eccleſiaſticâ debent ad minimum eſſe Clerici; quia Laici de jure nec debent, nec poſſunt tractare negotia Eccleſiaſtica *cap. 2. de judiciis.* Imò in Electionibus Regularium deberent eſſe Regulares, de curſu ordinario, auctore Donato *ſupra q.* 14. *n.* 3. Ratio: Sic videtur magìs obſervari præceptum de viris idoneis aſſumendis. De curſu extraordinario tolerari poſſet compromiſſum in extraneum, v. g. in Epiſcopum ut patet ex *d. c. cauſam quæ.*

Nec dic: Laicus poteſt eſſe Procurator in cauſis ſpiritualibus, *cap.* 1. *de Procuratoribus. in* 6. atqui Compromiſſarii ſunt tantùm Procuratores

Digitized by Google

eligentium: ergo etiam Laici poſſunt eſſe Compromiſſarii in Electione Eccleſiaſtica. ℞. N. Min. Eſt enim inter Compromiſſarios & Procuratores eligentium differentia magna: Procuratores exhibent ſolum Miniſterium facti, Compromiſſarii autem ſunt quaſi arbitri, teſte Fagnano *in cap. Cauſam.* 8. *n.* 13. *h t.* Debent enim arbitrari, an eligendus ſit idoneus ad Prælaturam: non decet autem Laicos in talibus ſuper perſonas Eccleſiaſticas arbitrari, imò *cap. contingit. de arbitris.* univerſim interdicitur, ne Laici aſſumantur in arbitros ſuper Spiritualibus.

Dub. 4. *An Religioſus poſſit eſſe Compromiſſarius alicujus electionis ſine licentia Superioris?*

℞. Inſpectâ ſola auctoritate, Affirmativa eſt probabilis, ſive electio fiat in proprio, ſive alieno Monaſterio, eò quòd eſſe Compromiſſarium in Electione ſit officium pietatis, ad quod non ſolet requiri licentia Superioris. Inſpectâ verò ratione ſolidiori melius videtur reſponderi ſub disjunctione dicendo, quòd Religioſus pro Electione facienda in proprio Monaſterio poſſit eſſe Compromiſſarius ſine Superioris licentia, cùm id ſibi competat ex jure communi, & quatenùs eſt membrum illius Monaſterii: at ſi Electio fiat in alieno Monaſterio, vel ad alienam Eccleſiam, indigeat licentiâ Superioris, eò quòd Religioſus non habeat proprium velle aut nolle etiam ad res pias, *cap.* 2. *de teſtam. in* 6. ita Sanchez *in Decal. Lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 64.

Dub. 5. *Quomodò Compromiſſarii debeant aſſumi?*

℞. Non

℟. Non per formam veræ Electionis, quia ad hanc iterum requirerentur alii Scrutatores vel Compromiſſarii, & de his iterum erit quæſtio, an ſint aſſumendi per veram electionem, & ſic tandem ibitur in infinitum; Sufficit ergo, quòd verè à Capitularibus capitulariter congregatis deſignentur juxta dicta de Scrutatoribus. *q. præced.* §. 3. *dub.* 4. Non tamen eſt contemnenda praxis, vi cujus ſolent Capitulares in ſchedis inſcribere nomina Compromiſſariorum, quos petunt, ita ut illi ſint aſſumendi, qui hoc ſenſu plura vota habent.

Obſerva: Si Compromiſſarii eligantur aut deſignentur à Superiore, vel ab uno aliquo Capitulari, reliquis duntaxat tacentibus & non repugnantibus, Compromiſſum non eſt validum: quia in rebus arduis & magni momenti debent omnes ſingulariter interrogari, & expreſsè conſentire, neque in re gravi taciturnitas ſola habetur pro conſenſu. Verùm pro difficultatibus & tricis præcavendis meliùs facient Electores, ſi, cùm fructuosè poſſunt, expreſsê contradicant, quando tale Compromiſſum nolunt tolerare: nam non obſtante, quòd Officium *Scrutatoris* etiam rebus magni momenti ſit annumerandum, ſi tamen quidam non ad hoc deputati vel electi, ſponte ſe huic officio ingererent, reliquis Capitularibus tacentibus, electio juxta probatos DD. non eſt ideò irrita, ut inſinuatum *q.* 6. §. 3. *dub.* 2. ergo etiam non erit uſquequaque certum, quòd Compromiſſum ſit irritum, quando *Compromiſſarii* eliguntur à Superiore vel uno Capitulari reliquis tacentibus.

Dub. 6. *Quid ſi Capitulares non poſſent conveni-re circa Compromiſſarios?*

℞. Poſſent aliquos deſignare, per quos Compromiſſarii eligantur. Ludovicus Engel. *h. t. n.* 41.

Dub. 7. *Quot debeant eſſe Compromiſſarii?*

℞. Per ſe loquando ſufficit unus; ſic non fuit rejectum Compromiſſum Monialium, quæ compromiſerunt in unum Epiſcopum, *cap. cauſam quæ.* 8. *h. t.* Suadetur tamen, ut adhibeantur plures, iique numero impares, v. g. tres, quinque, vel pro multitudine Capitularium ſeptem, quæ imparitas numeri ideò ſuadetur, ne duo electi poſſint facilè habere vota paria.

Dub. 8. *Quemnam poſſint Compromiſſarii eligere?*

℞. Omnem, qui habet vocem paſſivam non impeditam, ut ſic ille cenſeatur eſſe electus, qui habet plura vota Compromiſſariorum. Hinc ſi Compromiſſariorum ſint plures, poſſunt aliquem ex ſeipſis eligere, ſicut & ipſi Scrutatores in via Scrutinii.

Dub. 9. *An Compromiſſariorum aliquis ſciens ſe habere vota aliorum, poſſit conſentiendo in Electionem numerum ſuffragiorum augere?*

℞. Poteſt; conſtat *ex cap. cùm in Jure.* 33. *h. t.* ubi ſtatuitur, quòd ſi ex ſeptem Compromiſſariis tres eligant quartum, etiam Compromiſſarium, & tres alii unum non Compromiſſarium, quòd inquam ille unus ex ſeptem electioni de ſe factæ conſentiens ſit præferendus; ergo ſignum eſt, quod per illum conſenſum numerus fuerit auctus, aliàs ſiquidem non foret ratio præferendi.

Nec

Digitized by Google

Nec dic 1. Tutor non poteſt rem pupilli à ſeipſo emere, licèt ſit deputatus ad res ejuſdem diſtrahendas & adminiſtrandas, *L. non licet. 46. ff. de contrahenda ratione.* niſi in caſu, quo palàm & ſine fraude res pupilli omnibus exponuntur venales; vel niſi ſint plures tutores ejuſdem pupilli, & unus cum conſenſu alterius Tutoris rem pupilli vellet emere, *L. pupillus. 5. §. item ipſe. 2. & §. ſanè ſi ipſe. 4. ffi. de auctoritate & conſenſu tutorum & Curatorum.* Ergo etiam Compromiſſarii non poſſunt ſibi invicem dare vota in Electione, ſaltem niſi conſenſerint compromittentes, ut poſſint aliquem ex ſe eligere.

℟. N. conſeq. diſparitas eſt, quia ſi Tutores pro libitu poſſent emere res pupilli, pateret locus fraudibus, & ipſi non emerent, niſi pretio infimo, vel cum quadam injuriâ adhuc infra pretium infimum, cùm tamen eadem res poſſit vendi pretio ſummo vel mediocri. Unde cùm præcavetur fraudi, v. g. ſi palàm res pupilli exponerentur venales, non prohiberetur Tutor eas emere, *d. L. Pupillus, de auctorit. Tutor.* Econtra ex eo, quòd Compromiſſarii poſſent unum ex ſe eligere, non ſequitur ullum periculum ſpeciale, committendæ fraudis, imò potiùs viciſſim, ſi non poſſent ſic procedere, inveniretur locus fraudibus, quia ſcil. Compromittentes poſſent in unum vel alterum compromittere ex intentione, ut ille Compromiſſarius non poſſet eligi. Ad hæc, quis ſuſciperet munus Compromiſſarii, ſi ſciret, ſe per hoc ab electione paſſivâ arcendum? Habetur quidem *in d. cap. Cùm in Jure.* quòd Compromiſſarii habuerint

rint à Capitulo facultatem eligendi unum ex ſe ipſis, & ideò Gloſſa ait: ſine hac facultate eoſdem ſic procedere non potuiſſe; Aſt hoc in textu dicitur eſſe factum, nullibi decernitur eſſe faciendnm, ut colligitur ex allegatis juribus.

Nec dic 2. Compromiſſarius conſentiens ſelectioni de ſe factæ, ex intentione ſic augendi numerum votorum, reputatur ambitioſus: atqui ambitioſis non debet patere aditus ad Dignitates, ergo nec tali Compromiſſario.

℞. N. Major nam ad ambitionem ſtrictè dictam requiritur, ut aditus addignitatem habeat principaliter ortum ab ipſo ambiente dignitatem: At in noſtro caſu habet principaliter ortum ab aliis, & à conſentiente fit tantùm acceſſoriè.

Petes 1. *An hic dicta procedant, ſi Compromiſſariorum non ſint plures, ſed ſolùm unus?*

℞. Negativè: Si enim eſſet ſolùm unus, etſi accepiſſet pleniſſimam poteſtatem eligendi & poſtulandi quemcunque idoneum, ſemper ipſe cenſetur exceptus: ſi enim ſibi ipſi vellet dare votum, electio non tantùm acceſſoriè, ſed principaliter haberet ortum ab ipſo Compromiſſario, conſequenter eſſet ambitio *contra cap. In ſcripturis, VIII. q.* 1. vide infra *Petes* 5.

Nec dic: Eædem rationes, quæ probant non poſſe excludi Compromiſſarios, ſi ſint plures, probant etiam, ſi ſit ſolùm unus. ℞. N. aſſ. quia primò non eſt illud periculum fraudum allegatum hoc *dub. 9. object.* 1. *in* ℞. Si enim omnes vellent compromittere in unum, ut iſte non poſſit eligi, compendioſiori & faciliori viâ procederent, non

dando

dando ipſi votum: ut quid ergo in ipſum compromitterent? At Compromiſſarios plures impedire ab electione paſſiva non eſt tam facile, negando præciſè ipſis votum, quia Electores non poſſent ſcire, an omnes ſint negaturi votum, & facilior eſt via aliquem eligendi in Compromiſſarium, quàm facere, ut nullum votum accipiat. Secundò quòd dicatur, nullum futurum, qui ſolus hoc munus obiret, ſi deberet ſcire, ſe propterea non eſſe eligendum, non urget, quia eo ipſo, quòd videat in ſe unum compromitti, videt pariter ſe non habere ſpem accipiendi vocem paſſivam: Si enim quiſpiam habentium vocem activam ipſi voluiſſet dare ſuffragium immediatè ad dignitatem, non fuiſſet opus in illum compromittere.

Præterea ſi ex Compromiſſariis unus conſentit Electioni de ſe factæ Jura non arguunt ipſum ambitionis, qui ut patet *ex cit. cap.* 22. arguunt verò illum ambitionis, qui ſolus conſtitutus Compromiſſarius ſeipſum nominaret. Et ideò cùm Joannes XXII. & XXIII. ex Compromiſſo habens jus eligendi Pontificem 17. Maji Anno 1410. ſeipſum nominâſſet, ut habetur *tom.* 4. *Conciliorum.* à Concilio Conſtantienſi depoſitus eſt, teſte Hermes *in Faſci. Juris publ. cap.* 7. *q.* 17. & *q.* 31. ubi expreſsè noſtram defendit ſententiam. Ex quo etiam confirmatur aſſertum, quòd Compromiſſarius unus non poſſit ſeipſum eligere. 1. Quia ſicut in contractibus debet eſſe diſtinctio inter Creditorem & debitorem, inter dantem & accipientem, *L.* 4, *ff. de Curatoribus furioſo dandis. cap. cùm ad noſtram. de Inſtit.* ita etiam debet eſſe perſonarum

diverſittas inter Eligentem & Electum, 2. Quia nemo poteſt eſſ teſtis & Judex in propriâ causâ. *L. 10. ff. de Jurisd. L. Nullus. C. de teſtibus. L. un. C. ne quis in ſua cauſa.* Eligens autem ſeipſum de propriâ habilitate judicaret vel de ea teſtaretur. 3. Nullus ſeipſum in Eccleſiâ patronata poteſt præſentare, etſi idoneus ſit & bene meritus, *cap. per noſtras de Jure patron.* ergo neque ſeipſum poteſt quis eligere. Legitur quidem de Sigiſmundo Hungariæ Rege, quòd Anno 1410 in Electione Regis Bohemiæ, cùm ei à reliquis Electoribus ob dignitatem Regiam deferretur primum ſuffragium promendum, ſeipſum nominârit. *Me* inquiens, *ego novi, alios non item, cùm neſciam, an quiſpiam alius æquè ſit idoneus capeſſendo Orbis Imperio in tanta præſertim rei Chriſtianæ ob pluralitatem Pontificum confuſione, me ipſum igitur nomino.* Sed hæc ipſa electio poſtmodum communi Electorum calculo fuit approbata, & per hoc videtur etiam modò robur accepiſſe; ſi tamen Hiſtoria hæc veritate nitatur; nam non contemnendi A. A. ex Decreto ipſius Sigiſmundi docent ipſum in Hungaria abſentem Legatos miſiſſe, conſequenter electioni non interfuiſſe, quomodò ergo primus votum dedit?

Petes 2. *An ſi Compromiſſarius A. alium elegiſſet, ſed aliquot ſequentes conſenſiſſent in ipſum Compromiſſarium A. eumque elegiſſent, poſſit ille Compromiſſarius A. revocare ſuum votum alteri datum & Electioni ſuæ aſſenſum præbere?*

℞. Veroſimiliùs Negativè: eſt contra Hermes *l. c. q. 31. n. 57.* Ratio: Si hoc ſemel concederetur,

deretur, eiſſet in facultate & arbitrio talis Compromiſſarii, infirmandi vel perficiendi electiones, quod non præſumuntur concedere ii, qui eum conſtituerunt in Compromiſſarium; Et ideò etiam Scrutatores in via Scrutinii juxta nonnullos tantùm debent omnium primò à ſe invicem vota exquirere, ut dictum *q.6. §. 7. dub.* 2. Nec juvat Hermannum Hermes *cap. cùm in Jure. de Elect.* quod allegat, quia ibi ſolùm fit mentio, quòd electio ſit præferenda, ſi Compromiſſarius electioni de ſe factæ conſentiat, an autem iſte conſenſus poſſit præſtari cum revocatione voti priùs dati, nullibi exprimitur.

Petes 3. *An etiam electus viâ Scrutinii conſentiendo electioni de ſe facta à media parte eligentium augeat numerum & electionem perficiat?*

℟. Authores variant, Zerola *in praxi Epiſcopali, p.* 1. *v. Electio. §. quartò electus.* citans Sylveſtrum *in Summa v. Electio* 2. §. 18. *n.* 23. Geminianum *in cap. cùm expediat. v. ſed pone. de Elect. in* 6. ſtat pro negativâ tam in viâ Scrutinii, quàm communis inſpirationis, Hermes. *loc. cit. q.* 17. *n.* 43. ſtat pro affirmativa, dicendo: Si jus electionis in unum recidat, *juta L.* 7. *ff. Quod cujusque Univerſiatis*, Hìc ſeipſum eligere non poteſt, *Cap. fin. de Elect.* Arumnæus *ad Auream Bullam diſc.* 2. *Theſi.* 29. Sin autem aliorum votis ſe conformet, ſecùs eſt, hic enim non tam ſuum, quàm aliorum judicium ſequi videtur, & incivilior diceretur, ſi aliis Magnatibus (loquitur de Electione Imperatoris) vellet contradicere & plùs

ſapere,

ſapere. Et verè, ſi vota darentur oretenùs, atque Scrutatores non debent vota ſua primò depromere, faciliùs poſſet hæc ſententia defendi. Cùm verò in Electionibus Eccleſiaſticis maximè Regularium Scrutatores debeant vota ſua primò depromere, imò ipſa vota ordinariè debeant dari per Schedas, aliter erit diſcurrendum, de quo proinde

Petes 4. *An hucuſque dicta poſſint habere locum in Electionibus Regularium?*

℞. 1. Quoad primam partem ſcil. quòd poſſint Compromiſſarii ex ſe invicem aliquem eligere, habet locum, Ratio: nullibi Regulares quoad iſtud reperiuntur prohibiti.

℞. 2. Quoad alteram partem, de augendo numero per conſenſum in electionem ſui, non poteſt habere locum. Ratio: talia vota debent ordinariè dari per Schedas, ergo Compromiſſarii non poſſunt ſcire, in cujus favorem alii ſuffragium tulerint, ergo etiam non poſſunt utiliter conſentire in electionem ſui, ut ſic electionem perficiant.

Petes 5. *An hìc dicta in Petes 1. ſint certa, an ſolùm probabilia?*

℞. Non ſunt certa. Nam Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 2. tr. 9. Sect. 1. n.* 10. contra alios tenet, quòd ſi Compromiſſarius unus aſſumptus eligeret ſeipſum, electio ſit quidem illicita, non tamen invalida: Non pigebit ejus fundamenta hìc referre, ut utraque ſententia problematis inſtar poſſit defendi. Probatur ergo valor illius electionis: Nullum Jus poteſt allegari, in quo clarè talis electio annulletur, & aliunde in dubio actus debet magìs explicari ut valeat, *L. Quoties. ff. de*

rebus

Digitized by Google

rebus dubiis. L. Quoties. ff. de V. O. Prætereà Jura, quæ videntur irritare talem electionem, poſſunt explicari, quòd eam prohibeant, & faciant illicitam, non quòd irritent & faciant nullam: multa enim prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, *cap. Ad Apoſtolicam.* 16. *de Regular. arg. cap. Nemo. II. q.* 1.

Nec dic 1. Nullus poteſt ſeipſum ad perſonatum vel beneficium alicujus Eccleſiæ præſentare, quantumcunque ſit idoneus, & quibuſcunque meritis adjuvetur, *cap. per noſtras.* 26. *de Jure patron.* ergo etiam nullus poteſt ſeipſum eligere ad dignitatem Eccleſiaſticam.

℞. Tam ad antecedens quàm conſeq. non poteſt licitè C. validè probabiliter. N.

Nec Inſta. particula: *Non poteſt:* aufert poteſtatem: ergo etiam actum contrarium facit nullum. ℞. anteced. non eſt certum, & Sanchez *lib.* 6. *de Matrim. diſp.* 38. *n.* 20. ait particulas, *non poſſit:* auferre poteſtatem, non item particulas; *non poteſt.*

Nec dic 2. nemo oritur à ſeipſo, & ideò rejicitur Novatianus tanquam nemini ſuccedens ortus à ſeipſo, *cap. didicimus XXIV. q.* 1. atqui ſi valeret votum & electio, ubi quis ſeipſum eligeret, electus ortum haberet à ſeipſo. Ergo. ℞. Diſt. maj. nemo oritur à ſeipſo vel quoad erectionem dignitatis, vel quoad ſtabilitatem in dignitate, vel caſu quo id fieret invitis aliis C. maj. ſecùs N. maj. Fateor, quòd non poſſit quis maximè Laicus erigere dignitatem Eccleſiaſticam pro ſe, quin accedat conſenſus vel Epiſcoporum in cauſis ſubje-

ctis

ctis Epiſcopo, vel Pontificis in cauſis magis arduis; imò ex prima origine in omnibus dignitatibus, utpote quas omnes Romana fundavit Eccleſia, ſicut docet Eugenius IV. in Epiſtola decretali, quam ſcripſit ad Archi Epiſcopum Cantuarienſem, dum præſideret Concilio Florentino, quæ incipit: *Non mediocri.* §. *quòd verò. hæc dignitas*, apud Fagnanum *in cap. Nullus. n.* 3. *de Elect.* Iterum fateor, quod ad dignitatem ſtabiliter retinendam, vel obtinendum jus in re in illa dignitate, ſit neceſſe petere à Superiore Confirmationem. Item, quòd Compromiſſarius dicto modo eligens non debeat egredi fines compromiſſi, vel poteſtatis per Compromiſſum datæ: Si tamen his obſervatis daret ſibi votum, non videtur actus eſſe ipſo jure nullus, maximè cùm ſit in poteſtate Confirmantis electionem infirmare, & cùm juxta poteſtatem per Compromiſſum conceſſam non tam ſuo, quàm aliorum nomine eligat ſeipſum.

Nec dic 3. Mos & ars imitantur naturam. §. *minorem. Inſtit. de adopt.* atqui in ordine naturæ nemo poteſt creare ſeipſum, ergo nec in genere moris, atqui ſi in electione poſſit ſibi ipſi quis dare votum, in genere moris crearet ſeipſum Epiſcopum vel Paſtorem, ergo non poteſt ſibi ipſi in Electione dare votum.

℞. D. Maj. mos & ars imitantur naturam ſecundùm modum phyſicum procedendi N. ſecundùm modum procedendi ex fictione juris C. maj. & C. min. D. conſ. ergo nec in genere moris poteſt quis ſeipſum creare, ſi nequidem fictione juris diſtingueretur à ſeipſo T. ſi ſic diſtinguatur N. conſ.

Cùm

Digitized by Google

Cùm enim Compromiſſarius non ſuo, ſed compromittentium nomine eligat, hinc fictione juris eſt quaſi duplex perſona, una; quatenùs in ſe conſideratur, altera quatenùs gerit vicem & nomen totius Capituli. Iſta autem duplex perſona cum fictione juris ſufficit, ne poſſit dici eundem creare ſeipſum, vel eundem aliquid ſibi ipſi dare, & à ſeipſo accipere &c. ut patet in aliis caſibus, in quibus unus gerit duplicem perſonam: v. g. ſi pupillus ſit debitor tutori, poteſt tutor gerens perſonam pupilli ex ejus bonis ſibiipſi ſatisfacere. Et in electione ſpecialiter, ſi quis ex gremio eſſet conſtitutus Procurator Titii v. g. abſentis cum conditione, ut det votum ſibiipſi, non facilè negabit quiſpiam, quin hoc poſſit fieri, eò quòd id tunc non faciat in propria, ſed principalis ſui conſtituentis perſona: ergo idem erit in noſtro caſu, quo unus Compromiſſarius eligeret ſeipſum.

Nec dic 4. Nemo poteſt eſſe Judex & teſtis in propria cauſa: eligens autem ſeipſum, de propria habilitate, judicaret & teſtaretur: Nam antecedens ſolùm verum eſt de teſtimonio propriè dicto, quale hìc non eſt, neque in generoſis animis vanitatis ſtudium facilè licet ſuſpicari. Hæc in favorem hujus ſecundæ ſententiæ, etſi prima ſit præferenda.

Dub. 10. *An Compromiſſarii teneantur certam electionis formam ſervare?*

℟. Seclusâ ſpeciali conſtitutione & Conventione cujuſvis Ordinis, non tenentur Compromiſſarii in Compromiſſo *puro* ullam certam formam adhibere, modò electio fiat per eos vice Omnium;

Nec

Nec Compromiſſarii utantur verbis, quæ ſint communia omnibus, ſed quæ ſint numeri ſingularis, v. g. dicant: *Ego N. eligo iſtum. N.* Wagnereck *in cap. quia propter. verſ. aliquibus viris idoneis. Nota IV.* Ratio poteſt eſſe, quia nullibi in jure communi forma certa pro Compromiſſo *puro* reperitur præſcripta. Quòd autem Conſtitutiones ſpeciales cujuſvis Ordinis ſint ſervandæ, patet ex communi praxi, & videtur eſſe mens Concilii Tridentini, ut in defectum Juris communis recurratur ad Conſtitutiones cujuſvis Ordinis. Unde etiam cùm *Seſſ. 25. de Regular. cap.* 7. Statuta eſſent quædam particularia circa Electiones Abbatiſſarum, vel Præpoſitarum, ſubjungitur: *In reliquis ſerventur ſingulorum Ordinum vel Monaſteriorum Conſtitutiones.*

Quòd verò in Compromiſſo *mixto* debeat ſervari forma in aliis regulatis & formatis Electionibus ſcrutinialibus ſervanda, conſtat inde, quòd in via Compromiſſi *mixti* compromittatur in certas perſonas, non liberè & abſolutè, ſed ſub modo & conditione, ut iidem Compromiſſarii verè & ordinatè *vice Omnium eligant.*

Cùm ergo tale compromiſſum ex una parte includat electionem formatam, etiam debebit ſervare leges electionis formatæ.

Quòd denique omnes Compromiſſarii debeant procedere vice omnium, & per verba numeri ſingularis, non communis omnibus colligitur *ex cap. Quia propter. verſ. qui vice omnium Eccleſiæ viduatæ provideant. de Paſtore.* ita ibi.

Dub.

Digitized by Google

Dub. 11. *An Electores poſſint compromiſſum & poteſtatem Compromiſſariis datam revocare?*

℞. 1. Si res deſiit eſſe integra, non poſſunt. Eſt expreſſum *cap. In cauſis. 30. §. quia verò. h. t.* Cenſetur autem deſiiſſe eſſe integra, quando aliquid ſubſtantiale Electionis eſt tractatum, v. g. ſi de perſona eligenda tractatus eſt habitus à Compromiſſariis, ut exprimitur *d. cap. In cauſis.*

Ex quo DD. inferunt, rem adhuc manere integram, ſi ſolùm ſint habita aliqua præparatoria & pertinentia ad puram ſolemnitatem accidentalem.

℞. 2. Si res ſit adhuc integra, eſt probabilior reſolutio disjunctiva, ita ut ſi compromiſſum factum ſit in favorem Compromiſſariorum, quia ſcil. Capitulum iis vult facere gratiam, eoſque honorare in actu eligendi, non poſſint compromittentes revocare; eò quòd donationes & gratioſæ conceſſiones non poſſint ad libitum revocari, *toto tit. C. de donat. & revocat. donat.* Deinde, quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt. *cap. 21. de de R. J. in 6.* & remittentibus actiones ſuas, non eſt ampliùs regreſſus ad eas. *L. quæritur. 14. §. ſi venditor. 9. ff. de ædilitio edicto.*

Si verò Compromiſſum ſit factum non favore Compromiſſariorum, ſed Eccleſiæ, ut ſcil. eidem faciliùs provideatur, ſicque Compromiſſarii ſint puri miniſtri & Executores, poſſunt compromittentes revocare, Hermes *cit. cap. 7. q. 32. n. 58.* Ratio: Compromiſſarii *ex parte* comparantur Procuratoribus: atqui Procuratores re adhuc integrâ poſſunt revocari, *L. 16. & 17. ff. de Procurat.* ergo idem poterit fieri circa Compromiſſarios.

An autem Compromiſſum ſit factum in favorem Compromiſſariorum. an Eccleſiæ, colligendum eſt ex circumſtantiis. Si nihil certi poſſit erui, in dubio præſumitur compromiſſum factum in favorem Eccleſiæ; quia favor Eccleſiæ eſt primarius finis compromiſſi, Gratificatio verò Compromiſſariorum eſt gratia & donatio, atqui gratia & donatio non præſumitur, niſi exprimatur, *arg. L. cùm de indebito. 25. §. fin. ff. de probat. & præſumpt.* ergo. Porrò ut illa poteſtas Compromiſſariis ſemel facta revocetur, probabiliùs non ſufficit, unum reclamare vel alterùm, ſed requiritur ad minimum reclamatio majoris partis. Licèt enim ab initio compromiſſum non valeat, quando tunc vel unus tantùm reclamat; ſi tamen compromiſſum ſemel factum ſit, Compromiſſarii cenſentur eſſe inſtituti Procuratores totius Capituli, & non unius tantum vel alterius in particulari, ergo etiam non poſſunt ab uno tantùm vel altero, ſed à majori parte revocari, *arg. cap. 1. de his quæ fiunt à majori parte Capituli, L. quod major. ff. ad municipalem.* Deinde inconveniens, & toti Capitulo deſpectuoſum eſt, ſi id, quod unanimi conſenſu factum eſt, ab uno vel paucis revocari poſſit.

Excipe: niſi electio per Compromiſſarios facta non ſit ſortita effectum, quia ſcil. electus noluit electioni conſentire &c. tunc enim, cùm Compromiſſarii ſint officio ſuo functi, res fiet iterum plane integra; nec poterunt ad novam electionem progredi, niſi de novo in eos compromittatur, adeoque ſi vel unus reclamet, impedietur compromiſſum totum. Vide Hermes *l. c. n.* 59.

Dub.

Dub. 12. *Quid juris ſi Compromiſſarii eligant indignum?*

℞. Vel id fecerunt ſcienter, vel ignoranter. Si *ignoranter*, caſſandus eſt illorum actus, illi autem ſine nova commiſſione non poſſunt tranſire ad novam Electionem vel Poſtulationem, cùm ſint functi ſuo officio; *cap. ſi Compromiſſarius.* 37. *h. t. in* 6. Ratio: poſtquàm Procurator vel Mandatarius eſt functus ſuo officio, non poteſt aliquid novi attentare ſine nova commiſſione à ſuo principali facta; ſive bene ſive malè ſit functus officio. Ergo nec Compromiſſarii (qui in multis æquiparantur Procuratoribus) poſtquam functi ſunt ſemel officio, poterunt ſine nova commiſſione aliquid attentare.

Si *ſcienter* elegerint indignum; puniendi ſunt iiſdem pœnis, quibus Electores eligentes ſcienter indignum, de quibus infra, *Sect.* 3. *q.* 1. *dub.* 7.

Petes 1. *An, ſi ex Compromiſſariis numero tribus duo eligant ſcienter indignum poteſtas plena eligendi devolvatur ad unum, vel alios, qui non deliquerunt?*

℞. Probabiliùs negativè: Ratio: Compromiſſum non ſe extendit ultra intentionem compromittentium, *arg. L. non omnis.* 19. *ff. de rebus creditis*, atqui compromittentes non cenſentur habere intentionem, quòd velint uni permittere poteſtatem plenam eligendi in defectum aliorum. Ergo.

Petes 2. *Ad quem ergo tunc devolvitur poteſtas eligendi?*

℞. In caſu, quo Compromiſſarii *ignoranter* ele-

reſtringere, ne aliquem extra-Capitularem, aſſumant vel poſtulent. Poſſunt III. eos aſtringere, ut ſecretò ſcrutentur vota omnium, & eum eligant, in quem major & ſanior pars conſenſerit, *cap. cùm dilectus. 32. h. t.* Quod non eſſe revocatum *per cap. Quia propter.* declarat *cap. cùm expediat. 29. h. t. in 6.* Poſſunt IV. eos aſtringere, ut per omnia utantur formâ in Jure pro electionibus præſcriptâ, & ſic faciant Scrutinium mixtum. Vide Lezanam *in Summma. V. Electio inter Regulares. n. 3.*

Dub. 14. *An in Compromiſſo debeat fieri Electio communis eo modo, quo dictum eſt q. præced.* §. 11.

℞. Affirmativè: Eſt expreſſum *cap. Sicut. 21. h. t. in 6.* ubi dicitur: quòd talis electio, quæ fieret à pluribus Compromiſſariis ſimul, eo ipſo viribus non ſubſiſtat.

Nec obſtat, quòd in arbitris Compromiſſariis pronunciatio ſententiæ ab omnibus ſit facienda, ut clarè dicit textus *d. cap. Sicut*, & concordat *L. Item ſi unus. 57. §. item ſi plures ff. de receptis, qui arbitrium.* Nam diſparitas optima eſt, quòd Jura ab hac Lege excipiant electionem; exceptio autem firmat regulam in oppoſitum.

Dub. 15. *Si Compromiſſarii intra tempus à Jure præfixum (intra trimeſtre) eligere prætermittant, ad quem ſpectet poteſtas providendi?*

℞. Ad ſuperiorem proximum, *cap. ſi Compromiſſarius. 37. h. t.* Ratio: Compromittentes ſibi imputare debent, quòd in negligentem tranſtulerint poteſtatem, ut ait citatus textus, & qui mandat alteri, quòd ipſe facere deberet, non excuſa-

tur ob negligentiam Mandatarii, *L. ſi Procuratorem. 8. §. ſi Tutores. ff. mandati vel contra.*

Quòd verò poteſtas eligendi non devolvatur ad Superiorem ſed redeat ad Compromittentes, ſi Compromiſſarii ſcienter eligent indignum, ut ex probabili ſententia dictum *dub.* 12. non obſtat: quia compromittentes poterant aliqualiter præcavere negligentiæ Compromiſſariorum, vel compromittendo in magis ſollicitos, vel Compromiſſariis non dando totum tempus, quod Jura concedunt ad perficiendam electionem: tunc enim, ſi tempore à Compromittentibus præfixo Compromiſſarii electionem non perfecerint, compromiſſum per ſe exſpirat, *cap. cùm in veteri. 52. h. t.* adeoque ſi tempus à Jure ſtatutum necdum effluxerit, redit ad compromittentes jus eligendi. Econtra adversùs Compromiſſarium, qui dolosè indignum eligit, non poterant compromittentes ſic præcavere.

Dub. 16. *Si alicui per compromiſſum daretur poteſtas eligendi ſub hac forma, ut ipſe, ſecretò & ſigillatim requiſitis & in ſcriptis redactis omnium Eligentium votis eligat eum, in quem conſentit major pars comparatione minoris, licet illa major pars non exceſſerit, vel attigerit medietatem Capituli, an valeat Electio, ſi Compromiſſarius ſub hac forma proceſſerit?*

℞. Negativè: Eſt expreſſum *cap. ſi cui. 23. h. t. in 6.* quod fundatur *in cap. Quia propter.* exigente majorem & ſaniorem partem ſimpliciter, non comparatione minoris partis, ſed totius Capituli.

Dub. 17. *Quid juris in Monialibus per compromiſſum electis?*

℞. Si

℞. Si Electæ pars aliqua ſe opponat, quæ ſit minor reſpectu Capituli, debet electio confirmari & benedictio conferri, partis illius minoris contradictione, exceptione vel appellatione non obſtante, ita tamen, ut poſtmodùm adhuc habeat facultatem accuſandi & denunciandi ea, quæ ſibi occurrerunt. Si major pars ſe opponat, debet confirmatio differri, donec de objectis fuerit inquiſitum: Electa tamen intereà habet facultatem liberè adminiſtrandi, niſi pars opponens eſſet duplò major, ita expreſsè *cap. Indemnitatibus.* 43. §. *cæterùm ſi per formam. h. t. in 6.*

Dub. 18. *An Capitulum teneatur acceptare perſonam à Compromiſſariis electam?*

℞. Si ſit perſona digna & idonea, debet acceptare, patet *ex cap. quia propter. h. t.* quod dicit electum à Compromiſſariis, ſi nihil aliud obſtet, eſſe legitimè electum: atqui Capitulum tenetur acceptare legitimè electum: ergo. Econtra ſi perſona electa non ſit idonea, etiam Capitulum non tenetur eam acceptare. Ratio: Compromittentes non tenentur acceptare electionem, in qua Compromiſſarii transgrediuntur fines mandati: atqui eligendo perſonam inidoneam transgrediuntur fines mandati vel compromiſſi: cùm Compromittentes ſolùm intendant conferre poteſtatem eligendi perſonam idoneam: ergo.

Dub. 19. *Si Compromiſſariorùm electio non ſortiatur effectùm, ad quem jus eligendi devolvatur?*

℞. Si effectus non obtineatur ſine culpa, ſed v.g. ob mortem, vel ignotam cauſam tenentem

ſe ex parte electi, jus eligendi revertitur ad ipſos compromittentes *cap. ſi Compromiſſarius. 37. h. t. in 6.* Niſi ſpecialiter Compromiſſariis ſit facta poteſtas ſæpius procedendi, & toties, quoties fuerit neceſſarium. Si Electio non ſortiatur effectum ex culpa Compromiſſariorum relegenda erunt dicta ſupra *dub.* 15.

Dub. 20. *Ad quem pertineat Jus ſecundò eligendo, ſi per compromiſſum electus, electionem non acceptet, nec conſentiat?*

℟. Non ad Compromiſſarios priores, utpote qui officio ſuo ſunt jam functi, ſed ad Capitulum vel Electores ordinarios. *cap. ſi Compromiſſarius, 37. de Elect. in* 6.

Dub. 21. *Quænam ſint de ſubſtantia Compromiſſi?*

℟. I. Quòd Compromiſſarii ſint capitulariter & validè electi, & quidem in compromiſſo abſoluto, ab omnibus Capitularibus nemine contradicente, vide ſupra *dub.* 1.

II. Quòd Compromiſſarii non excedant formam compromiſſi & poteſtatis ſibi commiſſæ.

III. Quòd ſi Compromiſſariorum ſint plures, electio communis fiat ab aliquo eorum per verba numeri ſingularis dicendo v. g. *Ego Titius vice meâ & ſociorum Compromiſſariorum, virtute compromiſſi eligo Cajum.* In ſcrutinio puro poteſt quidem electio communis fieri per aliquem non Scrutatorem, imò etiam ex Jure communi per extraneum, ut inſinuatam *q. 6. §. 11. dub.* 2. An idem dicendum ſit de compromiſſo, non ſatis liquet: & quidem loquendo de compromiſſo mixto, negativa

inde

inde ſuadetur, quòd in hoc ipſa electio communis tantùm videatur compromitti, vel committi ut ſupra *ante dub.* 1. inſinuatum: ergo videtur electa induſtria perſonæ, adeoque alius non videtur poſſe hoc officium ſubire.

QUÆSTIO VIII.

An adhuc hodiè inter Regulares poſſit valere electio, quæ non ſit ſcrutinialis, ſed facta per viam Inſpirationis vel puri compromiſſi?

℞. Negativa eſt communis multorum ex Ratione, quòd Tridentinum *Seſſ.* 25. *cap.* 6. *de Regular.* ſtatuat omnes Electiones Prælatorum debere fieri per Scrutinium, & vota ſecreta, ita ut nomina Eligentium nunquam publicentur, ſecùs electio eſſet irrita, ut communiter D. D. dictum Decretum explicant; atqui nec in via Inſpirationis, nec puri compromiſſi eſt Scrutinium, neque vota poſſunt commodè ſervari Secreta; ergo. Cenſet tamen Pellizzarius tenens affirmativam *tom.* 2. *Man. Regul, tr.* 9. *cap.* 2. *Sect.* 1. *n.* 4. in dicto Decreto Tridentini non præcipi abſolutè, ut Electio Prælatorum Regularium fiat per Scrutinium, ſed ſolùm Suppoſito, quòd per Scrutinium fiat, debeat fieri juxta formam ibi præſcriptam. Præterea forma compromiſſi eſt conceſſa per *cap. Quia propter.* quod eſt ſancitum in Concilio Generali Lateranenſi, & in Decreto Tridentini non ſit expreſſa mentio de revocatione, quod tamen requiritur

ad revocanda ea, quæ ſanciuntur in Conciliis generalibus, *cap. ex parte tua.* 3. *de Capell. Monach.*

Obſerva: Illi ipſi DD. qui citantur pro oppoſita ſententia ut Garcias, Paſſerinus, Fagnanus *in cap. Quia propter. n.* 30. *h. t.* cum Declarationibus S. Congregationis à P. Reiffenſt. *tom.* 1. *ad Jus Canon. tit. de Elect. & Electi poteſt:* §. 14. *n.* 348. allegantur ſolùm quoad electiones Abbatum *temporalium* alioſque Regulares in Tridentino expreſſos, ita ut in iſtis tantùm Electionibus viæ compromiſſi & quaſi-Inſpirationis per Tridentinum ſint ſublatæ, unde cùm in Decreto Concilii Tridentini nulla fiat mentio Epiſcoporum vel Abbatum *perpetuorum*, hinc teſte eodem P. Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 349. dubitari nequit, quin in horum electione locum habeat via compromiſſi, & quaſi-inſpirationis juxta *cap. quia propter.*

Imò ſi in Compromiſſo procedatur per vota ſecreta, teſte eodem *n.* 350. ſatisfiet intentioni Tridentini, ſtatuentis duntaxat, quòd Electio cæterorum Prælatorum Regularium fieri debeat per vota ſecreta, & conſequenter talis electio foret valida. Denique quòd forma eligendi per compromiſſum vel quaſi-inſpirationem per Tridentinum non ſit ſublata, præter Pellizzarium tenent Pirhing *h. t. n.* 397. Azor. *p.* 2. *Lib.* 6. *cap.* 14. Aſcanius Tamburinus *tom.* 1. *de Jure Abbat. diſp.* 5. *q.* 5. *n.* 9. Miranda, Rodericus &c. Ex quibus pro praxi rectè monet ſæpe laudatus P. Reiffenſt. *n.* 351. quòd ob hanc Doctorum diſcrepantiam optimum ſit, attendere ſpeciales cujuſque Religionis Conſtitutiones, & antiquas conſuetudines.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IX.

An forma in cap. Quia propter. *& Concil. Trident.* Seſſ. 25. de Regular. cap. 6. *præſcripta ſit ſervanda in electione omni quorumcunque Prælatorum?*

℞. Affirmativè: ſive illi Prælati ſint Generales totius Ordinis, ſive Abbates, ſive Provinciales, ſive Priores Conventuales ſaltem ibi, ubi tales perſonæ ſolent eligi: imò etiam in Abbatiſſarum, Præpoſitarum & aliarum Superioriſſarum electionibus. Ratio: prædicta forma Tridentini, & *cap. quia propter.* eſt præſcripta pro omni caſu, quo Eccleſia eſt orbata Paſtore? atqui in omnibus caſibus tam exſpirantis Generalatûs, quàm Provincialatûs, Prioratûs &c. Eccleſia cenſetur eſſe orbata Paſtore, etiamſi is fortè non ſit mortuus, ſed aliò translatus. ergo. Dixi: *ibi, ubi tales perſonæ ſolent eligi:* Si enim Generales vel Provinciales haberent jus tales perſonas v. g. Priores proprio motu mittendi, patet ex ſe, non eſſe neceſſariam hanc formam.

Aliqui formant hanc regulam, quòd diſpoſitio *cap. quia propter.* ſolùm procedat, & neceſſariò ſit ſervanda in Electionibus illorum Prælatorum, per quorum mortem Eccleſiæ cenſentur eſſe viduatæ, non item in aliis electionibus inferiorum, ſi ſpeciales conſtitutiones & conſuetudines etiam in his Electiones Canonicas poſtulent. Colligitur hæc regula ex ipſo *cap. quia propter. V. Eccleſiis viduatis.* Talis eſt Electio Epiſcopi, per cujus obitum Eccleſia dicitur viduata, *cap. Inter corporalia,*

ralia, & *cap. ult. de Transl. Epiſc.* Item Electio Abbatum perpetuorum, qui Monaſteria obtinent in titulum, *cap. Ne pro defectu.* 41. *h. t.* Item Electio Prælatorum principalium in Eccleſiis Collegiatis, qui in his habent juriſdictionem generalem. In Electionibus inferiorum forma electionis canonicæ poteſt obſervari, non tamen omnis rigor neceſſariò eſt adhibendus. In Eccleſiis quoque Religionum approbatarum Electiones Prælatorum habentium Juriſdictionem ordinariam & generalem fieri debent juxta formam *cap. quia propter.* præſcriptam. teſte Reiffenſtuel. *tom.* 1. *ad Jus Canon. tit.* 6. *de Elect.* & *Electi poteſt. n.* 337. ita tamen, ut Regulares non teneantur ad apices Juris communis juxta dicenda infra *q.* 12. Prædictis concordat Rota Romana, dum tribus vicibus, nempe 26. Februarii, & 10. Decembris 1627. ac 14. Junii 1628. *in una Leodienſis Decanatûs* reſolvit, formam *cap. quia propter.* ſolùm ſibi locum vendicare in Electionibus Eccleſiarum, quæ per mortem Prælati viduantur, & hinc non ſit neceſſariò ſervanda niſi in *prima dignitate* Eccleſiarum Collegiatarum, non verò in Electionibus Dignitatum inferiorum: per conſequens cùm in Collegiatis Germaniæ Præpoſituræ ſint *prima Dignitates*, non vero Decanatus, non debeat neceſſariò in Electione Decani ſervari forma *cap. quia propter.* præſcripta.

Quòd verò Præpoſitura ſit principalior Dignitas. quàm Decanatus, Rota Romana *l. c. die* 10. *Decembr.* 1627. *n.* 4. & 5. inde infert; Quòd Præpoſitus habeat prærogativam in ſedendo, ha-

Digitized by Google

habeatque ſedem in digniori loco quando ad Chorum accedit. Quòd verò idem Præpoſitus non habeat juriſdictionem in Spiritualibus, ſeu ad Summum adminiſtrationem in temporalibus, non obſtat: quia juriſdictio non diſtinguit prioritatem dignitatum, ſed locus nobilior, quia eſt prima Sedes poſt Pontificalem, quæ Præpoſitis competere ſolet. Et hinc tam de Jure *cap. Quamvis. 9. de V.S.* quàm de conſuetudine generali Germaniæ Decanalis dignitas non reputatur pro prima; Neque Eccleſiæ cenſentur viduari per obitum obtinentium inferiores dignitates. Vide Rotam *cit. die* 14. *Junii* 1628.

Ex hoc ultimatò infertur, quòd ſi talis electio ex aliquo capite non ſervatæ formæ ſit nulla, non ſtatim vigore Concordatorum Germaniæ ſpectet proviſio ad Sedem Apoſtolicam.

QUÆSTIO X.

An per dictum Tridentini Decretum, Capitulo *quia propter.* *derogetur?*

℟. Via Scrutinii fuit laxiùs conceſſa *in cap. quia propter.* quàm in Decreto Tridentini; nam textus *cap. quia propter.* non eſt tam rigoroſus in ſervando Secreto etiam poſt actum electionis, ſicut Tridentinum, quod vult, ut nomina Eligentium *nunquam* publicentur, & in tantum jus commune *in cap. quia propter.* contentum fuit reſtrictum.

Obſerva. Voluit quidem Fagnanus *in cap. quia propter. h. t. n.* 21. *& ſeqq.* formam Scrutinii *in d. Decretali* præſcriptam cum forma Tridentini eſſe omni-

omninò incompatibilem: eò quòd juxta decretalem tres Scrutatores ſint aſſumendi, qui vota Eligentium oretenùs exquirant, quæ poſteà in ſcriptis redigant, ác tandem in communi publicent: Horum autem nihil videatur poſſe obſervari juxta formam Tridentini, utpote juxta quám diſtrictè ſub nullitate actûs præcipitur: *In electione Superiorum quorumcunque Abbatum temporalium & aliorum Officialium, ac Generalium & Abbatiſſarum atque aliarum Præpoſitarum --- omnes eligi debere per vota ſecreta* (quomodò ergo erunt oretenùs prolata?) *ita ut ſingulorum Eligentium nomina nunquam publicentur.* Prætereà juxta Decretalem, *Quia propter.* requiritur, ut Electus habeat vota majora & ſaniora collato numero ad numerum, & zelo ad zelum: at juxta formam Tridentini non videtur poſſe diſcerni, quinam habeat ſaniora, vel quomodò collatio zeli ad zelum ſit inſtituenda, cùm datis ſchedis neſciatur, quiſnam pro hoc vel illo ſuffragium tulerit.

Verùm alii communiùs cum Barboſa *Lib.* 1. *Juris Eccleſ. Univ. cap.* 19. *n.* 221. *& ſeqq.* aſtipulante Rotâ Romanâ *in Meten. Monaſterii coram Coccino.* 5. *Junii* 1621. *in fin.* cenſent ambas formas eſſe compatibiles: quia imprimis dum *cap. quia propter.* præſcribitur publicatio votorum, intelligitur de publicatione aliqua votorum in communi, quæ poteſt fieri abſque expreſſione nominum ipſorum Eligentium, v. g. ſi dicatur: *Votantium omnium ſimul ſumptorum numerus eſt tantus: Ex his Sempronius habet vota tot, Cajus tot,* &c. ubi advertis nunquam publicari nomen alicujus votan-

tis,

tis, pro quo votum tulerit: Tridentinum verò prohibet ſolùm publicari nomina eligentium, non vota in communi: ergo inprimis ex hoc puncto non oſtenditur aliqua incompatibilitas.

Multò minùs obſtat, quòd in Tridentino requiratur Secretum rigoroſum; quia huic Secretò non obſtat; quòd Scrutatores oretenùs votum exquirentes ſciant, pro quo votum ſit latum; ut patet *ex d. cap. Quia propter.* ubi jubentur Scrutatores *ſecretè* & *ſigillatim* ſcrutari vota: ergo cum Scrutinio iſto debet ſtare Secretum; aliàs fruſtra hoc ordinaretur;

Collatio zeli ad zelum in Electionibus talibus per Schedas factis ſuppletur aliunde, ut dictum hâc *Sect.* 1. *q.* 6. §. 7. *dub.* 2. ℞. 2.

QUÆSTIO XI.

An Electio facta per ſortes, fabas, lupinos, calculos, vel ſimilia valeat?

℞. 1. Facta per ſortes non valet. Eſt expreſſum *cap. Eccleſia. de Sortilegiis.* Præterea eſt contra formam præſcriptam in Concilio Tridentino, & *cap. quia propter.* ergo eſt invalida. Quòd antiquiùs in Electione S. Matthiæ vel ſimilibus, fuerint adhibitæ ſortes, non obſtat; quia illa facta ſunt ex ſpeciali DEI inſpiratione, & tunc nondum fuerunt Jura Pontificia, quæ modò habentur.

℞. 2. Probabiliùs neque valet facta per fabas vel ſimilia. Ratio: vel obſervatur rigor præſcriptus in Tridentino declaratus à Congregationibus Cardinalium, vel ſola forma præſcripta *in cap.*

Quia

Digitized by Google

Quia propter? ſi primum: ergo vota deberent eſſe ſcripta juxta dicta. *q.6.§.4.* ſaltem ſi oſtendatur authenticè Declaratio Pii V. ibi allegata.

Si Secundnm: ergo deberet ſciri, quiſnam haberet *majorem* & *ſaniorem* partem votorum: atqui per ſolam inſpectionem fabarum & ſimilium, non poteſt ſciri, quiſnam haberet *ſaniorem* partem: ergo. Si in aliquibus Ordinibus fiant Electiones vel proviſiones per ſimilia ſigna, eæ non erunt Scrutiniales, nec perfectè Canonicæ, conſequenter ex mente Tridenti *Seſſ.* 25. *de Regular. cap.* 6. non practicabiles in electionibus verorum Superiorum quorumcunque, quòd vult, ut iſti eligantur collatione ſuffragiorum Secretorum; ait enim: *In electione Superiorum quorumcunque, Abbatum temporalium. & aliorum Officialium ac Generalium, & Abbatiſſarum, atque aliarum Præpoſitarum, quò omnia rectè & ſine ulla fraude fiant, imprimis Sancta Synodus diſtrictè præcipit omnes Supradictos eligi debere per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Ita ibi.

Dub. 1. *An electio facta pe ſortes ſit ipſo jure irrita, an ſolùm irritanda?*

℞. Eſt probabiliùs ipſo jure irrita. Eſt contra Pellizzarium *in Man. Regular. tr.* 9. *cap.* 2. *Sect.* 1. *n.* 17. & Pithing. *h. t. n.* 13.

Ratio: eſt contra formam præſcriptam cum clauſula annullativa actûs contrarii, ut patet ex Tridentino ibi: *Si verò contra hujus Decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit.* Similem clauſulam habet *cap. Quia propter,* 42. *h. t.*

Nec

Digitized by Google

Nec dic Honorius III. *in d. cap. Eccleſia.* 3. *de ſortilegiis*, ait: ſe electionem factam per ſortes confirmare, ibi: *Electionem celebratam de ipſo ad gratiam Confirmationis admittimus, ſortis uſum in Electionibus perpetuâ prohibitione damnantes:* ergo ſignum eſt, quòd iſta electio non fuerit planè irrita, aliàs non poſſet dici *confirmari* ſed *validari*. ℟. Hoc ad ſummum verum eſſe præſcindendo à Concilio Tridentino, cui textus citati *cap. Eccleſia.* utpote multò antiquioris, non poteſt præjudicare.

Dub. 2. *An iſte uſus ſortium in Electionibus Eccleſiaſticis ſit prohibitus Jure naturæ, an ſolo Jure Eccleſiaſtico Divino?*

℟. Si Sortes darentur temerè de Capitulo, dignis æquè ac indignis, videtur uſus ſortium eſſe contra eaſdem virtutes, contra quas eſt ipſa electio indigni, nimirum contra fidelitatem & contra juſtitiam legalem, commutativam & diſtributivam, de quibus dicetur infra *Sect.* 3. *q.* 1. *dub.* 1. Ratio: quia licet dando Sortes non præcisè intendatur electio indigni, cùm tamen ſortes indignis æquè ac dignis detur, reipsâ ſuffragium daretur indignis, adeoque electio illa reipsâ fieret de perſona indigna: ergo etiam repugnaret memoratis virtutibus: Prob. antec. ſors data in caſu poſito ſuppleret vices ſuffragii voto vel ſcripto dati: ſed ſors verè daretur indignis, ergo & ſuffragium daretur indignis, quod nihil aliud eſt, quàm electio indigni. Ex his ſequitur, electionem deſcriptam non eſſe unicè contra Jus poſitivum, ſed verè etiam contra Jus naturale, ſicut læſio fidelitatis

aut juſtitiæ commutativæ eſt contra Jus naturale.

Si verò omnes illi, quibus Sortes darentur, eſſent æquè digni, uſus ſortium videtur eſſe contra ſolum Jus poſitivum Eccleſiaſticum, & non contra Jus naturæ: quia ſic elongatur omne periculum Eccleſiis vel bono publico imminens, nec apparet principium aliquod Juris naturalis, cui illa electio repugnaret.

Si, inter illos, quibus Sortes dantur, ſit inæqualitas ita ut unus altero ſit dignior, Electio per ſortes eſt partim contra jus naturale: quia juxta Trid. *Seſſ.* 24. *de Reform. cap.* 1. Electores ad dignitates Eccleſiaſticas, uti & Collatores Beneficiorum, Curatorum obligantur ſub mortali aſſumere digniorem relicto minus, quamvis poſitivè digno, dummodò ſit ſpes veniendi ad effectum: Etſi autem inter DD. controvertatur, unde vel quâ ratione hæc obligatio probetur, ut videre eſt apud Card. de Lugo, *de J. & J. diſp.* 35. *ſect.* 2. *à n.* 15. Ipſe tamen purpuratus Theologus *n.* 18. hanc ſubnectit rationem: Quòd diſpenſator publicus (qualis eſt Elector ad dignitates Eccleſiaſticas, vel Collator Beneficii) ratione officii ſui habeat obliganem *naturalem* conſulendi bono Communitatis modo meliori, quo poteſt: at non ſatìs conſuleretur bono communitatis eligendo minùs dignos relictis magìs dignis. Ita ille, qui cùm faciat mentionem obligationis naturalis, ipſo facto indicat, quòd contrafaciens cædat obligationem naturalem, ſive jus naturæ. Plura vide *ſect.* 3. *q.* 2. *in princ.*

Secunda pars confirmari poteſt à paritate in Electioni-

ctionibus ad dignitates ſæculares: Si enim priùs eligantur quidam idonei, deinde inter illos plures idoneos jam ſelectos ſors mittatur, quis ſit promovendus, non peccatur contra Jus naturale: Imò olim apud Romanos ex Equitum Ordine Judices per Sortes eligebantur, Prætore urnam movente, & ſi qui ex illis rejiciebantur, iterum alii ſubſortiebantur in eorum locum teſte Cicerone, *Orat. in Piſonem.* ergo idem de electione Eccleſiaſtica dici poteſt, cùm non ſit potior ratio pro unâ quàm pro altera, ſi ſolum Jus naturale inſpiciatur.

Dub. 3. *An non poſſit uſus ſortium adhiberi, ſi duo pari numero ſuffragiorum ad dignitatem vel beneficium ſint electi?*

℞. Negativè: quia *cap. Eccleſia veſtra. de Sortilegiis.* abſque limitatione prohibetur electio per ſortes; talis autem electio ſimpliciter fieret per Sortes. Quod ſic oſtenditur: Ut electio ſit Canonica, requiritur ut Electus habeat vota majora reſpectu totius Capituli vel habentium jus votandi, ſive ut habeat unum votum ſupra medietatem, juxta dicenda infra hâc *Sect.* 1. *q.* 17. Sed in caſu, quo duo habent paria ſuffragia, neuter haberet ultra medietatem votorum, ergo electio non eſt Canonica; ergo ſi valorem acciperet, obtineret illum duntaxat per ſortes, quod in Jure prohibetur.

Hinc in tali caſu res per Compromiſſarios eſt determinanda, vel Superior adeundus, qui Electores compellat ad concordandum, vel certum terminum præfigat ad electionem perficiendam, aliàs elapſo termino jus eligendi ad Superiorem devolva-

Digitized by Google

volvatur, *Gl. in c, pinult. V. Teneantur. de Reſcriptis. in 6.*

Si plures à majori Capituli parte eligantur vel deſignantur ad dignitatem, beneficium vel Officium Eccleſiaſticum, non ut illud præcisè obtineant determinatè viâ Electionis, ſed quâcunque ratione licitâ habere poſſint, & ut inter illos (tanquam ſingulos approbatos, & pro dignis habitos) ſortes mittantur, teſte Pirhing *tom. 5. ad tit. de Sortilegiis. num.* 10. proceditur illicitè per Sortes: eò quòd hoc generaliter prohibitum ſit in omnibus Electionibus Eccleſiaſticis propriè dictis, à quo non liceat illam excipere, ſine fundamento Juris vel evidenti neceſſitate. Quòd ſi in aliqua Congregatione aut Communitate Eccleſiaſtica modus eligendi per Sortes vigeat, id obtinebit locum vel ex ſpeciali Conſtitutione per Sedem Apoſtolicam approbata, vel non niſi in Electionibus ad Officia non habentia Juriſdictionem aut adminiſtrationem Eccleſiaſticam. Ita ille cum Suarez & Sanchez.

Dub. 4. *An dum prohibentur Electiones per Sortes facienda, intelligatur ſolùm de Electione ipſius ad Epiſcopatum, Prælaturam vel Dignitatem Eccleſiaſticam promovendi, an etiam de Electione compromiſſandum?*

℟. Intelligitur de utriſque: Patet ex d. *cap. Eccleſia veſtra. 3. h. t.* ubi dum electio eſſet facta per Compromiſſarium Sorte electum ſubjungitur, hoc *multâ reprehenſione fuiſſe dignum.* Ecce textum: *Eccleſia veſtrâ Epiſcopo deſtitutâ tres Convenientes in unum, ut de futuri tractaretis electione*

Pontifi-

Digitized by Google

Pontificis, unum eligitis ex vobis per Sortem, qui tres auctoritate veſtrâ elegit, per quos vice omnium Lucana provideretur Eccleſia de Paſtore: quorum duo tertium Magiſtrum Robertum ſcilicet elêgerunt: quod expreſsè licebat eiſdem, ſecundùm traditam a votis omnibus poteſtatem. Procuratoribus igitur veſtris ſuper his in noſtra præſentia conſtitutis nos tali examinato proceſſu licet notâ non careat, quinimò multâ reprehenſione ſit dignum quòd Sors in talibus intervenerit --- Electionem celebratam de ipſo ad gratiam Confirmationis admittimus ſortis uſum in electionibus perpetuâ prohibitione damnantes. Ita ibi: Ubi cùm primus Compromiſſarius ſorte electus elegerit alios tres Compromiſſarios, qui poſteà ex parte ſua Canonicè proceſſerunt, rectè inferri poteſt, cum Sanchez *Lib. 2. Moral. cap.* 38. *n.* 73. quòd etiam in tractatibus electioni præviis ſortes ſint prohibitæ; quod etiam confirmari poteſt ex ultimis textûs particulis, in quibus prohibitio ſortium in Electione Eccleſiaſtica adhibitarum eſt generalis: & ratio à priori eſſe poteſt, quòd fieri facilè poſſit, ut is, qui per Sortes aſſumptus eſt ad Compromiſſarios eligendos, indignus ſit & inhabilis ad hoc munus, adeoque etiam fiet, ut indignus Epiſcopus, Prælatus vel alius beneficiatus eligatur.

Dub. 5. *An hæc prohibitio ultra electiones propriè dictas ſit extendenda?*

℟. Wagnereck in *d. cap. Eccleſia veſtra. in fine.* negat, putatque in dubio, quis ex pluribus præſentari aut promoveri debeat ad beneficia non electiva poſſe id Sortibus committi, juxta *cap.* 15. *de*

Digitized by Google

R. 7. in 6. vi cujus odia ſunt reſtringenda. Cùm enim Conſtitutio *d. c. Eccleſia veſtra.* ſit odioſa, reſtringenda eſt ad proprietatem verborum, adeoque de Electione ſtrictè dicta eſt intelligenda. Videtur hoc limitandum: dummodo de omnium aſpirantium in æquali idoneitate conſtet.

Dub. 6. *An dicta in Dub.* 1. *de nullitate electionis facta per ſortes ſint intelligenda, tantùm, quando ipſa perſona Superioris, Prælati, Epiſcopi vel beneficiati per Sortes eligitur, an verò quando etiam Compromiſſarii per ſortes eliguntur?*

℞. Videtur ſolùm in primo caſu electio eſſe irrita ipſo jure, in ſecundo verò caſu irritanda, non irrita ipſo jure. Ratio prioris partes patet ex dictis loco citato, hoc enim ad minimum probat ratio ibi aſſignata. Ubi Obſerva, quod Wagnereck *loc. cit.* ſcribat, Barboſam multum falli, dum pro ratione prohibendi electiones ſortibus perficiendas aſſignat *cap. Quia propter.* quod non poſſit obſervari ſtante uſu ſortium: Innocentius III. enim qui eſt auctor dicti *cap. Quia propter.* multis annis eſt poſterior Alexandro III. qui eſt primus auctor hujus prohibitionis *in cap. Eccleſia veſtra.* expreſſæ. Verùm cùm in ipſo textu Juris allegato *Capiti Eccleſia veſtra.* præfigatur nomen Honorii III. qui Innocentio III. ſucceſſit circa annum 1216. Hinc non apparet, quarè pro ratione hujus prohibitionis in hoc textu factæ non poſſit allegari *cap. Quia propter.* Etſi enim prior Conſtitutio fuiſſet primò condita ab Alexandro III. cùm tamen præferat nomen Honorii III. ſignum eſt, quòd ſaltem fuerit

ab

ab hoc confirmata & conſequenter prohibitio ſortium in Electionibus Eccleſiaſticis ſecundò proceſſerit ab Honorio Tertio, adeoque pro ratione hujus prohibitionis bene aſſumi poteſt Conſtitutio Innocentii Tertii Prædeceſſoris.

Ratio ſecundæ partis. Quia hâc limitatione admiſsâ magìs ad literam ſuſtinetur ſæpe allegata Conſtitutio *in c. Eccleſia veſtra.* ubi primus Compromiſſarius electus fuit per ſortes, qui poſteà deſignavit alios Compromiſſarios ſecundùm ordinem debitum procedentes: tandem ſubjungitur: *Electionem celebratam ad gratiam Confirmationis admittimus:* Sed ſi Electio talis fuiſſet ipſo jure nulla. non potuiſſet dici confirmata: Nam Confirmatio in forma communi data actum invalidum non roborat nec jus novum tribuit, ſed duntaxat antiquum, quod fuit, confirmat: in tantum, ut ſententia ſive laudum contra formam Juris vel compromiſſi latum per arbitros, etſi per Papam fuiſſet confirmatum, non teneat, *cap.* 7. *de Confirmatione utili vel inutili:* ergo. Et ratio ulterior eſt: quia licet Compromiſſarii per ſortes ſint electi, illi tamen poſteà adhuc ad apicem ſervare poſſunt formam electionis juxta *c. Quia propter, & reliqua jura* ordinatam.

Denique, quòd hæc Electio ſit ſaltem irritandâ vel irritabilis colligitur ex allegato textu in quo Electio deſcripta dicitur ad Cônfirmationis *gratiam* admiſſa: Si autem electio non eſſet irritabilis confirmatio non eſſet gratia, ſed debitum, ut conſentiunt uno ore Doctores aſſerentes, inter cætera poſtulationem in hoc differre ab Electione,

Digitized by Google

quòd poſtulationis admiſſio innitatur gratiæ, electionis veræ Juſtitiæ: Videatur *gl. in c. un. de Poſtulationibus. in 6. v. Eligo Poſtulatum.* Layman in *d. c. un.* Azor *Inſtit. Moral. p. 2. Lib. 6. cap. 17.* Paſſerinus *de Elect. cap. 24. &c.*

Dub. 7. *An in Electionibus ad Officia & beneficia Eccleſiaſtica poſſint lites exortæ ſortibus dirimi?*

℞. Cum diſtinctione: Ita ut hoc non liceat, ſi ſortium miſſio inſtituatur tantùm propriâ & privatâ autoritate: ſecus eſt, ſi acceſſerit auctoritas Judicis. Ratio primæ partis: Si lites beneficiales per ſortes poſſent componi, fieri quoque poſſet, ut per talem ſortem beneficium obtineret is, qui nullum Canonicum titulum haberet, quod res eſt contra *c. 1. de R. J. in 6.* Vi cujus beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine Canonica inſtitutione obtineri, eſt quoque contra *cap. un. De eo, qui mittitur in poſſeſſionem cauſâ rei ſervandæ in 6.* Vi cujus inhibetur, ne in beneficialibus cauſis aliquid concedatur, per quod ad beneficia Eccleſiaſtica vitioſus ingreſſus patere poſſit: Cùm enim neuter litigantium poſſit alteri ſuâ privatâ auctoritate aut pacto legitimum beneficiis titulum dare, nec conſtet, uter litigantium juſto titulo ſit munitus, periculum eſt, ne ſors cedat ſuper eum, qui minùs juſto titulo eſt munitus.

Ratio ſecundæ partis: Si uterque litigans ſuper beneficio coram Judice pactum ineat, qui illud admittat, & juxta pactum ſententiam proferat, ſententia tenet, & in hujus ſententiæ is, cum à Judice beneficium litigioſum eſt adjudicatum. conſe-

Digitized by Google

conſequitur titulum ſufficicientem illud retinendi ac poſſidendi; ceſſatque periculum ſimoniæ, vitioſique ingreſſus. Ita Pirhing *h. t. n.* 14. cum Suarez & Sanchez.

QUÆSTIO XII.

An in Electionibus Regularium debeant ſervari apices Juris communis?

℞. Ea quæ ſunt ſubſtantialia, debent rigorosè ſervari, non verò quæ ſunt accidentalia, & de ſolemnitate quaſi-extrinſeca. *Clem. Exivi de V. S.* & ſic conceſſiſſe Pontifices teſtatur Antonius à Spiritu S. *in direct. Regular. p.* 3. *tr.* 5. *diſp.* 1. & 2.

QUÆSTIO XIII.

An Electio, quæ ob formam jure poſitivo præſcriptam non obſervatam eſt nulla, valeat in foro interno.

℞. Valet, dummodò intervenerint ea, quæ requiruntur ex Jure naturali vel divino. Donatus Laynenſis *prax. Regular. tom.* 2. *p.* 1. *tr.* 1. *q.* 19. cum aliis, dicens hanc eſſe communem. Cenſetur autem ad formam electionis ex naturali jure requiri, ut vel omnes, vel major pars eligentium conſentiant, & electus non ſit abſolutè incapax. Hinc etiam taliter electus poteſt confirmari ab habente auctoritatem diſpenſandi ſuper defectibus ſolemnitatum juris poſitivi, teſte Lezanâ *v. electio. n.* 2. *in fine.* &c. qui ſic confirmatus, eſt verus Prælatus, tutus in conſcientia, faciens fructus ſuos

(ſi ſit in Eccleſia ſæculari) nec poteſt deponi, niſi causâ cognitâ. Unde Layman *in cap. Auditis.* 29. *n.* 1. *de Elect.* & *Lib.* 1. *Theol. Moral. tr.* 4. *cap.* 16. *n.* 6. Reiffenſtuel *in Lib.* 1. *Decretal. tit.* 2. *de Conſtit. n.* 255. & *Lib.* 3. *tit.* 26. *de Teſtamentis, n.* 109. & 120. Innocentius in *cap. Quia propter. circa med. h. t.* aliique formant hanc regulam generalem, quòd ſi electio ſit peracta ſecundùm jus naturale & Gentium, licet deſit aliqua ſolemnitas vel conditio Juris poſitivi, Electus tutâ conſcientiâ poſſit dignitatem retinere, ſi nemo ſe opponat, vel Electionem impugnet: teneatur tamen, poſtquàm Judex illam electionem declaravit nullam, etiam in conſcientia obedire & dignitatem dimittere. Cùm enim Leges vel Conſtitutiones, quæ requirunt certas ſolemnitates ad electiones, ſint juſtæ & rationabiles, etiam conſequens eſt, quòd ſententia lata juxta has Conſtitutiones & Leges, ſit juſta & rationabilis: quis verò inficias ibit, quòd detur obligatio in conſcientia, obtemperandi ſententiæ juſtæ & ratinabili? Et ideò datam doctrinam multi extendunt ad omnes alios actus ſolo jure poſitivo irritos; ita ut licet ad horum valorem Jura certas ſolemnitates requirant, nullumque & irritum ipſo facto pronuncient quemcunque talem actum, qui ſine præſcripta ſolemnitate celebratus eſt; nihilominùs iidem actus & contractus obligationem naturalem pariant pro foro conſcientiæ, ibique valeant, donec exceptione Legis in contrarium, vel ſententiâ Judicis reſcindantur. Sic licet alienatio rei Eccleſiaſticæ non ſervatis debitis ſolemnitatibus facta dicatur ipſo jure nulla, *cap. ſine exce-*

exceptione. XII. q. 2. cap. 2. §. contractus autem. & *cap. ſi quis presbyterorum. 6. de rebus Eccleſiæ alienantis. in 6. Clem. 1.* & *Extrav. Ambitioſa. eod. inter Commun.* hanc tamen alienationem pro foro interno eſſe validam, (ſi in caſu alioquin à jure permiſſo nempe ex cauſa neceſſitatis, utilitatis vel pietatis facta ſit de conſenſu eorum, quorum intereſt, prætermiſſâ ſolâ formulâ Juris) tenent Riccius *part. 1. prax. reſol. 7. n. 4.* Zoëſius *de rebus Eccleſ. alienandis vel non. n.* 17. Engel. *eod. n.* 19. Id ipſum Layman. *Lib. 1. Theol. moral. §. 4. cap. 16. n. 6.* exemplificat de Ludo alearum, de contractu cum pupillo vel minorenni celebrato, de pœna ſponſalibus adjecta, de donatione ultra quingentos ſolidos, de teſtamento minùs ſolemni.

QUÆSTIO XIV.

An Prælati Regulares poſſint eligi per nominationem?

℞. Inſiſtendo præcisè juri communi poſſunt: hic enim modus *cap. quod ſicut. 28. h. t.* permittitur. Veruntamen partim ex ſpecialibus ſtatutis & conſuetudinibus, partim ex Concilio Tridentino iſtud paſſim eſt ſublatum. Ubi verò Capitulum non haberet ampliùs facultatem liberam eligendi, ibi poſſet adhuc vigere jus nominandi, cùm id nullo jure prohibeatur.

QUÆSTIO XV.

Qualiter Simonia inficiat electionem?

℞. I. Electio ſimoniaca, de jure Eccleſiaſtico, ante

ante Judicis Declarationem eſt ipſo jure nulla, per textum expreſſum *Extrav. cùm deteſtabile. 2. de Simonia. inter communes.* Quòd verò hoc etiam ſit extendendum ad Electiones Regularium ex eo probatur, quia ſub nomine beneficii Eccleſiaſtici comprehenduntur dignitates Regularium, tam ſtabiles & perpetuæ, quàm tantùm temporales, atqui Simonia commiſſa in adeptione beneficii Eccleſiaſtici facit collationem ipſo jure nullam, teſte Sanchez *Lib. 2. Conſil. moral. cap. 3. dub. 12. n. 2.* cum communiori *ex cap. de hoc. de Simon. in fine.* ergo & Electionem Regularium faciet nullam.

Eſt autem ſimoniaca electio, quando quis per munus à manu, linguâ vel obſequio obtinuit alterius votum aut ipſam dignitatem. Ut autem reipsâ Electio dicatur irrita, debet ſimonia eſſe realis, hoc eſt, ita ut pactio ex utraque parte ſaltem inchoativè ſit adimpleta, ſive, ut votum ſit actu in favorem dantis præſtitum, & viciſſim alter ſaltem partem rei promiſſæ exhibuerit. Ad quod non requiritur, ut *poſſeſſio* rerum traditarum accipiatur utrinque: ſufficit enim *traditio:* Hinc ſi quis dederit pecuniam, & alter pro dante pecuniam tulerit ſuffragium, eſto iſte necdum acceperit poſſeſſionem Dignitatis, ad quam eſt electus, cenſetur jam Simonia completa, quia præſtitum eſt id, per quod acquiritur jus ad dignitatem. Si quis inſtrumento publico promiſerit Electori aliquid temporale, ad conſequendum ejus votum, & hoc inſtrumentum ſolùm illi tradiderit, de temporali autem promiſſo nihil, nondum eſt Simonia realis & completa, etſi elector actu in favorem promit-

Digitized by Google

promittentis ſuffragium tulerit Sanchez *Lib. 2. Conſil. Moral. cap. 3. dub.* 106. *n.* 3. Ratio: Scriptura non eſt pars pretii, ſed ſolum probatio promiſſionis: ergo dans Scripturam ex parte ſua nondum cenſetur compleviſſe promiſſionem.

Dub. 1. *Quænam ſint palliatæ partes ſimoniacè conſequendi aliorum vota?*

℞. Sequentes: Si Electores hoc vel ſimili modo inter ſe paciſcantur: *ſi tu dederis mihi votum ad hanc dignitatem, ego tibi dabo votum ad illam.* Vel ſi Superior intermedius dicat: *Nullus me vivente habebit hoc vel illud officium v. g. Cellarii, niſi ille tertius, pro quo rogavi, admittatur ad hanc dignitatem. v. g. ad Prioratum Conventualem.* Vel ſi paciſcerentur ſic: *Eligamus iſtum. N. qui eſt amicus noſter, quia erit nobis gratus, & concedet nobis multa commoda &c.* In Canonibus enim prohibentur omnia pacta, conventiones, pretia, mercedes, & ſimilia in Electiönibus intervenientia, *cap. quàm imo. 1. q. 2. cap. fin: de pactis &c.* Deinde in ſimilibus praxibus ſemper intervenit ſpecies quædam contractûs innominati, *Do ut facias.*

Si unus Elector dicat ad alterum: *Sicut tu fuiſti exauditus in una electione pro N. ſic ego debeo exaudiri in alia pro N.* eſt inſpicienda intentio ſic dicentis: ſi enim proferat tantum rogando, non inducendo pactum, non eſt ſimoniacum: ſi præferat exigendo ex aliquo pacto, eſt ſimoniacum.

Si quis diceret ad aliquem ex Electoribus: *Relinque hoc amore mei, vel DEI, & providebitur tibi de alia re, ſi fuero electus, non ero ingratus:* non committitur Simonia, quia non inducitur ſic ali-

Digitized by Google

aliquod pactum, Navarrus *in Enchir. c. 23. n.* 101. eſt tamen praxis ſummè diſſuadenda, maximè Religioſis, qui ab omni ſpecie mali deberent abſtinere.

Dub. 2. *Quid ſi Simonia eſſet commiſſa à tertio ignorante electo?*

℞. 1. Si dignitas aliqua per Simoniam vacaverit, v. g. tertius, me inſcio, induxit aliquem ſuperiorem Regularem pecuniâ, vel alio pretio, aut temporali commodo, v. g. procurando ipſi officium vel dignitatem *ſæcularem* cum pacto & obligatione, ut reſignet ſuam *Regularem*, quo poſito ego eligor in locum illius, electio mea eſſet invalida. Ratio: reſignatio non fuit valida: ergo nec ſubſequens electio erit valida.

℞. 2. Quando dignitas vacavit abſque Simonia, v. g. per mortem Prædeceſſoris, & tertius me ignorante commiſit Simoniam, ut ego eligar, ſi id fiat mihi in fraudem, ut ſcil. reddar inhabilis ad dignitatem, nihil mihi obeſt, *cap. nobis fuit. de Simon.* Idem eſt, ſi ego ignorans expreſsè contradixerim contra omnes ſimoniacas pactiones, ſi quæ fortè me inſcio intervenerInt, *cap. ſicut tuis. 33. eod.*

℞. 3. Si in caſu, quo ego ignarus commiſſæ ſimoniæ poſt expreſſam contradictionem, fui electus, & poſteà mutatâ mente Simoniam ab altero commiſſam ratam habeam, probabiliter electio ante Judicis ſententiam, non eſt irrita, quippe quæ ſemel abſolutè & validè peracta fuit; adeoque etiam non tene[illegible]r ante Judicis ſententiam dignitatem dimittere, pœnæ enim ſunt reſtringendæ,

c. odia

Digitized by Google

c. odia de R. J. in 6. Quòd verò *d. cap. ſicut tuis.* dicatur: *Nihil debet tibi ad pœnam vel culpam imputari, niſi poſteà conſenſeris ſolvendo*; poteſt commodè explicari, quòd id referatur ad culpam, ut ſenſus ſit, quod tunc imputetur ad culpam; an verò etiam imputetur ad pœnam ſimul textus clarè non exprimit, ergo tanquam odioſum eſt reſtringendum.

℞. 4. Si tertius me inſcio, nec tamen etiam expreſsè contradicente committat Simoniam, ut ego eligar; eſt probabile, quòd electio ſit irrita. Citatur pro hac ſententia S. Thomas. 2. 2. *q.* 100. *a. ult. ad 3.* Sed S. Doctor ibi ſolùm dicit, quòd electus teneatur reſignare, an autem electio ſit valida, nec ne, non definit. Hinc videtur etiam eſſe ſatis probabilis, ſi non probabilior, ſententia Thomæ Sanchez *Lib. 2. Conſil. Moral. cap. 3. dub.* 1A6. *n.* 15. & aliorum docentium, quòd electio illa ſit valida in ſe, adeoque electus verum acquirat titulum, licet ex pòſt teneatur reſignare, ſi experiatur ſimoniam eſſe commiſſam. Ratio: nullus poteſt afferri textus expreſsè irritans ipſo facto talem electionem: nam *cap. Nobis. 27. de Simon.* ſolùm afferit talem electionem *reprobandam* eſſe, & *cap. De Regularibus.* 25. *eod.* injungit Epiſcopo, ut ſi ignorantibus receptis in Monaſterium, pecunia pro ingreſſu data fuerit, *cogat eos ad renunciandum.*

Statuit quidem *Extrav. 2. cùm deteſtabile. eod.* quòd Electiones, Poſtulationes, Confirmationes, Proviſiones, ſeu quævis aliæ diſpoſitiones in Eccleſiis Monaſteriis, Dignitatibus, perſonatibus, offi-

officiis Eccleſiaſticis, & quibuſvis beneficiis, quas contigerit ſimoniacâ labe fieri, viribus omninò careant, & per eas nullatenùs cuiquam jus acquiratur, nec inde faciat aliquos fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem, ſub animæ ſuæ periculo ſit aſtrictus: Verùm hæc conſtitutio eſt directa ad eos, qui ipſi Simoniam commiſerunt, ut ipſimet eligantur, & hos ſolùm vult punire: Nihil verò ſtatuit de caſu, quo Simonia à tertio eſt commiſſa, electo ignorante, qui pro tunc non eſt Simoniacus.

Nec dic: *cap. Nobis. 27. de Simon.* dicitur, quòd electio, in qua committitur Simonia electo ignorante, ſit *penitùs* reprobanda; atqui particula *penitus* ſignificat nullitatem *ipſo jure*, ut colligitur *ex Gl. in L. ſi qui Advocatorum. arceantur. C. de poſtulando:* ergo illa electio eſt irrita ipſo jure. Nam ℞. D. Maj. habetur ibi particula *penitus* cum alio addito, quod ſignificat ſententiam ferendam C. ſine tali addito N. Maj. Eo ipſo quòd dicatur eſſe *reprobanda*, innuitur eſſe ſolùm ſententiæ ferendæ.

Quòd autem Electus in caſu poſito teneatur reſignare dignitatem, ad quam eſt electus, docet inprimìs Jus Pontificium *cap. ex inſinuatione, cap. de Regularibus. & cap. ſicut tuis. de ſimon.* Docet idem D. Thomas *2. 2. q.* 100. *a. ult. ad* 3. D. Antoninus. *2, p. tit.* 1. *c.* 5. §. 21. Navarrus *in Enchir. cap.* 25. *n.* 113. dicens eſſe certum apud omnes. Angelus *v. Simonia.* 7. *n.* 3. Tabiena *eod. q.* 9. & alii communiter, qui etſi aſſerant electionem eſſe validam, tamen ſubjungunt, Electum (idem

(idem eſt de aliis beneficium aliud Eccleſiaſticum obtinentibus) teneri ſtatim reſignare. quamprimùm experitur Simoniam eſſe commiſſam.

Quòd ſi dignitatem non ſtatim reſignaverit, ſed Epiſcopi vel Superioris ſententiam exſpectaverit, non poteſt ab eodem Epiſcopo vel alio ſimili Superiore obtinere diſpenſationem, ut eligatur ad eandem dignitatem. Ita Abbas *in cap. de Simoniacè, n. 7. de Simon.* apud Layman. *tom. 2. Theol. Moral. Lib. 4. tr. 10. c. ult. §. 7. n. 73.* Notandum tamen, quòd hæc incapacitas ad retinendam Dignitatem non ſit pœna, eò quòd ille, qui eſt ſine culpa (ſicut eſt ille qui Simoniam commiſſam ignorat) non debeat puniri ob alterius culpam: Unde habet ſe ſicut pura incapacitas inducta in odium Simoniæ fermè, ſicut irregularitas in Judice cauſæ ſanguinariæ.

Dub. 3. *An, ſi Simonia à Cajo, vel ab aliis de ejus conſenſu ſit commiſſa cum uno tantùm electore, v. g. uni tantùm eſſet pretium promiſſum, & hoc non obſtante major pars adhuc elegiſſet Cajum, ſit tota electio irrita vel ſolùm irritanda?*

℞. Eſt invalida tota Navarr. *in Enchir. cap. 23. n. 103.* Sequitur *ex cap. Matthaus. 23. de Simon.* ubi tertius quidam, ſciente electo, ſolvit munus ei, qui diſcordiæ vel contradictionis auctor erat, & tamen ſimpliciter jubetur electus à beneficio deſiſtere. Addit Pellizzar. *in Man. Regul. tom. 2. cap. 2. Sect. 1. n. 61.* hoc eſſe verum etiam in caſu, quo ſuffragium illius, qui per Simoniam fuit corruptus, non fuiſſet neceſſarium: quæ doctrina

K valde

valde conformis eſt *d. cap. Matthæus.* in quo agebatur de electo *voluntate majoris partis Fratrum, paucis contradicentibus:* Ecce conſenſus majoris partis Capituli ſufficit, nec conſenſus paucorum contradicentium requiritur, & tamen ob munus ſolutum electio illa caruit robore.

Dub. 4. *An & Quomodò abſque Simoniæ labe liceat pecuniâ vel pretio temporali redimere vexam, quam quis in Electione patitur?*

℞. 1. Si ego antequàm eſſem electus vel adeptus dignitatem, dem tertio aliquid temporale, ne me directè impediat à conſecutione dignitatis, committo Simoniam, ita Doctor Angelicus, 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. *ad* 6. & alii communiter. Ratio? quando bonum ſpirituale vel dignitatem nondum poſſideo, etſi id fiat cum injuria ab altero antecedenter mihi illata, tamen pro tunc necdum habeo jus plenum in illa bona: ergo per pecuniam vel aliud temporale facio mihi modò viam & aditum, ut illud jus plenum acquiram? atqui hoc eſt Simoniacum, ergo.

℞. 2. Si ille tertius ſolùm remotè & indirectè me impediat ac vexet, v. g. ad ipſum non ſpectat jus votandi, & tamen vult me detinere, ne opportuno tempore electionem accedam, vel confirmationem petam; aut me injuſtè ex odio erga me objiciendo crimina quantumvis vera tamen adhuc occulta, vult diffamare; vel vult precibus importunis, aut pretio alios Coëlectores corrumpere, ut alteri minùs digno ſuum concedant ſuffragium; Non eſt Simoniacum offerre pecuniam, ut ab hac vexatione abſtineat, Ratio: hujuſmodi homi-

hominibus non offertur pecunia, ut proſint ad acquirendam dignitatem vel bonum ſpirituale (quod eſſet Simoniacum, cùm ſic moraliter ipſum bonum ſpirituale cenſeatur pecuniâ comparari) ſed tantùm ne obſint, ne detineant, ne diffament, &c. quæ ſunt pretio comparabilia.

℞. 3. Si tertius non tantùm in- ſed etiam directè velit impedire, quia ſcil. habet vocem activam, vel jus electionem habitam confirmandi, & tamen vult mihi alium: me indigniorem præferre, vel me legitimè electum non vult confirmare; dando pecuniam, ut à tali vexa abſtineat, ſi non ſubſit animus illâ pecuniâ tanquam pretio ſternere viam ad dignitatem, non videtur committi Simonia *Juris naturalis*. Ratio: poſſem pecuniam dare ad removendum affectum malum odii, quo remoto, ille alter non ex pacto ſive obligatione deſcendente ex oblatâ pecuniâ, ſed ex naturali dictamine movetur ad votum vel Confirmationem concedendam: Nihilominùs quia iſta oblatio pecuniæ ſpeciem Simoniæ præ ſe fert, hinc *Eccleſiaſtico jure* tanquam Simoniaca damnatur *cap. ſi tuis. de Simon.* Multò certius eſt in dato caſu committi ex parte accipientis pecuniam. Cùm tamen via non ſternatur *directè* ad ipſam dignitatem, ſed ad alterius ſiniſtrum effectum molliendum, hinc potiùs eſt Simonia affectiva & mentalis, quàm realis & completa, adeoque non eſt ſufficiens ad electionem & confirmationem ſubſecutam ipſo jure irritandam. Porro Simoniacum non eſt, nec illicitum ex parte dantis, ſi quis Electoribus det aliquid temporale ex eo fine, ut non eligant indignum,

vel minùs dignum relicto digniore. Nunquam tamen poteſt dans illud temporale, directè intendere, ut Electores accepto illo munere eligant hanc particularem perſonam, ſed ſolùm ut eligant dignum indefinitè & genericè, quiſcunque ille ſit: Quòd ſi fortè ſit tantùm unus dignus, eſt per accidens. Ita ſententia ſatìs probabilis contra Sanchez *loc. cit. dub.* 32. docentem, ſemper eſſe Simoniam. Vide tamen Laymannum ſupra.

℞. 4. Si habeam ſolùm *jus ad rem* ad dignitatem, eſt Simonia dare temporale, ne vexer in conſequendo *jure in re*, v. g. ſi eſſem electus, & injuſtè vexarer, ne acciperem poſſeſſionem vel Confirmationem. Ratio: habito ſolo jure ad rem dignitas nondum eſt mea, vel quaſi mea: ergo per pecuniam modò ſterno viam, ut fiat mea, hoc autem eſt Simoniacum. Sententia tamen Laymanni contraria eſt, etiam non deſtituitur fundamentis, cui conſentit Toletus, *Lib.* 5. *Summa. c.* 90. *n.* 2. Sotus *Lib.* 9. *de Juſt. q.* 32. *a.* 1. &c.

℞. 5. Si in dignitate vel officio ſpirituali acquiſiverim jam *jus in re*, & à tertio injuſtè vexer, poſſum hanc vexam abſque Simoniæ labe redimere pecuniâ; vel pretio temporali inducere vexantem, ut abſtineat. S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. *ad* 5. &c. Ratio: qui habet *jus in re*, non dat pecuniam pro jure ſpirituali acquirendo, ſed ſolùm pro avertendâ injuria, aut vexatione: atqui licet injuriam pecuniâ redimere, *L.* 1. & 4. *ff. de condict. ob turpem & injuſtam cauſam.* ergo. Hinc etiam infertur probabiliter, quòd ſi jus plenum ac certum in dignitate acquiſiverim, & alter injuſtè me velit ſpolia-

ſpoliare poſſeſſione jam acquiſitâ, vel impedire ab acquirenda, quòd inquam poſſim hanc injuriam pecuniâ redimere abſque Simoniæ crimine. Ratio: quando titulus beneficii eſt certò & plenè acquiſitus, debetur omni jure poſſeſſio, ergo per pecuniam mihi non comparo aliquid ſpirituale, nec facio, ut propter eandem mihi aliquid debeatur, quod priùs non erat debitum, ſed ſolùm procuro, ut mihi non inferatur injuria in eo, quod jam debitum eſt, & hoc nullo jure reperitur prohibitum.

Quòd ſi ipſum jus in dubium vocaretur, & ideò poſſeſſio vel administratio aut confirmatio negaretur vel turbaretur; aut ſi vexatio non eſſet clarè, ſed ſolum dubiè injuſta; tunc ſi quis poſſeſſionem, confirmationem vel adminiſtrationem pecunia compararet, cenſeretur ipſum jus ſpirituale pecuniâ comparare, quod eſt Simoniacum.

Porrò ut vexatio juxta dicta poſſit redimi, non debet neceſſariò eſſe actualis, ſed ſufficit prudenter timeri: nam quando imminet malum, ſive certò ſive probabiliter futurum, licitum eſt illud propulſare, nec tenetur quiſquam exſpectare, donec fiat præſens: Sicut poſſim me contra aggreſſorem defendere, non teneor exſpectare ictum ab altero reipsâ inflictum.

Nec dic: Eſt contra moderamen inculpatæ tutelæ, ſi quis velit vi tollere vim nondum exiſtentem. ℞. N. Suppoſitum, quòd redimere vexam, ſit vim vi repellere: Etſi enim vexa ſit vis quædam illata, redemptio tamen vexæ non eſt vis altera, vim repellens, ſed potiùs eſt cautus modus vim

 dedi-

Digitized by Google

declinandi. Ideò autem non licet vim adhibere, ubi contraria vis non eſt moraliter præſens, quia vis eſt quædem actio injurioſa, quæ fit ſolùm licita exiſtente, vi contrariâ. Sanchez *Lib. 2. Conſil. moral. cap. 3. dub. 30. n. 5.* hìc dicta redigit in hanc regulam generalem, quòd ſcil. jura damnantia redemptionem vexæ ante acquiſitum *jus in re*, loquantur, quando vexatio eſt *immediatè* circa ipſum beneficium vel dignitatem, non quando ſolùm *mediatè*. Et ex hoc infert, quòd ſi electione factâ à majori parte Capituli detur aliquid contradicenti, ut à contradictione ceſſet, ſit Simonia, licet contradictio eſſet injuſta. Item quòd factâ electione vel collatione beneficii Eccleſiaſtici, ſi quis injuſtè impediatur à conſequenda *poſſeſſione*, poſſit vexationem pecuniâ redimere, quia, licèt poſſeſſio beneficii ſit quid ſpirituale, cùm tamen tota ſpiritualitas poſſeſſionis ſit ratione tituli, in quo habet jus plenè acquiſitum per electionem canonicè completam, vel per collationem beneficii legitimè factam, ita ut ſaltem in collatione beneficii etiam ante poſſeſſionem ejuſdem acquiratur jus in re, teſte Immolá apud eundem Sanchez *loc. cit. dub. 37. n. 6.* hinc nihil emit de ſpiritualitate, ſed ſolùm removet obicem. Idem eſt, quando alius omninò injuſtè meam poſſeſſionem liquidò & clarè juſtam turbaret.

Petes 1. *An à poſſeſſione ſua dignitatis injuſtè expulſus, poſſit vexam pretio temporali redimere, & ſic poſſeſſionem recuperare?*

℞. Sub disjunctione: ſi fuerit expulſus à tyranno quodam, vel alio, qui non habet auctoritatem

nec

Digitized by Google

nec licitè nec validè expellendi, poteſt vexam redimere pretio temporali: tunc enim poſſeſſor prior reipsâ non eſt expulſus. Si expellatur ab altiore Superiore, vel alio, qui poteſt validè, quamvis non licitè expellere, non poteſt redimere vexam dato aliquo temporali Sanchez *loc. cit. dub.* 30. *n.* 12. Ratio: in hoc caſu verè perdidit dignitatem: ergo per pecuniam repararet ſibi ad eandem aditum, quod eſt Simoniacum.

Petes 2. *An liceat vexam redimere pecuniâ, quando ſuppetunt alia via?*

℞. Negativè: Ratio: etſi quiſpiam ſit habitualiter paratus ad peccandum, ob hoc tamen non excuſantur à peccato, qui ſunt cauſa, ut illa habitualis conſtitutio exeat in actum niſi aliâ causâ pro ſe ſtante muniantur; atqui offerens pecuniam, quando aliâ viâ poteſt redimi vexa, eſt cauſa, ut alterius Simoniacus affectus exerceatur actu & conſummetur, ergo non excuſatur à peccato.

Petes 3. *An vexa in iis caſibus, quibus licitè redimitur, poſſit redimi per aliquid ſpirituale, v. g. per beneficium Eccleſiaſticum vexaturo promiſſum?*

℞. Negativé: Ratio: illa vexatio eſt quid temporale: ergo ſi ad illam redimendam promitterem beneficium, promitterem aliquid ſpirituale pro temporali, quod non poteſt excuſari à Simoniæ crimine.

Petes 4. *An, quando vexatio in ſe & fundamento ſuo eſt juſta, ſit tamen modo injuſto, v. g. non ex zelo charitatis, ſed animo perverſo, odio & pravo nocendi deſiderio, poſſit pecuniâ redimi?*

℞. Affirmativè, idque etiam in caſu, quo vexans poſſet electionem juvare & ſuffragari, dummodò non detur pecunia pro ipſa electione. Ratio: quivis ex jure naturæ poteſt ſe defendere contra malum injuſtè illatum: atqui in caſu præſenti malum infertur injuſtè; ergo quivis poteſt ſe contra illud defendere; ergo etiam redimere.

Dub. 5. *An, quando Electio facta eſt litigioſa, liceat abſque Simonia pretium offerre parti opponenti, ut à lite deſiſtat.*

℞. Quando lis movenda eſt juſta, vel ſaltem non evidenter injuſta, non poteſt abſque Simonia pretium offerri, ut pars adverſa à lite deſiſtat. Eſt expreſſum *cap. Matthæus. 23. de Simon.* Et hæc Simonia non tantùm tenet ſe ex parte offerentis pecuniam, ſed etiam ex parte illius, qui pro pecunia liti juſtæ renunciat, etſi ea detur vel accipiatur ſub nomine *expenſarum factarum in lite.* Idem eſt de renunciante literis Apoſtolicis ſuper proviſione beneficii collativi conceſſis, vel quibus quis habilitatur ad vocem paſſivam in certa electione obtinendam. Ratio: hoc eſſet renunciare ſpirituali pro re temporali.

Si detur *beneficium* vel *penſio Eccleſiaſtica*, ut alter à lite vel jure ſuo, quod prætendere poteſt, deſiſtat, quando id fit abſque auctoritate legitimi Superioris, eſt Simonia tantùm *Juris Eccleſiaſtici.* Habet enim iſte modus agendi rationem *permutationis*, quâ unum ſpirituale cum altero ſpirituali permutatur, quæ permutatio ſi fiat abſque auctoritate legitimi Superioris, eſt ſolùm contra jus Eccleſiaſticum, *cap. quæſitum, cap. cùm olim, cap.*

cùm

Digitized by Google

cùm Univerſorum. de rer. permut. Cenſet tamen Navarrus *in Man. cap.* 23. *n.* 105. permutationem ipſam in dictis terminis factam eſſe irritam.

Quòd ſi detur *pecunia*, eſt Simonia *Juris divini*, quia ſic permutatur res ſpiritualis pro temporali, quod eſt contra jus divinum, unde nec Papa poteſt directè ad hoc dare licentiam.

Dub. 6. *An ſi dignitas quædam Eccleſiaſtica, v. g. Epiſcopatus, vel Abbatia detineatur à Laico v. g. ACatholico, liceat eandem pecuniâ redimere?*

℞. Affirmativè: Eſt expreſſum *cap. plures.* 1. *de uſuris.* ubi Eccleſiaſtici uſurarii ſuſpenduntur, *niſi fortè Eccleſiæ beneficium fuerit quod redimendum ei hoc modo de manu Laici videatur.*

Ex quo ſic arguo: Uſurarius exigit aliquid temporale vel aliud munus à manu, lingua, vel obſequio, vi mutui ultra ſortem principalem: ergo ſi liceat beneficium tale Eccleſiaſticum exigere ultra ſortem, licebit etiam, per Capitale temporale parare viam ad redimendum beneficium à Laico poſſeſſum: Si autem liceat beneficium ſic redimere, licebit etiam eodem modo redimere dignitatem & Epiſcopatum; nam iſta ſunt beneficia majora.

QUÆSTIO XVI.

In quo loco Electio ſit facienda?

℞. In Eccleſiæ Navi, vel Choro, vel Sacriſtia, vel loco Capitulari, de quo expreſsè agit *cap. In cauſis.* 30. *h. t.* vel in alio loco honeſto, dummodò non ſit *Clandeſtinus.* Nullibi enim reperitur

jus aliquid circa hoc determinâſſe. Unde etiam in caſu neceſſitatis poſſet fieri extra Eccleſiam & Monaſterium. Cenſetur autem locus *clandeſtinus* una privata Camera. Pro Electione Summi Pontificis paratur unum tantùm Conclave ſpeciale ex Conſtitutione Gregorii X. in Concilio Lugdunenſi, relatâ *cap. ubi periculum. 3. §. in eodem autem. h. t. in 6.*

Obſerva: Ut electio licitè fiat extra fines Eccleſiæ viduatæ, requiritur cauſa rationabilis & publica, ſive communis, v. g. ſi in loco conſueto graſſaretur Contagio; aut ibi libertas electionis periclitaretur: aut aliâ ratione locus conſuetus non eſſet tutus: dicitur enim *cap. Quòd ſicut. de Elect.* quòd Electio, ſi fieri poſſit, habenda ſit in propriâ Eccleſiâ. Si locus conſuetus vel deſignatus non ſit tutus, poteſt minor pars, imò etiam unicus tantùm reliquos cogere ad deſignandum locum alium; neque enim adeſt ſufficiens ratio, aſtringendi unum, ut ſe exponat periculo, quod vitari poteſt. Quòd ſi ob ſolam majorem commoditatem extra fines Eccleſiæ viduatæ deſignaretur locus pro futurâ Electione, debent duæ partes Capitularium conſentire, aliàs non poterunt ſatis aſtringere minorem partem, ut locum hunc acceptent, ſicut poſſent aſtringere, ſi duæ partes conſenſiſſent. Pirhing. *ad tit. de Elect. n.* 243.

Si cauſa ſit privata aliquorum, ſive hæc concernat Præſidem, ſive etiam majorem partem Electorum, non tenetur minor pars locum extra fines Eccleſiæ deſignatum acceptare teſte Paſſerino.

Si Electio ſine rationabili cauſa fuit extra Eccleſiæ fines

Digitized by Google

fines aut locum conſuetum, non eſt irrita ipſo jure: nullibi enim hujus irritationis oſtenditur in Jure indicium, neque probari poteſt, quòd locus ſit de Electionis ſubſtantia; exceptâ Electione Papæ, quæ facta extra Conclave eſt nulla, *cap. ubi periculum. de Elect. in* 6. junctâ Bulla Gregorii XV. incip. *Æterni Patris.*

An verò talis Electio non ſit ſaltem irritanda, controvertitur. Affirmativæ favent Layman. *in cap. cùm inter. de Elect. n.* 1. & Pirhing. *l. c. n.* 242. Alii veriſimiliùs diſtinguunt inter locum honeſtum & convenientem, ac inhoneſtum & inconvenientem.

In primo caſu, ſi Electio fiat extra fines Eccleſiæ, aut locum conſuetum, attamen adhuc in loco honeſto, & convenienti, non erit irritanda; imò nec illicita (ſaltem graviter) quia ſemper debemus potius ſtare pro valore actûs, dummodò Jura non reſiſtant, aut nihil abſurdi inde enaſcatur: at nec oſtenditur textus Juris, qui hanc irritabilitatem asſtruat, nec enaſcitur per ſe aliquid abſurdi, ſi electio fiat in loco honeſto extra fines Eccleſiæ.

Quòd verò adſit conſuetudo Electiones celebrandi intra fines Eccleſiæ viduatæ, non obſtat; quia conſuetudo non obligat, quando eſt inducta ſolùm ratione alicujus majoris commoditatis, abſque animo ſe obligandi: talis autem videtur eſſe dicta conſuetudo.

In ſecundo caſu, ſi electio fiat in loco inhoneſto, vel diſconvenienti, v. g. in domo aliqua ſæculari (niſi fortè hæc domus ſpectaret ad aliquem Sæcu-

larem

larem, Electioni nullatenùs ſe immiſcentem, ſed duntaxat Electores defendentem) erit irritanda: quia factum contra legem non debet habere firmitatem, *arg. cap. Quod contra Jus. de R. J. in* 6. at talis Electio eſt contra Jus vel Canones, *cap. Quâ fronte de appellat.* An verò talis electio ſit graviter peccaminoſa, deſumendum eſt ex periculo ſcandali, & qualitate loci, cujus inhoneſtas poteſt eſſe gravis vel levis.

Dub. 1. *An Electio celebrata in loco interdicto valeat?*

℟. Eſt quidem minus decens, tamen valet. Ratio: per interdictum ſolùm ſuſpenduntur divina officia, & Sacramentorum uſus, *cap. fin. de ſentent. excomm. in* 6. atqui Electio non eſt Sacramentum, nec divinum Officium, ergo non ſuſpenditur.

Dub. 2. *Quid ſi quis durante electione exiret de loco Capitulari?*

℟. De hoc dictum eſt ſupra *q.* 6. §. 2. *dub.* 13. & redibit mentio infra *q.* 18. *dub.* 12.

Dub. 3. *In quo loco ſit facienda electio Monialium?*

℟. Ad crates, ſive ante Cancellorum feneſtrellam, ita Concilium Tridentinum *Seſſ.* 25. *de Regul. cap.* 7. Ibi ergo Præſes electionis debet ſingularum vota audire vel accipere, quin clauſtrum ingrediatur. Si tamen Præſes vel Prælati prudenter judicarent, Electionem non poſſe fieri canonicè ipſis non intrantibus, ob inquietudinem Monialium, & ſuſpicionem ſubornationis votorum inter ipſas ſubortæ, aut ob alias cauſas à Superioribus pruden-

prudenter arbitrandas, non prohibentur ingredi Clauſtrum, nec præſumitur Sacra Synodus in hoc puncto neceſſitatis ob commune bonum vo'ui'ſe tam rigorosè procedere. Sanchez *in Decal. Lib. 6. cap.* 16. *n.* 50. cum aliis pluribus.

Dub. 4. *An ſi Monialis ob infirmitatem non poſſit adire locum electionis, poſſint Præſides Electionis ingredi Monaſterium ad ejus votum exquirendum?*

℟. Negativè: ita S. Congregatio 21. Jun. 1595. apud Gavantum *in Man. V. Monialium Officiales. n.* 18. Deberet ergo talis infirma cedere juri ſuo eligendi activè: Si autem ceſſio iſta non expediat, inſpectâ conſuetudine Ordinum vel Monaſteriorum poſſet ejus votum requiri, ut docet Pellizzarius *in Man. Regul. tom.* 2. *tr.* 10. *cap.* 10. *n.* 104. Sed non addit modum, quo id fieri poſſit: videtur hæc eſſe ſufficiens cauſa ingrediendi clauſtrum.

Petes incidenter. *Quis debeat præſidere Electionibus Monialium.*

℟. *Ex Jure novo Tridentini*, ſi Monaſterium ſit ſubjectum Epiſcopis, vel etiam Sedi Apoſtolicæ, ipſe Epiſcopus loci; ſi ſit exemptum, Prælatus Regularis, cui dictum Monaſterium immediatè ſubjicitur, præſidere debet. Patet ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 25. *de Regular. cap.* 7. dicente: *Is verò, qui electioni praeeſt, Epiſcopus, ſive alius Superior:* ubi non fuiſſet neceſſe præter Epiſcopum nominare alium Superiorem ſi Epiſcopus etiam præſidere poſſet Electionibus Monaſteriorum exemptorum.

Nihilominùs vi Bullæ Gregorii XV. incip. *Inſcru-*

Inſcrutabili. (ſaltem ubi ea eſt recepta) poteſt Epiſcopus vel per ſe, vel per alium unà cum Superioribus Regularibus Electioni Monialium præſidere, abſque ullâ tamen Monaſteriorum impensâ. Quòd ſi Epiſcopus velit intereſſe tenentur Regulares Superiores exſpectare, âliàs ipſi, & non Moniales ab Epiſcopo ſunt punibiles. Cum iſtis præſidentibus debent adeſſe ad minus duo teſtes, qui ſubeant munus Scrutatorum; qui debent eſſe in loco patenti, ut ab omnibus poſſint videri, non tamen audiri. Epiſcopus autem præſidens ob hoc planè nullam habet Superioritatem ac juriſdictionem in Moniales exemptas, earumque electiones, ſed ſolam directionem, ut pacificè & canonicè procedatur. Unde etiam non poteſt recipere ſuffragia Monialium, ſed ſolùm ea audire & cognoſcere, quando recipiuntur à Prælato Regulari, ſic declarante S. Congregatione 10. Septembr. 1639. in Urbanienſi. Neque ad Epiſcopum ſpectat præfigere tempus futuræ electionis, ſed ad Superiorem Regularem, Pellizzarius *loc. cit. Sect. 2. ſubſect. 1. n. 96. in fine.* ne ſcil. Epiſcopo facilè per negotia impedibili Moniales diu ſperatâ electione fruſtrentur.

QUÆSTIO XVII.

Quot vota debeant adeſſe, ut Electio ſit perfecta?

℞. Præter dicenda infra *Sect. 3. q. 8.* In via Scrutinii vel Compromiſſi requiritur, ut *major & ſanior pars* eligentium ſimul ſumptorum in neo-electum con-

conſenſerit per textum. *cap. Quia propter. 42. h. t.*

Requiritur autem utrumque ſimul *copulativè*, nec ſufficit ſola *pars major*, hoc eſt, ut quis habeat ultra medietatem Eligentium; nec ſola *pars ſanior*: quia utrumque ſimul conjungitur *in d. cap. quia propter*. Unde ſi eſſent Electores octodecim, novem in Rudolphum, ſex in Martinum, tres in Gregorium conſenſiſſent, nullus poſſet dici electus: quia licet habens vota novem, haberet plura vota reſpectu aliorum, qui ſunt coëlecti, non tamen habet ultra medietatem Eligentium, eſt expreſſum *cap. Eccleſia veſtra. h. t.* Major tamen pars regulariter præſumitur etiam eſſe ſanior, Tabiena *v. Capitulum.* Imò cùm ex Tridentino *Seſſ. 25. de Regul. cap. 6.* prohibeatur publicari nomina Eligentium, conſequenter etiam prohibita intelligitur diſquiſitio, per quam dignoſci poſſit, an ſanior pars elegerit, Lezana *in Summa qq. Regul. tom. 1. cap. 15. n. 10.*

Obſerva 1. Ab hac regulâ generali, quòd *ſufficiat* Majoritas & Sanioritas Votantium excipitur 1. Electio Summi Pontificis, quæ non valet, niſi fiat à duabus partibus Cardinalium præſentium in unum conſentientium, *cap. Licet. 6. h. t.* ubi datur ratio: *quòd*, ſi in electionibus inferiorum *dubium venerit Superioris poterit judicio definiri. In Romana verò Eccleſia ſpeciale aliquid conſtituitur, quia non poterit ad Superiorem recurſus haberi.* Ita ibi.

Excipitur II. Electio, quæ cum poſtulatione concurrit, in quâ non ſufficit majoritas & ſanioritas, ſed requiruntur duæ tertiæ, ut dicetur *p. 2. q. 28.*

Exci-

Digitized by Google

Excipiunt aliqui III. Electionem Abbatiſſarum, ſed de hac vide infra dubio mox ſequenti.

Excipiunt aliqui IV. niſi rigor Juris communis uſu fuiſſet mitigatus: docent enim aliqui, quòd in nonnullis Eccleſiis ſive locis, rigor Juris communis requirentis ad valorem electionis majora vota reſpectu totius Capituli præſentis non obſervetur, ſed per longævam conſuetudinem contrariam ibidem ad valorem Electionis ſufficiat habere majora vota comparatione partis minoris, ut notat Zipæus apud Engel. *h.t.n.* 37. Reiffenſtuel ad *Jus Canon. tit. de Elect.* §. 6. *n.* 151. & *tom.* 3. *tit.* 16. *de his quæ fiunt à majori parte Capituli. n.* 28.

Verùm hìc ſubingreditur alia quæſtio, an conſuetudo poſſit prævalere contra Conſtitionem Juris, in qua expreſſa habetur clauſula irritans ſecùs factorum (qualis clauſula habetur *in cap. Quia propter. h.t.*) de quo infra *q.* 28.

Obſerva 2. Si in electione quadam ex una parte ſtaret majoritas ſine ſanioritate; & ex altera parte Sanioritas ſine majoritate? neutra pars per ſe loquendo prævaleret, & electio eſſet nulla, ut patet ex dictis: niſi major pars ſcienter elegiſſet indignum. Si tamen Electus à majori parte ſit verè idoneus, & numerus pro ſe votantium multùm excedat, præfertur iſte numerus authoritati, zelo & merito aliorum, *arg. cap. ſi quando.* 9. *h.t. in* 6. Si numerus ex una parte non multum excedat, ſed neque ex parte altera magnus ſit exceſſus Sanioritatis, præfertur major numerus modico exceſſui Sanioritatis, *arg. cap. etſi quæſtiones.* 18. *de Simon.* Si Sanioritas multùm excedat, nec majoris, nec ſanioris partis

partis electio eſt confirmanda, ſed procedendum ad novam electionem. Reiffenſt. *l.c. de Elect. n.* 148.

Obſerva 3. ab hac regula generali (quòd ad electionem non ſufficiat minor pars, ſive quòd debeat Electus habere unum vel ſaltem *medium* votum ultra medietatem omnium votantium) excipitur I. ſi major pars ſcienter eligat indignum, & minor pars dignum: tunc enim electio à minori parte facta debet confirmari *cap. Dudum.* 22. *h. t.* & dicetur *Sect.* 3. *q.* 8.

Excipitur II. ſi electio concurrat cum poſtulatione: tunc enim ſi poſtulatus non habeat duas tertias, ſed electus habeat ſaltem unum votum ultra unam tertiam, electio ab hac minori parte facta valet, debetque confirmari, *cap. ſcriptum eſt. h. t.* Et ſic fuit practicatum Anno 1688. in Electione Colonienſi, in qua convenientibus viginti quatuor Capitularibus Ferdinandus Epiſcopus Argentinenſis deſtitutus Indulto Apoſtolico Eligibilitatis, poſtulatus fuit votis tredecim: Joſephus Clemens è Ducibus Bavariæ Epiſcopus Friſingenſis & Ratisbonenſis munitus Indulto Eligibilitatis electus fuit votis novem: reliquis duobus votis in alios diſperſis: & tamen 20. Dec. ejuſdem Anni Electio Joſephi Clementis per Sedem Apoſtolicam fuit confirmata.

Excipiunt aliqui III. niſi uſu receptum ſit, ut valeat etiam majoritas reſpectu Coëlectorum, licet non ſit majoritas reſpectu totius Capituli præſentis congregati; Sed de hoc iam aliquid inſinuatum eſt *Obſerv.* 1.

Dixi ſub initium hujus Obſerv. quòd Electus

debeat habere ſaltem *medium votum* ultra medietatem omnium votantium; quod tunc evenit, ſi votantes collectivè ſumpti conſtituant numerum imparem, v.g. quindecim: tunc enim ſi unus habeat vota octo, videtur reipsâ habere ſolùm medium votum ultra medietatem.

Obſerva 4. Electio à minori parte facta ita eſt nulla, ut inſpecto rigore Juris nequidem per ſubſequentem aliorum conſenſum poſſit ratificari, *cap. Auditis. 29. h. t.* ex ratione ibi allegata: quòd ex poſt facto nequiverit convaleſcere, quod ab initio non valebat: Ita ibi. Quid in hoc puncto uſus obtineat quoad acceſſum votorum vide *Sect.* 2. *q.* 20.

Dub. 1. *Quot vota debeant concurrere in Abbatiſſam eligendam?*

℟. Sufficit, quòd illa habeat majora, nec requirit duas tertias. Donatus *prax. Regul. tom.* 4. *tr.* 6. *q.* 7. contra Lezanam *in Summa qq. Regul. tom.* 3. *v. Abbatiſſa. n.* 6. requirentem duas tertias, niſi aliud ferat conſuetudo. Ratio noſtræ Reſponſionis: *cap. Indemnitatibus.* 43. §. *ſi verò. h. t. in* 6. dicitur: *Si verò ad illam, quæ à majori parte eſt electa, noluerint aliæ accedere Moniales, vel ſi acceſſerint, non tamen tot, quot cum aliis priùs in eam conſentientibus faciant duas partes: quòd tunc ſine ſtrepitu judicii debeat inquiri, ſi quæ à parte altera contra electam fuerint objecta:* infero: ergo electio fuit valida, & poterat immediatè confirmari, ſi nihil objiciatur. Quòd verò *in eodem cap. Indemnitatibus. §. ſanè.* Fiat mentio *duarum partium*, aſſeritur, vel refertur tanquàm factum,

quod

Digitized by Google

quod contigit; non quod neceſſariò faciendum erat. Si quæ Declaratio S. Congregationis 20. Novembr. 1585. celebratæ, dicatur contraria, illa non oſtenditur in forma authentica.

Illud tamen cum Lezana *l. c.* concedo, quòd ſi Moniales eſſent diſcordes, poſſet Epiſcopus, vel Superior Regularis Electioni Abbatiſſæ præſidens tempus competens aſſignare ad ſe concordandum. Quod ſi non fiat, poſſent ipſimet unam nominare, quam magis idoneam judicaverint, ſic declarantibus Sacris Congregationibus

Dub. 2. *Quid ſi in primo Scrutinio major pars vocalium in unum non conſentiat?*

℞. De Jure communi iterandum eſt Scrutinium, quouſque major pars Capituli in unum conſentiat, *arg. c. cum terra.* 14. *de Elect.* dummodò id adhuc fiat intra trimeſtre: Dixi: *De Jure communi*: quia in aliquibus Religionibus, ſi Scrutinio aliquot vicibus iterato major pars Capituli in aliquem non conſentiat, electio devolvitur ad Superiores, teſte Antonio à Spiritu S. *in Directorio Regularium tr. 5. diſp. 2. n.* 42. ubi ſubdit de ſuo Venerabili Carmelitarum Diſcalceatorum Inſtituto, ex Conſtitutionibus Ordinis, & conformiter *ad Clem. Exivi. §. demum. de V. S.* quòd ſi in primo & ſecundo Scrutinio electio non fuerit celebrata per majorem partem Capituli, ille cenſeatur Canonice electus, qui in tertio Scrutinio habuerit plura vota, quàm alii ſigillatim. Unde ait, quod per allegatam Clementinam derogetur. *c. Quia propter.* Ita ille.

Digitized by Google

QUÆSTIO XVIII.

Quando poſſit vel debeat inſtitui Electio?

℟. Præter dicta ſupra. *q.* 4. adverte pro Regularibus, quod tempus futuræ electionis poſſit & debeat extendi juxta cujuſque Ordinis Statuta vel regulas, maximè cùm Clemens IV. referatur indulſiſſe F. F. Ordinis Minorum, quòd in Electionibus tempus à Jure ſtatutum ipſis non currat. Idem Alexander IV. in Bulla: *Cum his*. & Sixtus IV. *in Mari magno* conceſſit Ordini Prædicatorum: quæ privilegia extenduntur ad omnes Regulares communicantes in privilegiis. Porro ſi tempus à Jure communi, vel ſpecialibus Conſtitutionibus præfixum per ſolam negligentiam eligentium, & abſque juſto impedimento præterlabatur, non poſſunt electores ex poſt electionem inſtituere, & ſi inſtituant, actus eſt nullus. Ratio: *cap. ne pro defectu.* 41. *h. t.* dicitur: *Tales eligendi poteſtate careant eâ vice:* atqui actus factus ab eo, qui non habet poteſtatem illum exercendi, eſt nullus. ergo.

Dub. 1. *An Electiones poſſint fieri nocte?*

℟. Sub disjunctione: Illæ quæ non debent ſervare formam juris præſcriptam *in cap. quia propter*. poſſunt fieri de nocte, etiam extra caſum neceſſitatis; quia nullibi reperitur circa hoc prohibitio: atqui quod prohibitum non reperitur, conceſſum intelligitur, *L. nec non.* §. *quod ejus. ff. in quibus cauſis majores.* ergo.

Quæ verò debent ſervare formam juris præſcriptam, per ſe & *regulariter* non poſſunt fieri noctu.

Digitized by Google

noctu, ne reddantur *clandeſtina,* quæ *in cit. cap. quiapropter.* ſunt reprobatæ. Cenſetur autem noctis tempus, quod eſt poſt pulſatam Salutationem Angelicam veſpertinam, vel in quo ſine candela non poteſt videri. Vel *juxta cap. conſuluit. 24. de Offic. & poteſt. Judicis delegati.* illa hora dicitur congrua, ex qua poſſis ante noctis tenebras perficere, quod incumbit.

Electio talis ſine cauſa noctu habita juxta Layman. *in cap. In cauſis. de Elect.* eſt irritanda, aliis hoc diſplicet tanquam deſtitutum textu Juris & ſufficienti ratione, maximè cùm experiamur etiam alia negotia graviſſima in aulis Regum & Congregationibus Eccleſiaſticis noctu per vota optimè tractari.

Dixi: *Regulariter non poſſunt fieri noctu:* ſi enim gravis urgeret cauſa, non video cur electio tunc facta non ſubſiſtat, vel ſit illicita? Dummodò adſint tria vel ſufficientia luminaria, ne in dandis ſuffragiis, vel conſcribendis ſchedis committatur aliquid contra ſacros Canones, vel alia fraus irrepat. Eſt autem cauſa gravis, urgens, & neceſſaria; ſi per diem major pars Capituli non fuerit concors, & ſequenti die poteſtas eligendi devolvatur ad Superiorem: vel ſi ſit periculum, ne congregatio diſſolvatur: vel ſi timeantur literæ, aut aliæ commiſſiones, aut incurſiones, quæ poſſent eligentium libertati præjudicare, aut quid ſimile. ita Donatus *in prax. Regular. tom. 2. p. 1. tr. 3. q. 7.*

Dub. 2. *An Electiones poſſint inſtitui die Feſto?*

℟. Poſſunt: Ratio: Electio annumeratur actibus

pietatis; atqui actus pietatis non prohibentur diebus Feſtis, *cap. Conqueſtus. ult. de feriis*, ergo nec Electiones.

Dub. 3. *Quid faciendum, ſi die electionis præfixo Superior negligat congregare Capitulum?*

℟. Si major pars Eligentium à Superiore vel ejus Vicario congregationem petierit, & iſte renuerit, poteſt Senior ex Electoribus poſt tertium vel quartum diem congregare Capitulum, & validè ad electionem procedere; Quòd ſi & iſte noluerit, poteſt id facere ſubſequens, & ſic ſucceſſivè uſque ad noviſſimum. Debent tamen ſemper attendi ante omnia cujuſvis Ordinis vel Capituli Conſtitutiones.

Dub. 4. *An dies Electionis ſemel determinatus poſſit prolongari vel breviari?*

℟. 1. Si dies præfixus ſit adhuc infra trimeſtre à Jure communi præſcriptum poteſt de conſenſu duarum partium vel ſaltem majoris partis Capituli, & cum juſta cauſa *prolongari* uſque ad terminum à Jure præfixum, non ultra. Ratio: Major pars Capituli poteſt cum cauſa aliquid capitulariter ſancitum immutare; ergo etiam iſtum diem.

Quòd autem non poſſit prolongare ultra trimeſtre eſt ratio, quia iſtud tempus eſt ſtatutum à jure communi cum clauſula irritante vel translativa poteſtatis in Superiores, ut eſt expreſſum *cap. ne pro defectu. 41. h. t.* atqui nullum Capitulum vel Congregatio particularis poteſt aliquid ſtatuere contra jus commune. Ergo.

Quòd ſi die ſemel concorditer ſtatutâ, poſteà Electores intra terminum à jure præfixum diſcordent

dent pari numero, ut aliqui velint pergere die deſignatâ, alii prorogare: ſi ſtantes diei deſignatæ eligant Prælatum, & citaverint eos, qui voluerunt prolongare, tenet electio primorum. Ratio: prorogatio termini ad eligendum deſignati non poteſt fieri, niſi à duabus partibus, vel ſaltem majori parte Capituli, & cum cauſa: quando autem utrimque ſunt numero pares, nec duæ partes, nec major pars concurrit. Ita Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 2. tr. 9. cap. 2. Sect. 2. n. 77.*

℟. 2. Poteſt etiam terminus præfixus *coarctari* cum conſenſu majoris partis Capituli, & interveniente juſtâ causâ, ita ut anticipetur uno vel altero die, dummodò ad illum diem omnes legitimè vocati adeſſe potuerint, ſi voluiſſent: Unde ſi unus fortè, aut alter ſit abſens, debet ſibi imputare. Ad hoc tamen requiritur cauſa valdè urgens. Donatus ſupra *tract. 3. q. 6.*

Electoribus omnibus vel ex majori parte invitis extra caſum neceſſitatis nullus Superior, niſi ſolus Papa poteſt trimeſtre reſtringere: quia nullus alius poteſt privilegium à Jure vel Pontificibus conceſſum tollere, *arg. Cap. Indultum. 17. de R. J. in 6.*

Dub. 5. *Intra quod tempus electio ſit abſolvenda?*

℟. Intra trimeſtre, quod debet computari à die, quo vacatio Eccleſiæ innotuit, per textum expreſſum *cap. ne pro defectu. 41. h. t.* ita tamen, ut dies, quo innotuit, non debeat ſimul computari: Quia dies termini non computatur in termino: concordat *c. quia diverſitatem de conceſſ. præbend.*

Eſt hoc tempus utile hoc ſenſu, ut legitimè impeditis

peditis non currat, & poſſit ob legitimum impedimentum ultra trimeſtre prolongari. Deſumitur *ex cap. ne pro defectu. 41. h. t.* ibi: *Intra quos* (ſcil. tres menſes) *juſto impedimento ceſſante, ſi electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi poteſtate careant eâ vice.* Ex quo à contrario ſenſu infertur, quòd ceſſante legitimo impedimento tempus trimeſtre debeat computari de momento in momentum, in favorem Eccleſiarum, & odium negligentium Electorum. Vide infra *Sect. 2. q. 24.*

Dub. 6. *An ſi Electores infra trimeſtre fecerint actus aliquos electionis, vel ad electionem pertinentes, ſed electionem ipſam non perfecerint abſque juſto impedimento, an inquam poſſint in electione cœpta progredi?*

℟. Negativè, ſed jus ab ipſis devolvitur ad Superiorem; quia Jura ſimpliciter dicunt, quòd elapſo die electioni de jure præſtituto non poſſit ampliùs Capitulum eligere. Ita habet *Clem.* 1. *Exivi. circa fin. §. cœterùm ſi Capitulum. de V.S.* Prætereà *L. unus. 27. §. ſi cum reo.* 1. *ff. de pactis.* dicitur: *Si cum reo ad certum tempus pactio facta ſit, ultra neque reo, neque fidejuſſori prodeſt.* Ergo ſignum eſt, quòd tempore à jure vel pactis aut conventione præfixo, ſemel elapſo, non poſſit ampliùs actus factus prodeſſe.

Dub. 7. *An electione caſſata poſſint Electores ex integro frui ſuo trimeſtri?*

℟. Si non ſunt aliunde facti inhabiles ad eligendum vel privati voce activâ, ex jure communi trimeſtri poſſunt frui toties, quoties electio caſſatur.

tur. Colligitur *ex cap. cum terra.* 14. *h. t.* Ratio: imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum. *cap.* 41. *de R. J. in 6.* atqui per Electores non ſtat, quòd electio ſortiatur ſuum effectum, ut ſupponitur: ergo. Dixi: *ex Jure communi*, nam aliud vi Concordatorum Germaniæ §. 1. obtinet.

Dub. 8. *An trimeſtre ſit præfixum pro omnibus Electionibus?*

℞. Negativè, ſed ſolùm pro Prælatis Eccleſiarum Cathedralium vel Regularium, utpote quæ ſolæ exprimuntur in *d. cap. ne pro defectu.* 41. *h. t.* Hinc in aliis Prælatis quarumcunque Eccleſiarum vel dignitatum & quibuſvis beneficiis Eccleſiaſticis datur Semeſtre, *juxta cap.* 2. *de conceſſ. præbendæ.* ita Wagnereck *in d. cap. ne pro defectu. v. ultra tres menſes*: ubi inter has Eccleſias & dignitates refert diſparitatem, quòd Prælati aliarum Eccleſiarum & beneficiati, jure communi non habeant juriſdictionem in Clericos, ſed ea competat Epiſcopo, hinc minùs periculi ſubeſt, ſi diutiùs in eis duret vacatio: Regulares quoque Prælati tam exempti, quàm non exempti, ſunt veri Paſtores, cùm habeant juriſdictionem ordinariam in ſuos, ſaltem, quoad regularia ſtatuta & diſciplinam. ita ille. Aliqui tamen *d. cap. Ne pro defectu.* probabiliter extendunt etiam ad illos Collegiatarum Eccleſiarum Prælatos, qui ordinariam & generalem juriſdictionem in Clericos ſuæ Eccleſiæ jure ſpeciali exercent, eò quòd in iſtis ſit identitas rationis cum Prælatis Regularibus & Epiſcopis. Unde etiam tales quodammodò (licet non tam rigorosè

Digitized by Google

ſicut Epiſcopi) dicuntur ſponſi ſuarum Eccleſiarum, *cap. ſicut unaquaque XXI. q. 2.*

Dub. 9. *Quinam actus ad Electionem ſpectantes ante mortem Prælati ſint prohibiti?*

℞. Omnes, qui ſpectant ad tractatum definitorium, de Succeſſore eligendo. Tales actus ſunt, quando Electores concludunt de perſona eligenda, quando deſignant locum vel tempus electionis, quando citant abſentes &c. Colligitur *ex cap. 36. Bonæ memoriæ. h. t.* Porrò ſi citatio fuiſſet omiſſa ante mortem Epiſcopi vel Prælati, ſed modò poſt mortem ejuſdem perveniret ad electorem citatum adhuc maneret illegitima, quia in citatione conſideratur initium: illa enim eſt propriè citatio, quæ emanat à Judice, ſive eſt ipſum Decretum de citando: intimatio verò citationis eſt factum nuncii, & mera executio illius Decreti. Wagnereck *in d. cap. Bonæ memoriæ. in fine.*

Dub. 10. *Quomodò tres menſes pro terminanda electione ſint computandi?*

℞. Hoſtienſis *in cap. Licet. de ſuppl. negl. Prælat.* voluit, unicuiqoe menſi attribuendos eſſe dies triginta unum; Alii cum Sanchez *Lib. 2. de Matrim. diſp. 24. n. 15.* volunt eos eſſe ſumendos prout in Calendario occurrunt, ita ut ſi tempus vacaturæ innotuerit, & conſequenter tempus præfixum inchoëtur primâ Januarii, duret uſque ad primam Aprilis incluſivè, & ſi annus bis ſextilis tunc occurrerit, dies intercalaris ſimul ſit connumerandus.

Sunt quoque iſti menſes computandi de momento ad momenrum, ita ut ſi notitia vacaturæ inceperit primâ Jan. horâ duodecimâ meridianâ inchoan-

inchoante, trimeſtre finiatur prima Aprilis hora undecima terminante. Ita Garcias, Paſſerinus &c. Verùm alii volunt diem termini non computari in termino.

Debent quoque in computandis iſtis menſibus ſubtrahi dies inutiles ſive impediti, quibus Electores fuerant impediti, quominùs ad electionem procederent, nam hoc trimeſtre debet eſſe utile, adeoque impeditis tempus non currit: ſive impedimentum occurrat in principio, ſive in medio, ſive in fine trimeſtris. Hinc ſi v. g. Electores habuerint lites vel controverſias ante electionem neceſſariò terminandas, quibus inſinuant. v. g. Septimanas quinque, aut pro impetranda abſolutione ab excommunicatione impendantur ſeptimanæ tres, illi trimeſtri ſuperaddendæ ſunt ſeptimanæ quinque vel tres: quòd enim dies pro excommunicatione tollenda habeantur pro diebus juſti, & involuntarii impedimenti colligitur *ex cap. quia diverſitatem. de conceſſ. præbendæ.*

Si impedimentum hoc eſſet ex ſe perpetuum, ſed tamen aufferibile ſaltem per alios ad inſtantiam impeditorum, non currit tempus trimeſtris, niſi poſtquam impedimentum eſt ſublatum, vel poſtquàm inceperunt eſſe culpabiles in mora, & commiſerunt negligentiam, *d. cap. quia diverſitatem.* Et hoc procedit etiam in caſu, quo impedimentum culpabiliter eſt contractum, qualis eſſe poteſt v. g. excommunicatio, *d. cap. quia diverſitatem.*

Si Electores impedimentum poſſint, non tamen debeant tollere, tempus non currit. Caſus eſſe poteſt, quòd Superior præceperit, ne Electores ad

ad Electionem procedant, niſi ipſe juſſerit, vel admonuerit: tunc enim, etſi Electores poſſint ſupplicando petere mandatum de electione inſtituenda, ad hoc tamen non tenentur. Secùs eſt, ſi Superior ſolùm ordinaverit, ne electio inſtituatur ſine petita licentia, hæc enim licentia poteſt & debet peti.

Onus probandi, quòd adfuerit impedimentum, quod adhibitâ diligentiâ ab Electoribus non potuit removeri, incumbit ipſis Electoribus. Leurenius *Fori Benefic. tom. 2. q. 329.*

Dub. 11. *An ſi ultimâ die temporis ad electionem conceſſi major pars Capituli nolit eligere, teneatur minor pars majorem exſpectare uſque poſt prandium iſtius diei? An verò poſſit ſtatim ad electionem progredi?*

℞. Quod major pars legitimè vocata, ſi contumaciter emaneat, non poſſit præjudicare minori parti, ſed jus eligendi ad hanc, imò etiam ad unicum comparentem devolvatur, non eſt diſputandum: quia per contumaciam abſentium non poteſt auferri jus præſentium.

Quòd etiam electio per ſe loquendo poſſit haberi poſt prandium, & ſi convocatio ſit facta ad horas pomeridianas, non poſſit minor pars velle Electionem inchoare manè, etiam facilè conceditur: Quæ enim repugnantia in tali convocatione? aut ubi minor pars hoc jus procedendi contra majorem partem fundabit?

Si convocatio ſit facta pro hora antemeridiana & major pars manè planè non venerit, minor pars non tenetur exſpectare ultra horam antemeridia-

nam

nam ſolitam, in qua ſecundùm jura & conſuetudines laudabiles electio eſt habenda. Tales abſentes enim cenſentur renunciare ſuo juri, & pro tunc non velle intereſſe.

Si major pars venerit manè ad Capitulum, ſed negàverit ſe pro tunc velle eligere, aut recedendo dixerit, ſibi eſſe animum modò poſt prandium eligendi; debet minor pars exſpectare, quia tempus eligendi non exſpirat manè, adeoque in hoc puncto ſtandum eſt judicio majoris partis, & dilatio facienda ad terminum ipſo jure adhuc conceſſum. Si recedendo abſolutè dicerent, ſe nolle eligere, & nihil exprimerent de reditu pomeridiano, debet adhuc exſpectari: quia talis receſſus ad ſummum indicat pro nunc non adeſſe animum eligendi: non verò declarat abſolutam renunciationem vocis activæ etiam pro futuro tempore per jus adhuc conceſſo. Quòd verò major pars recedendo poſſit actum capitularem cœptum diſſolvere, ut minor pars teneatur ſe conformare patet *ex q. 6. §. 2. dub. 13.*

Si ergo major pars adhuc velit, debet exſpectari poſt prandium uſque ad ultimam horam, quâ adhuc eſt commoditas de die eligendi. Ad noctem verò, utpote tempus incongruum & conſuetudini contrarium, minor pars non tenetur præſtolari.

QUÆSTIO XIX.

Quando Electio ſit Electo præſentanda?

℟. Quamprimùm commodè fieri poterit, *cap. quam*

quam ſit 8.*h.t.in* 6. Poſt hanc intimationem & conſenſum præſtitum debet electus infra menſem petere confirmationem *cap.Cupientes.* 16.*eod.in* 6. Sed cùm teſte Wagnereck *in d.cap.Cupientes.* extra Germaniam Sedes Apoſtolica ſibi reſervârit proviſiones Epiſcoporum; Et in Germania idem *cap.Cupientes.* in electionibus Eccleſiarum Cathedralium, imò & Regularium non fuerit uſu receptum, aut ſaltem ſit legitimâ præſcriptione abrogatum (excepto tempore petendæ Confirmationis ob quam cauſam hoc Capitulum in Concordatis Germaniæ à Nicolao V. allegatur) hinc non adeò nervoſè per omnia probat. Vide *q.* 6. §. 12. *dub.* 9.

Dub. *An ſufficiat electionem præſentâſſe Procuratori Electi?*

℞. Sufficit præſentâſſe illam Procuratori ad hoc *ſpecialiter* inſtituto: ſi enim in aliis negotiis, imò etiam in electione activa Procuratorem inſtituere liceat, quidni idem licebit in Electione paſſiva? Si verò Procuratori *Generali* habenti ſolum procuratorium *generale* præſentatio fiat, non ſufficit, niſi ubi Electus ipſe infra tempus debitum præſentationem ratificaverit: quia iſte conſenſus vel acceptatio Electionis accenſetur juribus ſpecialibus, quæ quis non facilê aliis cenſetur committere, niſi ubi ſpecialiter id exprimit. *arg.cap.*81.*de R.J.in* 6.

QUÆSTIO XX.

Quid juris, ſi reperiantur electiones duæ factæ in eadem Eccleſia vacante?

Poteſt

Digitized by Google

Poteſt caſus iſte contingere facilè v. g. ſi in prima Electione fuerit commiſſus defectus ſubſtantialis, aut aliquis Electorum fuerit contemptus, atque ſic Electores ad ſecundam electionem tranſeant, ut ſic defectum ſuppleant.

Poteſt 2. contingere, ut in ſecundâ electione eligatur vel perſona eadem, quæ in primâ fuit electa, vel diverſa; Exemplum vidimus in Monaſterio S. Florini Ordinis S. Benedicti in Schönavia Diœceſis Trevirenſis, in quo poſt obitum Reverendiſſimi Domini Jodoci Sommer, 6. Januarii 1699. piè defuncti decimâ quintâ ejuſdem menſis inſtitutâ electione proclamatus fuit tanquam electus Beda Kipp. ejuſdem Ordinis, ſed alterius Monaſterii, ſcil. Seligenſtadii profeſſus: At Conventualibus reclamantibus ex multis capitibus, decimo nono Martii ejuſdem Anni inſtituta eſt nova electio, & proclamatus Matthias Mertes Monaſterii Schönavienſis profeſſus: quorum uterque poſteà jus ſuum proſecutus eſt longo tempore, ut patet ex vindiciis publicè impreſſis, poſteriore manutenentiam obtinente. His poſitis,

℞. 1. Si in ſecunda electione eligatur eadem perſona, adeoque unus diverſis electionibus ſit electus bis, non poteſt is ambas electiones proſequi ſimul, petendo indeterminatè confirmationem alterutrius illarum, per quam poſſit conſequi intentionis ſuæ effectum, ne ſcil. in incertum vagetur: Hinc debet unam ex illis eligere, & ex eadem tantùm petere confirmationem: poſtquam verò unam ſemel aſſumpſit & proſecutus eſt, ad alteram ampliùs redire non poteſt: imò aſſumendo vel

proſe-

proſequendo unam, alteri ipſo facto renunciare cenſetur. Sunt omnia expreſſa *cap. Ut quis duas. 25. h. t. in 6.*

Nec obſtat, quòd juxta *cap.* 10. *de R. J. in 6.* nemo pluribus uti defenſionibus prohibeatur: & ideò ſi quis in eodem beneficio duas obtinuiſſet Collationes, vel Inſtitutiones, utramque valeat proſequi juxta communem D. D. (quidquid ſit de duabus præſentationibus, quas idem ab eodem ad idem beneficium obtinuit, de quo adhuc DD. dubitant, an utramque proſequi poſſit) ergo etiam duabus electionibus diverſis proclamatus ad eandem dignitatem poterit utramque Electionem proſequi. Nam ℞. Dicta Juris Regula, ſi applicetur ad cauſas beneficiales procedit ſolùm, quando agitur de Jure jam quæſito, & obtento retinendo; non quando agitur de Jure in beneficio modò acquirendo: in quo caſu Jura exigunt titulum certum & determinatum, & non permittunt quaſi in incerto & per duas vias vagari: Et hinc patet diſparitas inter proſequentem Collationes vel Inſtitutiones de ſua perſona in beneficio factas, & inter petentem confirmationem, quòd prior agat de Jure per Inſtitutionem vel Collationem jam acquiſito vel obtento retinendo: poſterior verò agat de Jure in dignitate per Confirmationem modò acquirendo.

℞. 2. Si ſit electa perſona diverſa, poteſt uterque electus proſequi jus ſuum, quia per electionem probabiliter validam, etiam uterque conſecutus eſt jus probabile: proſequi autem licet omnibus jura ſua. Si alterutra electio ſit evidenter nulla,

non

non poteſt electus ratione illius inſtituere proceſſum, quia aliàs legitimè electum vexaret injuſtè.

℞. 3. Si electio prior non ſit ipſo jure nulla, eſto ſit annullanda, ſecunda facta ante actualem annullationem prioris eſt ipſo jure nulla. Ratio: per primam electionem, eo ipſo, quòd ſit valida, initum eſt matrimonium ſpirituale inter Electum & Eccleſiam, ad quam eſt electus, *cap cùm inter Canonicas*, 21. *h.t.* atqui durante matrimonio valido non poteſt alius Sponſus adſciſci: ergo, vide etiam *cap.* 35. *bonæ Memoriæ. it.* 2. *eod.*

QUÆSTIO XXI.

Quid juris ſi concurrat electio inſtituta à Capitulo, & proviſio facta à Superiore?

Poteſt hypotheſis vel caſus contingere: 1. quòd electio facta ſit, poſtquàm jus providendi devolutum eſt ad Superiorem: 2. quòd Pontifex providerit alicui Eccleſiæ, Electoribus neſcientibus, vel non curantibus. 3. Poteſt evenire, ut per utramque vel eadem vel diverſa perſona aſſumatur.

℞. 1. Si aſſumatur perſona eadem, non poteſt illa proſequi utramque ſcil. tam electionem quàm proviſionem, ſed debet alterutram eligere, ut dictum *q. præced.* Ratio eſt ibidem dicta, ne in incertum vagetur. Et hoc ipſum videtur inſinuare Gloſſa *in d. cap. Ut quis duas.* 25. *h. t. in* 6.

℞. 2. Si aſſumatur perſona diverſa, & mittatur à Pontifice, debet attendi, an ad ipſum fuerit devoluta poteſtas providendi, nec ne? ſi fuerit

devoluta, debet utique perſona à Pontifice aſſumpta præferri. Si non fuerit devoluta, non præſumitur velle præjudicare ordinariis Electoribus, idque vigore Concordatorum Germaniæ, in quibus §. 2. *Item placet*. concedit Nicolaus V. inclytæ Nationi Germaniæ.

Primò, ut in Metropolitanis & Cathedralibus Germaniæ Eccleſiis, etiam immediatè Pontifici non ſubjectis: & in Monaſteriis immediatè illi ſubjectis fiant electiones Canonicæ, quæ intra tempus *per cap. Cupientes.* 16. *de Elect. in* 6. præfinitum ſcil. intra menſem Romam deferantur.

Secundò, ſi non fuerint Pontifici præſentatæ, aut ſi præſentatæ deprehendantur non fuiſſe Canonicæ, Pontifex Eccleſiis vult providere; ſi autem fuerint Canonicæ, velit confirmare, niſi ex evidenti cauſa de utiliori perſona duxerit providendum.

Tertiò: In Monaſteriis dictæ Sedi immediatè non ſubjectis, & aliis Regularibus beneficiis, pro quorum confirmatione aut proviſione ad Papam recurri non ſolet, electi ſeu proviſi Romam venire non tenentur, nec beneficia regularia, conſequenter multò minùs dignitates Regularium ſub gratiis exſpectativis cadant.

Quartò: In Monaſteriis autem, pro quibus Romam recurri ſolet, Pontifex electos aut proviſos non aliter vult confirmare aut providere, quàm de Cathedralibus Eccleſiis eſt expreſſum.

Quintò: De Monaſteriis Monialium non vult diſponere, niſi ſint exempta, & tunc per commiſſionem ad partes, ut ſcil. non teneantur perſonaliter Romam recurrere. Hucuſ-

Digitized by Google

Hucuſque Concordata Germaniæ, ex quibus colligere licet, quando cenſeatur ad Pontificem devolvi poteſtas providendi Eccleſiis viduatis, dummodò addas dicenda infra *q. 34.*

℞. 3. Si perſona alia ſit electa, & alia aſſumpta vel proviſa à Superiore, ad quem creditur poteſtas providendi devoluta, poteſt utraque perſona proſequi jus ſuum, quando non eſt evidens, quòd ab Electoribus ſit ablata poteſtas; ſequitur *ex q. præced.* ℞. 2.

Dub. *Sed uter in dubio hujus & quæſtionis præcedentis eſt præferendus?*

℞. Si alter eorum ſit in poſſeſſione, eſt ille præferendus; Si neuter, poterit Sacra Sedes Apoſtolica ad componendas lites, & providendum bono Eccleſiæ viduatæ determinare. Poteſt etiam ob oculos haberi regula illa, *cap. ſi fortè. 36. diſt. 63.* comprehenſa: *Si fortè, quod nec irreprehenſibile, nec irreligioſum judicamus, vota eligentium in duas ſe diviſerint partes, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus ſtudiis juvatur & meritis.* Cenſetur autem *majoribus ſtudiis* juvari, ad quem ſubditorum affectus magis inclinat.

QUÆSTIO XXII.

Quale jus tribuat Electio nondum confirmata?

℞. Tribuit jus *ad rem*, non *in re*. Colligitur *ex cap. qualiter. & cap. avaritiæ. 5. h. t. in 6.* Poteſt tamen Electus vi hujus juris *ad rem* abſque vitio ambitionis officium Judicis implorare ad obtinen-

pietatis; atqui actus pietatis non prohibentur diebus Feſtis, *cap. Conqueſtus. ult. de feriis*, ergo nec Electiones.

Dub. 3. *Quid faciendum, ſi die electionis præfixo Superior negligat congregare Capitulum?*

℞. Si major pars Eligentium à Superiore vel ejus Vicario congregationem petierit, & iſte renuerit, poteſt Senior ex Electoribus poſt tertium vel quartum diem congregare Capitulum, & validè ad electionem procedere: Quòd ſi & iſte noluerit, poteſt id facere ſubſequens, & ſic ſucceſſivè uſque ad noviſſimum. Debent tamen ſemper attendi ante omnia cujuſvis Ordinis vel Capituli Conſtitutiones.

Dub. 4. *An dies Electionis ſemel determinatus poſſit prolongari vel breviari?*

℞. 1. Si dies præfixus ſit adhuc infra trimeſtre à jure communi præſcriptum poteſt de conſenſu duarum partium vel ſaltem majoris partis Capituli, & cum juſta cauſa *prolongari* uſque ad terminum à Jure præfixum, non ultra. Ratio; Major pars Capituli poteſt cum cauſa aliquid capitulariter ſancitum immutare; ergo etiam iſtum diem.

Quòd autem non poſſit prolongare ultra trimeſtre eſt ratio, quia iſtud tempus eſt ſtatutum à jure communi cum clauſula irritante vel translativa poteſtatis in Superiores, ut eſt expreſſum *cap. ne pro defectu. 41. h. t.* atqui nullum Capitulum vel Congregatio particularis poteſt aliquid ſtatuere contra jus commune. Ergo.

Quòd ſi die ſemel concorditer ſtatutâ, poſteà Electores intra terminum à jure præfixum diſcordent

dent pari numero, ut aliqui velint pergere die deſignatâ, alii prorogare: ſi ſtantes diei deſignatæ eligant Prælatum, & citaverint eos, qui voluerunt prolongare, tenet electio primorum. Ratio: prorogatio termini ad eligendum deſignati non poteſt fieri, niſi à duabus partibus, vel ſaltem majori parte Capituli, & cum cauſa: quando autem utrimque ſunt numero pares, nec duæ partes, nec major pars concurrit. Ita Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 2. tr. 9. cap. 2. Sect. 2. n. 77.*

℟. 2. Poteſt etiam terminus præfixus *coarctari* cum conſenſu majoris partis Capituli, & interveniente juſtâ causâ, ita ut anticipetur uno vel altero die, dummodò ad illum diem omnes legitimè vocati adeſſe potuerint, ſi voluiſſent: Unde ſi unus fortè, aut alter ſit abſens, debet ſibi imputare. Ad hoc tamen requiritur cauſa valdè urgens. Donatus ſupra *tract. 3. q. 6.*

Electoribus omnibus vel ex majori parte invitis extra caſum neceſſitatis nullus Superior, niſi ſolus Papa poteſt trimeſtre reſtringere: quia nullus alius poteſt privilegium à Jure vel Pontificibus conceſſum tollere, *arg. Cap. Indultum. 17. de R. J. in 6.*

Dub. 5. *Intra quod tempus electio ſit abſolvenda?*

℟. Intra trimeſtre, quod debet computari à die, quo vacatio Eccleſiæ innotuit, per textum expreſſum *cap. ne pro defectu. 41. h. t.* ita tamen, ut dies, quo innotuit, non debeat ſimul computari: Quia dies termini non computatur in termino: concordat *c. quia diverſitatem de conceſſ. præbend.*

Eſt hoc tempus utile hoc ſenſu, ut legitimè impeditis

 peditis

peditis non currat, & poſſit ob legitimum impedimentum ultra trimeſtre prolongari. Deſumitur ex *cap. ne pro defectu. 41. h. t.* ibi: *Intra quos* (ſcil. tres menſes) *juſto impedimento ceſſante, ſi electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi poteſtate careant eâ vice.* Ex quo à contrario ſenſu infertur, quòd ceſſante legitimo impedimento tempus trimeſtre debeat computari de momento in momentum, in favorem Eccleſiarum, & odium negligentium Electorum. Vide infra *Sect. 2. q. 24.*

Dub. 6. *An ſi Electores infra trimeſtre fecerint actus aliquos electionis, vel ad electionem pertinentes, ſed electionem ipſam non perfecerint abſque juſto impedimento, an inquam poſſint in electione cœpta progredi?*

℞. Negativè, ſed jus ab ipſis devolvitur ad Superiorem; quia Jura ſimpliciter dicunt, quòd elapſo die electioni de jure præſtituto non poſſit ampliùs Capitulum eligere. Ita habet *Clem. 1. Exivi. circa fin. §. cœterùm ſi Capitulum. de V. S.* Prætereà *L. unus. 27. §. ſi cum reo. 1. ff. de pactis.* dicitur: *Si cum reo ad certum tempus pactio facta ſit, ultra neque reo, neque fidejuſſori prodeſt.* Ergo ſignum eſt, quòd tempore à jure vel pactis aut conventione præfixo, ſemel elapſo, non poſſit ampliùs actus factus prodeſſe.

Dub. 7. *An electione caſſata poſſint Electores ex integro frui ſuo trimeſtri?*

℞. Si non ſunt aliunde facti inhabiles ad eligendum vel privati voce activâ, ex jure communi trimeſtri poſſunt frui toties, quoties electio caſſatur.

tur. Colligitur *ex cap. cum terra.* 14. *h. t.* Ratio: imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum. *cap.* 41. *de R. J. in 6.* atqui per Electores non ſtat, quòd electio ſortiatur ſuum effectum, ut ſupponitur: ergo. Dixi: *ex Jure communi*, nam aliud vi Concordatorum Germaniæ §. 1. obtinet.

Dub. 8. *An trimeſtre ſit præfixum pro omnibus Electionibus?*

℞. Negativè, ſed ſolùm pro Prælatis Eccleſiarum Cathedralium vel Regularium, utpote quæ ſolæ exprimuntur in *d. cap. ne pro defectu.* 41. *h. t.* Hinc in aliis Prælatis quarumcunque Eccleſiarum vel dignitatum & quibuſvis beneficiis Eccleſiaſticis datur Semeſtre, *juxta cap.* 2. *de conceſſ. præbendæ.* ita Wagnereck *in d. cap. ne pro defectu. v. ultra tres menſes*: ubi inter has Eccleſias & dignitates refert diſparitatem, quòd Prælati aliarum Eccleſiarum & beneficiati, jure communi non habeant juriſdictionem in Clericos, ſed ea competat Epiſcopo, hinc minùs periculi ſubeſt, ſi diutiùs in eis duret vacatio: Regulares quoque Prælati tam exempti, quâm non exempti, ſunt veri Paſtores, cùm habeant juriſdictionem ordinariam in ſuos, ſaltem, quoad regularia ſtatuta & diſciplinam. ita ille. Aliqui tàmen *d. cap. Ne pro defectu.* probabiliter extendunt etiam ad illos Collegiatarum Eccleſiarum Prælatos, qui ordinariam & generalem juriſdictionem in Clericos ſuæ Eccleſiæ jure ſpeciali exercent. eò quòd in iſtis ſit identitas rationis cum Prælatis Regularibus & Epiſcopis. Unde etiam tales quodammodò (licet non tam rigorosè

ſicut Epiſcopi) dicuntur ſponſi ſuarum Eccleſiarum, *cap. ſicut unaquæque XXI. q. 2.*

Dub. 9. *Quinam actus ad Electionem ſpectantes ante mortem Prælati ſint prohibiti?*

℟. Omnes, qui ſpectant ad tractatum definitorium, de Succeſſore eligendo. Tales actus ſunt, quando Electores concludunt de perſona eligenda, quando deſignant locum vel tempus electionis, quando citant abſentes &c. Colligitur *ex cap. 36. Bonæ memoriæ. h. t.* Porrò ſi citatio fuiſſet omiſſa ante mortem Epiſcopi vel Prælati, ſed modò poſt mortem ejuſdem perveniret ad electorem citatum adhuc maneret illegitima, quia in citatione conſideratur initium: illa enim eſt propriè citatio, quæ emanat à Judice, ſive eſt ipſum Decretum de citando: intimatio verò citationis eſt factum nuncii, & mera executio illius Decreti. Wagnereck *in d. cap. Bonæ memoriæ. in fine.*

Dub. 10. *Quomodò tres menſes pro terminanda electione ſint computandi?*

℟. Hoſtienſis *in cap. Licet. de ſuppl. negl. Prælat.* voluit, unicuiqoe menſi attribuendos eſſe dies triginta unum; Alii cum Sanchez *Lib. 2. de Matrim. diſp. 24. n. 15*, volunt eos eſſe ſumendos prout in Calendario occurrunt, ita ut ſi tempus vacaturæ innotuerit, & conſequenter tempus præfixum inchoëtur primâ Januarii, duret uſque ad primam Aprilis incluſivè, & ſi annus bis ſextilis tunc occurrerit, dies intercalaris ſimul ſit connumerandus.

Sunt quoque iſti menſes computandi de momento ad momenrum, ita ut ſi notitia vacaturæ inceperit primâ Jan. horâ duodecimâ meridianâ inchoan-

Digitized by Google

Inchoante, trimeſtre finiatur prima Aprilis hora undecima terminante. Ita Garcias, Paſſerinus &c. Verùm alii volunt diem termini non computari in termino.

Debent quoque in computandis iſtis menſibus ſubtrahi dies inutiles ſive impediti, quibus Electores fuerant impediti, quominùs ad electionem procederent, nam hoc trimeſtre debet eſſe utile, adeoque impeditis tempus non currit: ſive impedimentum occurrat in principio, ſive in medio, ſive in fine trimeſtris. Hinc ſi v. g. Electores habuerint lites vel controverſias ante electionem neceſſariò terminandas, quibus inſinuant. v. g. Septimanas quinque, aut pro impetranda abſolutione ab excommunicatione impendantur ſeptimanæ tres, illi trimeſtri superaddendæ ſunt ſeptimanæ quinquè vel tres: quòd enim dies pro excommunicatione tollenda habeantur pro diebus juſti, & involuntarii impedimenti colligitur *ex cap. quia diverſitatem. de conceſſ. prabenda.*

Si impedimentum hoc eſſet ex ſe perpetuum, ſed tamen aufferibile ſaltem per alios ad inſtantiam impeditorum, non currit tempus trimeſtris, niſi poſtquam impedimentum eſt ſublatum, vel poſtquàm inceperunt eſſe culpabiles in mora, & commiſerunt negligentiam, *d. cap. quia diverſitatem.* Et hoc procedit etiam in caſu, quo impedimentum culpabiliter eſt contractum, qualis eſſe poteſt v. g. excommunicatio, *d. cap. quia diverſitatem.*

Si Electores impedimentum poſſint, non tamen debeant tollere, tempus non currit. Caſus eſſe poteſt, quòd Superior præceperit, ne Electores

ad

ad Electionem procedant, niſi ipſe juſſerit, vel admonuerit: tunc enim, etſi Electores poſſint ſupplicando petere mandatum de electione inſtituenda, ad hoc tamen non tenentur. Secùs eſt, ſi Superior ſolùm ordinaverit, ne electio inſtituatur ſine petita licentia, hæc enim licentia poteſt & debet peti.

Onus probandi, quòd adfuerit impedimentum, quod adhibitâ diligentiâ ab Electoribus non potuit removeri, incumbit ipſis Electoribus. Leurenius *Fori Benefic. tom. 2. q. 329.*

Dub. 11. *An ſi ultimâ die temporis ad electionem concesſi major pars Capituli nolit eligere, teneatur minor pars majorem exſpectare uſque poſt prandium iſtius diei? An verò poſſit ſtatim ad electionem progredi?*

℞. Quod major pars legitimè vocata, ſi contumaciter emaneat, non poſſit præjudicare minori parti, ſed jus eligendi ad hanc, imò etiam ad unicum comparentem devolvatur, non eſt diſputandum: quia per contumaciam abſentium non poteſt auferri jus præſentium.

Quòd etiam electio per ſe loquendo poſſit haberi poſt prandium, & ſi convocatio ſit facta ad horas pomeridianas, non poſſit minor pars velle Electionem inchoare manè, etiam facilè conceditur: Quæ enim repugnantia in tali convocatione? aut ubi minor pars hoc jus procedendi contra majorem partem fundabit?

Si convocatio ſit facta pro hora antemeridiana & major pars manè planè non venerit, minor pars non tenetur exſpectare ultra horam antemeridianam

nam ſolitam, in qua ſecundùm jura & conſuetudines laudabiles electio eſt habenda. Tales abſentes enim cenſentur renunciare ſuo juri, & pro tunc non velle intereſſe.

Si major pars venerit manè ad Capitulum, ſed negaverit ſe pro tunc velle eligere, aut recedendo dixerit, ſibi eſſe animum modò poſt prandium eligendi; debet minor pars exſpectare, quia tempus eligendi non exſpirat manè, adeoque in hoc puncto ſtandum eſt judicio majoris partis, & dilatio facienda ad terminum ipſo jure adhuc conceſſum. Si recedendo abſolutè dicerent, ſe nolle eligere, & nihil exprimerent de reditu pomeridiano, debet adhuc exſpectari: quia talis receſſus ad ſummum indicat pro nunc non adeſſe animum eligendi: non verò declarat abſolutam renunciationem vocis activæ etiam pro futuro tempore per jus adhuc conceſſo. Quòd verò major pars recedendo poſſit actum capitularem cœptum diſſolvere, ut minor pars teneatur ſe conformare patet *ex q.* 6. §. 2. *dub.* 13.

Si ergo major pars adhuc velit, debet exſpectari poſt prandium uſque ad ultimam horam, quâ adhuc eſt commmoditas de die eligendi. Ad noctem verò, utpote tempus incongruum & conſuetudini contrarium, minor pars non tenetur præſtolari.

QUÆSTIO XIX.

Quando Electio ſit Electo præſentanda?

℞. Quamprimùm commodè fieri poterit, *cap.*

quàm

quam ſit 8.*h.t.in* 6. Poſt hanc intimationem & conſenſum præſtitum debet electus infra menſem petere confirmationem *cap.Cupientes.* 16.*eod.in* 6. Sed cùm teſte Wagnereck *in d.cap.Cupientes.* extra Germaniam Sedes Apoſtolica ſibi reſervârit proviſiones Epiſcoporum; Et in Germania idem *cap.Cupientes.* in electionibus Eccleſiarum Cathedralium, imò & Regularium non fuerit uſu receptum, aut ſaltem ſit legitimâ præſcriptione abrogatum (excepto tempore petendæ Confirmationis ob quam cauſam hoc Capitulum in Concordatis Germaniæ à Nicolao V. allegatur) hinc non adeò nervosè per omnia probat. Vide *q.* 6. §. 12. *dub.* 9.

Dub. *An ſufficiat electionem præſentâſſe Procuratori Electi?*

℟. Sufficit præſentâſſe illam Procuratori ad hoc *ſpecialiter* inſtituto: ſi enim in aliis negotiis, imò etiam in electione activa Procuratorem inſtituere liceat, quidni idem licebit in Electione paſſiva? Si verò Procuratori *Generali* habenti ſolum procuratorium *generale* præſentatio fiat, non ſufficit, niſi ubi Electus ipſe infra tempus debitum præſentationem ratificaverit: quia iſte conſenſus vel acceptatio Electionis accenſetur juribus ſpecialibus, quæ quis non facilè aliis cenſetur committere, niſi ubi ſpecialiter id exprimit. *arg.cap.*81.*de R.J.in* 6.

QUÆSTIO XX.

Quid juris, ſi reperiantur electiones duæ factæ in eadem Eccleſia vacante?

Poteſt

Digitized by Google

Poteſt caſus iſte contingere facilè v. g. ſi in prima Electione fuerit commiſſus defectus ſubſtantialis, aut aliquis Electorum fuerit contemptus, atque ſic Electores ad ſecundam electionem tranſeant, ut ſic defectum ſuppleant.

Poteſt 2. contingere, ut in ſecundâ electione eligatur vel perſona eadem, quæ in primâ fuit electa, vel diverſa; Exemplum vidimus in Monaſterio S. Florini Ordinis S. Benedicti in Schönavia Diœceſis Trevirenſis, in quo poſt obitum Reverendiſſimi Domini Jodoci Sommer, 6. Januarii 1699. piè defuncti decimâ quintâ ejuſdem menſis institutâ electione proclamatus fuit tanquam electus Beda Kipp. ejuſdem Ordinis, ſed alterius Monaſterii, ſcil. Seligenſtadii profeſſus: At Conventualibus reclamantibus ex multis capitibus, decimo nono Martii ejuſdem Anni inſtituta eſt nova electio, & proclamatus Matthias Mertes Monaſterii Schönavienſis profeſſus: quorum uterque poſteà jus ſuum proſecutus eſt longo tempore, ut patet ex vindiciis publicè impreſſis, poſteriore manutenentiam obtinente. His poſitis,

℞. 1. Si in ſecunda electione eligatur eadem perſona, adeoque unus diverſis electionibus ſit electus bis, non poteſt is ambas electiones proſequi ſimul, petendo indeterminatè confirmationem alterutrius illarum, per quam poſſit conſequi intentionis ſuæ effectum, ne ſcil. in incertum vagetur: Hinc debet unam ex illis eligere, & ex eadem tantùm petere confirmationem: poſtquam verò unam ſemel aſſumpſit & proſecutus eſt, ad alteram ampliùs redire non poteſt: imò aſſumendo vel proſe-

proſequendo unam, alteri ipſo facto renunciare cenſetur. Sunt omnia expreſſa *cap. Ut quis duas. 25. h. t. in 6.*

Nec obſtat, quòd juxta *cap.* 10. *de R. J. in 6.* nemo pluribus uti defenſionibus prohibeatur: & ideò ſi quis in eodem beneficio duas obtinuiſſet Collationes, vel Inſtitutiones, utramque valeat proſequi juxta communem D. D. (quidquid ſit de duabus præſentationibus, quas idem ab eodem ad idem beneficium obtinuit, de quo adhuc DD. dubitant, an utramque proſequi poſſit) ergo etiam duabus electionibus diverſis proclamatus ad eandem dignitatem poterit utramque Electionem proſequi, Nam ℞. Dicta Juris Regula, ſi applicetur ad cauſas beneficiales procedit ſolùm, quando agitur de Jure jam quæſito, & obtento retinendo; non quando agitur de Jure in beneficio modò acquirendo: in quo caſu Jura exigunt titulum certum & determinatum, & non permittunt quaſi in incerto & per duas vias vagari: Et hinc patet diſparitas inter proſequentem Collationes vel Inſtitutiones de ſua perſona in beneficio factas, & inter petentem confirmationem, quòd prior agat de Jure per Inſtitutionem vel Collationem jam acquiſito vel obtento retinendo: poſterior verò agat de Jure in dignitate per Confirmationem modò acquirendo.

℞. 2. Si ſit electa perſona diverſa, poteſt uterque electus proſequi jus ſuum, quia per electionem probabiliter validam, etiam uterque conſecutus eſt jus probabile: proſequi autem licet omnibus jura ſua. Si alterutra electio ſit evidenter nulla,

non

Digitized by Google

non poteſt electus ratione illius inſtituere proceſſum, quia aliàs legitimè electum vexaret injuſtè.

℞. 3. Si electio prior non ſit ipſo jure nulla, eſto ſit annullanda, ſecunda facta ante actualem annullationem prioris eſt ipſo jure nulla. Ratio: per primam electionem, eo ipſo, quòd ſit valida, initum eſt matrimonium ſpirituale inter Electum & Eccleſiam, ad quam eſt electus, *cap cùm inter Canonicas*, 21. *h.t.* atqui durante matrimonio valido non poteſt alius Sponſus adſciſci: ergo, vide etiam *cap.* 35. *bonæ Memoriæ. it.* 2. *eod.*

QUÆSTIO XXI.

Quid juris ſi concurrat electio inſtituta à Capitulo, & proviſio facta à Superiore?

Poteſt hypotheſis vel caſus contingere: 1. quòd electio facta ſit, poſtquàm jus providendi devolutum eſt ad Superiorem: 2. quòd Pontifex providerit alicui Eccleſiæ, Electoribus neſcientibus, vel non curantibus. 3. Poteſt evenire, ut per utramque vel eadem vel diverſa perſona aſſumatur.

℞. 1. Si aſſumatur perſona eadem, non poteſt illa proſequi utramque ſcil. tam electionem quàm proviſionem, ſed debet alterutram eligere, ut dictum *q. præced.* Ratio eſt ibidem dicta, ne in incertum vagetur. Et hoc ipſum videtur inſinuare Gloſſa *in d. cap. Ut quis duas.* 25. *h. t. in* 6.

℞. 2. Si aſſumatur perſona diverſa, & mittatur à Pontifice, debet attendi, àn ad ipſum fuerit devoluta poteſtas providendi, nec ne? ſi fuerit

Hucuſque Concordata Germaniæ, ex quibus colligere licet, quando cenſeatur ad Pontificem devolvi poteſtas providendi Eccleſiis viduatis, dummodò addas dicenda infra *q.* 34.

℞. 3. Si perſona alia ſit electa, & alia aſſumpta vel proviſa à Superiore, ad quem creditur poteſtas providendi devoluta, poteſt utraque perſona proſequi jus ſuum, quando non eſt evidens, quòd ab Electoribus ſit ablata poteſtas; ſequitur *ex q. præced.* ℞. 2.

Dub. *Sed uter in dubio hujus & quæſtionis præcedentis eſt præferendus?*

℞. Si alter eorum ſit in poſſeſſione, eſt ille præferendus; Si neuter, poterit Sacra Sedes Apoſtolica ad componendas lites, & providendum bono Eccleſiæ viduatæ determinare. Poteſt etiam ob oculos haberi regula illa, *cap. ſi fortè.* 36. *diſt.* 63. comprehenſa: *Si fortè, quod nec irreprehenſibile, nec irreligioſum judicamus, vota eligentium in duas ſe diviſerint partes, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus ſtudiis juvatur & meritis.* Cenſetur autem *majoribus ſtudiis* juvari, ad quem ſubditorum affectus magìs inclinat.

QUÆSTIO XXII.

Quale jus tribuat Electio nondum confirmata?

℞. Tribuit jus *ad rem*, non *in re.* Colligitur *ex cap. qualiter.* & *cap. avaritiæ.* 5. *h. t. in* 6. Poteſt tamen Electus vi hujus juris *ad rem* abſque vitio ambitionis officium Judicis implorare ad obtinen-

dam confirmationem: niſi fortè alicubi in aliquo ordine Religioſo eſſet in poteſtate Superioris altioris pro libita rejicere vel confirmare electionem: tunc enim electus haberet quidem jus contra tertium, ne ſe impediat, non tamen contra Superiorem, ut eum poſſit aſtringere ad confirmationem impertiendam. Debet ergo tunc ſupplicàre, ne rejiciatur. Adde, quòd in Electionibus ordinariis Electus ipſe non ſolùm in perſona propria inſtare poſſit pro confirmatione obtinenda, ſed etiam ad id conſtituere Procuratorem, qui debet eſſe de numero Eligentium, *cap. Cupientes.* 16. §. *ſi verò h. t. in 6.*

Pro ulteriori datæ Reſponſionis declaratione, obſerva: Hoc jus, quod juxta nos Electo competens eſt ſolùm *ad rem*, juxta Fagnanum *in cap. cùm vos. n.* 41. *de Offic. ordinar.* & nonnullos alios eſt Jus *in re*, qui proinde conſequenter docent, quòd Electio nondum acceptata tribuat Jus ad rem, acceptata verò Jus in re, & per Confirmationem nihil novi Juris conferatur.

Verùm noſtra reſponſio videtur eſſe communior & veriſimilior. I. quia *cap. ſuper his.* 16. *de accuſationibus.* dicitur, quòd ſi crimen objiciatur electo ante Confirmationem, crimen hoc modo objectum probatum impediat *promovendum*, ſed non dejiciat jam *promotum*; poſt Confirmationem verò dejiciat ab *obtento:* ergo ante Confirmationem non poteſt habuiſſe jus in re, aliàs debuiſſet dici, quòd etiam jam fuerit *promotus*, & dejiciatur à benficio *obtento.* II. Quia ante habitam confirmationem Electus poteſt abſque Superioris con-

conſenſu Prælaturam in manibus Eligentium reſignare, *cap. ſi electio. 26. de Elect. in 6.* ergo non potuit habuiſſe pro tunc jus in re ad Prælaturam: nam alioqui etiam reciprocè Eccleſia haberet Jus quæſitum reſpectu Electi, ut iſte non poſſit liberè ab Eccleſia recedere. III. *Cap. Licet de Translat. Epiſc.* Electio comparatur matrimonio initiato (quod fit per Sponſalia de futuro) ſed iſta Sponſalia de futuro tribuunt tantùm jus ad rem, & non in re: ergo & Electio tribuet tantùm jus ad rem, & non in re.

Nec dic 1. Adminiſtratio Eccleſiæ non competit, niſi illi, qui habet jus in re: ſed Electus etiam ante Confirmationem habet adminiſtrationem ſuæ Eccleſiæ, *cap. Nihil eſt.* 44. *de Elect.* ergo. ℞. Major eſt vera ſolùm de adminiſtratione quæ competit alicui abſque diſpenſatione, & ex jure ordinario, non de illâ, quæ competit alicui merè diſpenſativè, & ex Jure extraordinario. Sic licèt Vicarius vel Coadjutor temporalis habeat aliquam Eccleſiæ adminiſtrationem, non tamen facilè dicetur illum habere Jus in re ad illam Eccleſiam regendam: quia nimirum tota adminiſtratio, quam exercet, competit illi tantùm vel diſpenſativè vel delegativè. Minor univerſaliter non eſt vera, imò per ſe Electus ante ſuam Confirmationem nullam habet adminiſtrationem ſuæ Eccleſiæ, ut dicetur *Sect. 4. q. 4.* Unde *d. cap. Nihil eſt*, non tribuitur omnibus electis poteſtas adminiſtrandi. Sed ſolum valde remotis & ultra Italiam conſtitutis, & quidem tantùm diſpenſativè propter neceſſitates Eccleſiarum & utilitates ut patet ex textu.

Nec dic 2. per Confirmationem non acquiritur Jus, ſed ſolùm confirmatur jus olim acquiſitum, *cap. cùm dilecta. 4. de Confirmat. utili vel inutili.* ergo cùm Electus acquirat jus in dignitate, ad quam eligitur, debebit hoc acquirere per ipſam electionem. ℞. Antecedens non eſt univerſaliter verum, ut in ſpecie de caſu electionis patet ex Juribus allegatis. Habet ergo locum in Confirmatione vel Innovatione Inſtrumentorum, aut literarum aliquod privilegium continentium, ut patet ex ipſo textu *d. cap. Cùm dilecta.*

Nec dic 3. Publicato Scrutinio Electores non poſſunt variare, *cap. publicato. 58. de Elect.* ergo ſignum eſt quòd Electus jam acquiſierit jus in re. ℞. N. conſeq. Diſparitas eſt, quòd pro caſu Antecedentis ſtet Jus clarum, ita quidem, ut probati DD. cum Fagnano *in d. cap. publicato. n. 7. & 10.* velint hoc fuiſſe Pontifici arbitrarium, adeoque ſi voluiſſet, potuiſſet pariter inhibere variationem ante Scrutinii publicationem; & congruentia, cur Pontifex hanc variationem publicato Scrutinio prohibuerit, eſt quòd hâc publicatione factâ variatio cederet in quandam ignominiam vel infamiam electi primi, cujus nomen jam publicatum erat. At pro Conſequenti, quòd Electus ante Confirmationem jam acquiſierit jus in re, non ſolùm Jus claris terminis non ſtat, ſed potiùs reſiſtit, ut patet ex dictis.

Nihilominus hoc *Jus ad rem* Electo competens tantæ eſt efficaciæ, ut vi illius Electus habeat Jus petendi Confirmationem tanquam ſibi debitam; & ſi hæc ipſi abſque cauſa legitima denegetur, poteſt

poteſt eam viâ Juris petere actione inſtitutâ, *cap. poſtquàm. 3. h. t.* adeoque ſi is, cui aliàs Jus confirmandi competit, altiorem habeat Superiorem, poteſt Electus apud hunc inſtare, ut Confirmationem denegans aut ſuſpendens vel compellatur, vel ipſi terminus præfigatur, cum comminatione, quòd aliàs altior Superior Jure devolutionis Confirmationem eſſet collaturus.

Excipitur Pontifex, qui de plenitudine poteſtatis Confirmationem denegare poteſt, *arg. cap. In memoriam. diſt.* 19. & *cap. per principalem. diſt.* 9. & ſi ſubſit cauſa confirmationem denegandi, etiam in Germania non obſtantibus, imò potiùs faventibus *Concordatis Germaniæ.* denegari poterit: ſic enim in illis Concordatis §. *Item placet:* habetur: *Electiones, ſi Canonicæ fuerint, confirmabimus, niſi ex rationabili & evidenti cauſa de digniore & utiliore perſona duxerimus providendum.* Ita ibi. Vide infra *Sect.* 4. *q.* 22.

Præter Jus ad dignitatem, quod vi Electionis acquirit, habet Electus etiam hoc, quòd ejus beneficia non vacent ante Confirmationem. 2. Quòd Electo mortuo ante Confirmationem, non per hujus, ſed per prioris Prælati mortem vacet Dignitas. 3. Quòd Electus etiam abſque Superioris conſenſu valeat renunciare, teſte Gl. *in cap. ſi Electio. de Elect. in 6.*

Ex noſtra reſponſione ſequitur, quòd Electus ante Confirmationem nequidem in actu primo vel in habitu habeat Jus adminiſtrandi, ut juxta principia hìc data communiùs DD. inferunt contra ſequaces primæ ſententiæ, qui ex hoc principio,

Digitized by Google

quòd Electus per Confirmationem nihil novi Juris acquirat, conſequenter volunt, quòd idem Electus ante Confirmationem poteſtatem adminiſtrandi in habitu, ſive quo ad actum primum, non item in exercitio & quoad actum ſecundum habeat.

QUÆSTIO XXIII.

Quid de votis alternativis incertis, conditionatis vel datis per verba de futuro ſentiendum?

Votum alternativum cenſetur eſſe, ſi quis dicat vel ſcribat: *Eligo Hieronymum aut Gregorium.* Incertum: *Eligo, quem voluerit Bertholdus:* Conditionatum: *Eligo Ambroſium, ſi major pars Capituli in illum conſenſerit.*

℞. 1. Votum alternativum, aut disjunctivum v. g. *Eligo Antonium vel Bertholdum:* eſt nullum: quia electio debet terminari ad unam perſonam, & non poſſunt eidem Eccleſiæ ſimul duo præfici, ergò Electores debent ſolùm unam perſonam nominare: aliàs votum poſſet annumerari incertis. Idem patet ex *c. in Electionibus. de Elect. in 6.*

℞. 2. Vota incerta, quæ mentem Electoris non ſatis exprimunt, ſunt nulla, v. g. Si quis dicat: *Eligo, quem Titius, vel major pars elegerit:* Sic etiam juxta *cap. perpetuò. de poſtulat. in* 6. Electio vel poſtulatio eſt irrita, ſi fiat ſub talibus formis, *Eligo poſtulando,* & *poſtulo eligendo.* Vel: *Eligo poſtulandum,* & *poſtulo eligendum* &c. Vide *p. 2. infra q.* 1. & *d. cap. In Electionibus.*

℞. 3. Vota data per verba, quæ electionem modò

dò futuram indicant, ſunt nulla: quia electio actualis, debet eſſe actualis nominatio & conſenſus in perſonam electam: at verba de futuro indicant electionem eſſe modò futuram, non actu fieri. Hinc in rigore iſta vota non valent: *Volo eligere*, aut: *volo conſentire.* Sed in præſenti deberet dici: *Eligo hunc, conſentio in iſtum, nomino talem*, &c.

℞. 4. Vota conditionata ſub conditione contingente de futuro ſunt invalida: quia talis conditio ſuſpendit conſenſum, & impedit, ne iſte de præſenti ſit determinatus, & certus, qualis tamen exigitur; Hinc vota ſunt invalida (juxta communiorem contra Garciam) ſi quis dicat: *Eligo Sempronium, ſi beneficium primò dimiſerit*, aut: *Si Papæ placuerit*, &c.

Quod ſi conditio ſit de futuro neceſſario, vel de facto impoſſibili, aut abſurdo, tales conditiones habebuntur pro non adjectis, ut patet ex principiis generalibus de conditionibus appoſitis *cap.* 1. & *cap. 7 de condit. appoſ. in deſponſat. vel in aliis contractibus*, adeoque talia vota non ſunt ex hoc principio irritâ. Quod ſi conditio ſit de præterito, vel præſenti, ſive conditio de jure inſit actui, ſive non, ſi hæc adſit, votum valet, ſi abſit, non valet: quia talià vota reipsâ, & propriè non ſunt conditionalia, ſed potiùs abſoluta. Si tamen ante Confirmationem ſciri non poſſit, an conditio ſubſit, vel non, votum habendum eſt pro inutili.

Notat Wagnereck *in d.c. In Electionibus* pro votis conditionalibus nullis habenda eſſe, ſi quis dicat: *Eligo Titium, ſi dignus eſt: ſi legitimus eſt: ſi debito tempore ſe fecerit ordinari, vel conſecrari*; imò,

 ſi tan-

ſi tantùm dicatur: *Eligo Andream, ſi Prælatura vacet*; licet enim talis conditio actum non ſuſpendat, per *L. cum ad præſens ff. de rebus creditis, ſi certum petatur, & de conditione*, Ex conceptu tamen ſuo importat quandam incertitudinem, & indiget cognitione cauſæ, ideoque annullat votum.

Notat 2. Votum non eſſe nullum, ſi quis uno contextu dicat: *Eligo talem N. ad dignitatem vacantem per mortem vel reſignationem, vel privationem aut depoſitionem Præceſſoris*. Litèt enim particula *vel*, ſonet aliquam incertitudinem ex parte modi, quo dignitas vacârit, quia tamen vacatio in ſe eſt certa, hinc tale votum quoad electionem & perſonam eligendam debet ſimpliciter dici certum & determinatum.

Notat 3. *d. cap. In Electionib. de Elect. in 6.* non habere locum in *Nominationibus*, in quibus bene poſſunt nominari alternativè duo vel tres, ſupplicando Superiori, ut de aliquo horum provideat. Idem docet de *præſentationibus* factis à Patronis, ex *Clem. fin. de jure patron.*

Notat. 4. Quod Eligentes votis hìc deſcriptis ſolùm eâ vice nihil faciant, non autem ita priventur voce activâ, ut ſi electio alia nova inſtituatur, non poſſint coëligere; quia nullibi hebetur talis privatio punitiva in jure expreſſa.

Obſerva. Qui dat votum incertum, inutile, atque invalidum, cenſetur pro hac vice ſuæ voci renunciâſſe: Unde in computu vel collatione votorum iſta vota ſunt ſubtrahenda: & is, qui poſteà ex votis validis habet majora, ſive ultra medietatem, eſt Electus, v. g. ſi Capitulum conſtaret Vo-

calibus

Digitized by Google

calibus quindecim: dum, ſi omnes ritè vota ſua darent, electus deberet habere vota octo. Si autem tres darent vota invalida, ſufficit, quod electus habeat ſeptem *cap. in electionibus 2. de elect. in 6.* An verò hoc emolumento fruatur etiam is ipſe, qui votum inutile dedit, controvertitur.

In Electionibus Regularium non videtur, quomodo dans votum inutile poſſit dici efficaciter privatus hoc emolumento, vel voce paſſivâ: in iſtis enim obſtrictius ſecretum non poteſt ſciri, quiſnam votum inutile dederit. Magis conſtat, quòd hoc emolumento non debeat dici privatus, qui ſine fraude, & dolo, ex ignorantia & ſimplicitate dedit ſuffragium inutile: quia non debet eſſe in pœna, quia non fuit in culpa: ſiquidem pœnarum inventarum ratio eſt emendatio delinquentium. *Cap. placuit* §. *fin. XXI. q. 2.* & *c. Eſt injuſta* §. *fin. XXIII. q. 4.* Si quis verò ſcienter hoc fecerit, fructum ſuæ inobedientiæ & fraudis reportare non debet, aliàs ejus votum reipſâ non fuiſſet ipſi inutile. Imò talis dicitur ſimpliciter privari voce paſſivâ pro hâc vice, niſi fructuoſam ante novum ſcrutinium agat pœnitentiam, ut habent DD. in *d. cap. in Electionibus.*

QUÆSTIO XXIV.

An & quomodò Regulares vel alii Electores poſſint ſe opponere, ſeu appellare ab Electione ſuorum Prælatorum?

℞. De hoc vide *q. 6.* §. 12. *dub.* 5. Hic reſolutio dubiorum adhuc venit apponenda.

Dubium

Dubium 1. *Quiſnam poſſit aliquid opponere Electioni?*

℞. 1. Si Electio facta ſit in diſcordia, quivis habentium vocem activam vel paſſivam poteſt proſequi jus ſuum, & appellare: nullibi enim reperitur prohibitio. Secus eſt, ſi electio facta ſit in concordia vide *cit. dub.* 5. ℞. 3.

℞. 2. Si opponatur aliquid principaliter pro defenſione Eccleſiæ; quilibet poteſt opponere, etſi non ſit de gremio. Ratio: cuilibet licet defendere Eccleſias, vel cauſas pias: unde etiam actiones pro Eccleſiis vel cauſis piis dicuntur eſſe *populares*, hoc eſt, quæ cuilibet de populo poſſunt competere, teſte Ludovico Engel. *in trac. de privil. & Juribus Monaſt. privil.* 28.

℞. 3. Si non agatur principaliter cauſa E-cleſiæ, non admittuntur ad opponendum, niſi ii, quorum pro privato jure intereſt, v.g. Canonici, vel alii habentes jus vocis activæ vel paſſivæ. In beneficiis curatis maximè Epiſcopalibus eſt ſpeciale, quòd Curia Romana quemvis Clericum de Diœceſi vel civitate admittat, contra electum Epiſcopum, ſive ille Clericus ſit ibi tantùm oriundus, & alibi beneficiatus. Wagnereck *in cap. ut circa. h. t. in* 6.

Dub. 2. *An Electores poſſint ſe electioni opponere, ſi Electus ſit poſitivè dignus, ſed habeat ſe digniorem.*

℞. De jure communi non poſſunt, etſi Electores juràſſent ſe electuros digniorem. Pellizarius *Tom.* 2. *Trac.* 9. *cap.* 2. *ſect.* 2. *n.* 106. Ne aperiatur via litibus cum perturbatione Monaſterii vel Ordinis. Colligitur *ex cap.* 46, *conſtitutis. il.* 2. *de Appellat:* ubi ſtatuitur, quod contra electum vel confirmatum,

tum, non admittatur *regulariter* exceptio vel appellatio maximè fruſtratoria ad impediendum Electionis vel Confirmationis effectum.

Dub. 3. *Quando Electores debeant opponere, ſi quæ opponenda occurrant?*

℞. 1. Si quid velint opponere contra *electionem* & infra octiduum electionem non præſentârint electis aut perſonas inſtructas ad Superiores non miſerint cauſâ reclamandi, cùm tamen adfuerit opportunitas id faciendi, privantur jure reclamandi, vel ſaltem poſſunt eo privari, *cap. Cupientes* 16. *h.t. in* 6.

℞. 2. Opponenda contra Electionis *confirmationem* debent proponi intra decendium à confirmatione data. Ratio: Confirmatio obtinet vim ſententiæ, ut colligitur *ex cap. fin. h.t. in* 6. atqui ſententia, ſi per ſilentium decendiale ſit homologata, ſive ab ea intra decem dies non ſit appellatum, nec contra eam exceptum, tranſit in rem judicatam, ut expòſt reclamans non audiatur, Auctore Vallenſi *in lib.* 2. *Decret tit. de Appellat.* §. 7. *n.* 2. *ex Auth. Hodiè c. de appellat. cap. quod ad conſultationem.* 15. *de ſentent. & re judic. cap. cùm Dilectus* §. *fin. de Elect. ergo.* Ergo. Quin etiam idem videtur ſatis expreſſum *cap. concertatione.* 8. *de Appellat. in* 6. Plura de appellatione à Confirmatione Electionis *vide Sect.* 4. *q.* 27.

Dub. 4. *An ad opponendum poſſit conſtitui Procurator?*

℞. Poteſt conſtitui: is autem debet in ſuo procuratorio omnia ſingulariter & clarè habere expreſſa, quæ ſunt opponenda: debetque habere

man-

mandatum ſpeciale jurandi in animas ſuorum principalium, quorum exiſtit Procurator, quòd ipſi credant, opponenda eſſe vera, & ſe ea poſſe probare. Ita expreſſè *cap. Procurator.* 38. *h. t. in* 6. Probabiliùs tamen non requiritur juramentum in animam propriam Procuratoris, quia nullibi id exprimitur.

QUÆSTIO XXV.

An Electio contra prohibitionem ſuperioris celebrata ſit valida?

℟. Si electus ſit dignus, & electio ſit veſtita omnibus à jure requiſitis conditionibus, neque Superior prohibendo apponat clauſulam irritantem electio valet: multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, *Cap. Ad Apoſtolicam.* 16. *de Regulis:*

QUÆSTIO XXVI.

In quibus caſibus Regulares amittant vocem activam & paſſivam?

℟. 1. Si Romam eant absque licentia Generalis vel Protectoris Ordinis inſcriptis obtenta, & hæc pœna per ſe durat ad biennium, eſtque interdicta Superioribus ſingulis, etiam Provinciali, imò & Generali facultas moderandi ac relaxandi. Eandem pœnam incurrunt, qui dictos Religioſos admittunt aut excipiunt. Clemens VIII. in decreto. Pro Reformatione Regularium edito 20. *Martii.* 1601. § 39. 40. & 60.

Ab

Ab hac pœna excuſatur, qui injuſtè gravatus ſine licentia recurrit Romam: quia conſtitutio dicta requirit *præſumptionem*: quæ non ſubeſt ſtante gravamine injuſto.

Facultatem dandi dictam licentiam hodiè ex declaratione S. Congregationis habent Provinciales, & conſequenter etiam alii inſtructi æquali poteſtate cum Provincialibus v. g. Viſitatores, definitores &c.

℞. 2. Amittunt vocem activam & paſſivam biennio, qui bona tam im-quàm mobilia cujuſcunque qualitatis, quovis modo acquiſita, tanquam propria poſſident.

Idem eſt de Superioribus, qui bona ſtabilia alicui Regulari ſubdito concedunt etiam tantùm ad uſumfructum, uſum, adminiſtrationem, aut commendam:

Denique qui permittunt vel retinent ſuperflua, aut ſuppellectilem ſtatui inconvenientem. *Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 2. de Regular.* Non eſt hæc pœna reſervata, nec incurrenda ante Judicis ſententiam.

℞. 3. Amittunt, qui violant interdictum in materia divinorum officiorum, *Cap.* 18. *Is qui* §. *Is verò de ſentent. excomm. in 6. ibi: Is verò, qui ſcienter in loco celebrat ſuppoſito interdicto (niſi ſuper hoc privilegiatus exiſtat, aut à jure ſit conceſſum eidem) irregularitatem incurrit: à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari, & adeò efficitur ineligibilis, quòd nec ad eligendum cum aliis debebit admitti.* Eſt ergo hæc pœna reſervata.

℞. 4

℞. 4. Amittit ſubornatus, & ſubornans ſci• ſubornatione malâ & vitioſâ in Electionibus• Pius V. *in Conſtit ſua ordioe* 128. Eſt autem ſubornatio mala, non illa tantùm, quâ quis ſimpliciter allegat rationes pro digno æquè ac indigno; nec qua quis ſimpliciter petit ſuffragium pro aliquo indigno vel minùs digno, ſed ſi tali petitioni ſuffragiorum annectantur perſuaſiones inſtantes, munera, preces importunæ, minæ &c.

Non videtur hæc conſtitutio apud omnes Regulares vigere in uſu quoad totum rigorem.

℞. 5. Amittunt Regulares, qui indebitè eligunt, nominant, vel deputant Conſervatores, ſeu electis nominatis, aut deputatis uti audent. Eſt hæa pœna reſervata Sedi Apoſtolicæ, & incurritur ipſo jure. Gregorius XV. *Die* 20. *Septembr.* 1621. §. 3. in qua Conſtitutione etiam habetur forma eligendi Conſervatores.

℞. 6. Amittunt Regulares, qui ad Dignitates vel Officia Ordinis eligunt Regularem ejuſdem Ordinis promotum in Epiſcopum, & poſt ſui conſecrationem, redeuntem ad Religionem. Eſt hæc pœna perpetua, non tamen reſervata. Paulus IV. *in Conſtitutione ſua ordine quarta.*

℞. 7. Amittunt Regulares, Reliquias Sanctorum ex aliqua crypta. Catacumba, vel Cœmeterio intra vel extra Urbem Romanam, etiam in minima particula extrahentes, vel ad id præſtantes auxilium aut favorem. Paulus V. *in Decreto edito per Vicarium Urbis.* 24. *Auguſti* 1613. apud

Leza-

Lezanam *in ſumma q' q. Regular. tom.* 4. *v. Reliquiæ. n.* 5. *&* 6. cujus rigor, ſi inſpiciatur, etiam videntur ſine licentia intrantes prædicta loca, illam privationem incurrere. Idem Papa poſteà per Breve quoddam cum clauſula derogatoria privilegiorum contrariorum ſub eadem privatione vocis activæ & paſſivæ in perpetuum, & exilii ab omni ſtatu Eccleſiæ Romanæ prohibuit Regularibus, ne fidem ullam, aut inſtrumentum, ſeu ſcripturam publicam vel privatam faciant extractionis, donationis, conſignationis, tranſlationis, aut alterius contractûs vel Scripturæ, ubi fiat mentio Reliquiarum, niſi cum licentia Vicarii Urbis. Eſt hæc pœna ſententiæ ſolùm ferendæ.

℞. 8. Amittunt Prælati, ſi non notificent Religioſis ſubditis revocationem oraculorum vivæ vocis. Urbanus VIII. *in Conſtit. ſua* 119. *relatâ. tom.* 4. *Bullarii.* Non eſt hæc pœna reſervata.

℞. 9. Amittunt Superiores indebitè ejicientes Regulares ab Ordine. Urbanus VIII. 5. *Januar.* 1636. Non eſt pœna reſervata.

℞. 10. Amittunt Superiores recipientes aliquem ad Religioſum habitum extra loca deſignata: Clemens VIII. Incurritur hæc pœna ipſo facto, non eſt tamen reſervata: Veruntamen receptio & profeſſio ſubſecuta irritantur.

℞. 11. Amittunt indebitè erigentes nova Monaſteria. Urbanus VIII. *in Conſtit. ſua.* 28. *incip. Sacra Congregatio.* §. 2. Non eſt hæc pœna reſervata.

℞. 12. Amittunt violantes Decretum Urbani VIII. *eâdem Conſtit.* 28. *die* 21. *Septemb.* 1624. *de*

Ejectis & Apoſtatis. Ubi ſancitur Apoſtatas & fugitivos ab Epiſcopis carcerandos, & eorum Superioribus conſignandos eſſe ab eiſdem puniendos, & etiam ab Ordinariis juxta Concil. Trident. *Seſſ. 6. cap. 3. de reform.* At ſi citra montes infra quatuor, ultra montes infra octo menſes à præſentis Decreti publicatione ſponte ad Religionem redierint, abſolutione petitâ recipi præcipiuntur.

Incorrigibiles tantùm prævio proceſſu à Religionibus ejici, ejectique notificari Ordinariis decernuntur, quorum juriſdictioni ſubſint, & in Clericali habitu incedant, quamdiu non redierint ad Religionem. Superioribus Religionum jubetur omne ſtudium adhibere, ut ſuorum Fratrum animas lucrentur; Expulſis literæ teſtimoniales non dentur, & ejecti ab Ordinum executione perpetuò ſint ſuſpenſi: Eſt hæc pœna reſervata, Superioribus etiam Generalibus & Protectoribus Ordinis illam moderandi ſeu relaxandi poteſtate penitùs interdictâ.

℞. 13. Amittunt Prælati, ſi inſtante Epiſcopo intra terminum ab Epiſcopo præfixum non puniant Regularem ſubditum extra clauſtra ſcandaloſè delinquentem, aut illum impunitum tranſmittant ad alia ſuorum Ordinum loca, extra Epiſcopi diœceſin. Et ab hac pœna à ſolo Romano Pontifice poteſt abſolutio exſpectari. Clemens VIII. *in Conſtit. ſua 39. incip.* Suſcepti muneris §. 3. *edita. 25. Februarii* 1596. *relata in Bullar. M. tom. 3.*

℞. 14. Amittunt, qui recipiunt onera perpetua Miſſarum celebrandarum abſque Generalis aut Provincialis licentia in ſcriptis obtenta; aut ſi Eleemoſy-

moſynas manuales acceptent pro Miſſis dicendis, nondum impletis ſimilibus oneribus anteà ſuſceptis; aut ſi non aufferant à propriis Eccleſiis capſulas cum inſcriptione *Eleemoſyna pro Miſſis.* Urbanus VIII. *in Decreto de celebrat. Miſſar.* ubi eandem pœnam injungit, ſi in termino præfixo non præſtiterint alia ibidem præſcripta quoad cognoſcendam quantitatem reddituum annuorum, aut Eleemoſynarum ad ſua Monaſteria pertinentium; vel ſi numerum Religioſorum augere præſumant contra formam ejuſdem Decreti, ac Conſtitutionis editæ à Paulo V. 1605. Hæc pœna non eſt reſervata.

℞. 15. Amittunt vocem activam & paſſivam appellantes à correctione proprii Superioris ad tribunalia ſæcularia, dummodò appellatio fiat in caſu non permiſſo. Clemens VIII. *in Conſtit. ſua.* 113. *incip.* Quoniam noſtro paſtorali. *edita* 23. *Nov.* 1604. *in favorem Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini*, quæ tanquàm favorabilis Ordinibus Religioſis per communicationem extenditur ad omnes Ordines. Eſt hæc pœna ſententiæ latæ abſque *alia Declaratione* incurrenda, non tamen reſervata.

Eandem pœnam incurrunt fautores & conſultores ad dictam appellationem, ſi tamen ſint ejuſdem Ordinis, non ſi ſint diverſi.

℞. 16. Amittunt, qui abſque licentia S. Congregationis Concilii extra caſus in jure permiſſos alienant de bonis Monaſteriorum immobilibus, aut mobilibus pretioſis, faciendo cenſus perpetuos ſeu vitalitios, hypothecam, locationem ultra triennium, Emphyteuſin, aut aliud pactum tranſlativum Do-

Digitized by Google

minii. Urbanus VIII. *tom. 4. Bullarii. Conſt. 51. incip.* Humanæ ſalutis, & S. Congregatio 7. Sept. 1624.

Eſt hæc pœna reſervata, quam etiam incurrunt Regulares ſine licentia recipientes pecunias ad Cambium, ad mutuum cum ſolutione lucri ceſſantis, & damni emergentis. Specialiter verò Regulares in Urbe Roma ejuſque diſtrictu exercentes negotiationem hac coërcentur pœnâ abſque alia Declaratione, non tamen cum reſervatione incurrendâ ut decidit S. Congregatio Viſitationis Apoſtolicæ. *die 29. Auguſt.* 1637. relata à Lezana *in ſumma qq. Regul. tom. 4. v. negotiatio quoad Regulares. n. 6.*

℞. 17. Amittunt Prælati Regulares, ſi cognoſcant cauſas ſuorum ſubditorum pertinentes ad Officium ſacræ Inquiſitionis, Paulus V. *in Conſtit. ſua. 26. incip.* Romanus Pontifex. §. *6. edita 5. Sept.* 1606. Non eſt hæc pœna reſervata, etſi ſimul annexa ſit excommunicatio reſervata.

℞. 18. Amittunt Regulares facientes inordinatè Largitiones munerum prohibitas. Clemens VIII. *in Conſtit. ſua. 26. de largitione munerum utriûſque ſexûs Regularibus interdictâ. incip.* Religioſæ Congregationes *edita 19. Junii* 1594. §. 8. Hæc pœna non eſt reſervata, eſt tamen abſque ullo Superioris miniſterio, vel Decreto incurrenda ipſo facto. Advertit nihilominus Lezana *in Summ. tom. 2. c. 19. n. 54.* quòd hæc Conſtitutio in aliquibus locis non ſit recepta quoad rigorem, quem verba ſonant.

℞. 19. Amittunt tam Superiores, quàm ſubditi, ſi contra formam Conſtitutionis Sixti V. *6. Calend. Nov.* 1587. *edita.* recipiant ad Novitiatum

vel

Digitized by Google

vel Profeſſionem, & quidem bis, ſi ad utrumque. Hæc tamen Conſtitutio quoad illegitimitatem fuit temperata à Gregorio XIV. *Conſtit. ſua.* 3. & quoad irritationem Profeſſionis taliter recepti, à Clemente VIII. *Conſtit. ſua.* 83. *incip.* In ſuprema. §. 3. *tom.* 3. *Bullar.* Nullibi fit mentio de reſervatione hujus pœnæ, dicitur tamen incurri *ipſo facto*.

℞. 20. Amittunt Superiores, qui ſuis ſubditis pro ſuſcipiendis Ordinibus dant dimiſſorias ad Epiſcopum alienum, Epiſcopo Diœceſano præſente, & Ordinationes conferre parato: Vel ſi de induſtria differant concesſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel abfuturus, vel nullas habiturus eſt Ordinationes: aut ſi in dimiſſoriis non exprimant cauſam abſentiæ Epiſcopi proprii, vel Ordinationis ab eo non habendæ. Ita docet Declaratio S. Congregationis juſſu Clementis VIII. *die* 15. *Martii.* 1596. edita. Secùs eſt, ſi Diœceſanus ſit præſens, ſed per alium habeat Ordinationes. Eſt hæc pœna reſervata, ſed ſolùm ſententiæ ferendæ.

℞. 21. Amittunt, qui Religioſos ſui Ordinis, ſed alterius Provinciæ, ignotos, aut ſine licentia ſui proprii Superioris, aut literis commendatitiis peregrinantes vel itinerantes ſuſcipiunt, etiamſi prætendant virtutem pietatis vel hoſpitalitatis. Sixtus V. 6 *Calend. Novembr.* 1587. Hæc pœna non eſt reſervata, & veroſimiliter non incurritur, niſi ab auctoritativè recipientibus, quales ſunt Superiores & alii, qui juſſu Prælati hoc munus exercent.

℞. 22. Amittunt, qui exercent mercaturam in Miſſionibus Japonicis & Indicis Orientalibus,

Digitized by Google

qui exercent Aſtrologiam Judiciariam contra Decretum Urbani VIII. qui ſine privilegio poſt Novitiatum non profitentur: qui permittunt, aut faciunt fœminas ingredi ſua Monaſteria. Gregorius XIII. *Conſtit. ſua.* 28.

℟. 23. Amittunt, qui ſine privilegio abſolvunt à Caſibus Bullæ Cœnæ tam clarè quàm dubiè contentis, aut iis, quæ Ordinarii ſibi reſervant, ſive ſint Caſus, ſive excommunicationes: ita S. Congregatio Epiſcoporum & Regularium de mandato ſpeciali Clementis VIII. *die* 9. *Januar.* 1601. declaravit, ut habetur *in Libello attitulato.* Bullæ & Decreta recentiora *pag.* 190. quod poſteà idem Clemens VIII. *die* 26. *Novembr.* 1602. per eandem Sacram Congregationem declarans temperavit, ut ſub eo velit comprehendi ſolos Caſus Bullæ Cœnæ, & adhuc quinque alios, ſcil. violationem immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Gregorii XIV. *Cùm aliàs.* Violationem Clauſtræ Monialium ad malum finem. Duellum ipſum in terminis Concilii Trident. & Conſtitutionis Gregorii XIII. *Ad tollendam.* Violentam manuum injectionem in Clericum juxta *cap. ſi quis ſuadente.* Simoniam realem ſcienter commiſſam & confidentialem; Denique Caſus Epiſcopales. De quo Decreto videre licet Pellizzarium *in Man. Regul. tom.* 1. *tr.* 6. *cap.* 1. *ſect.* 1. *à n.* 4. Eſt hæc pœna reſervata. Notat tamen P. Gobat *operum Moral. tom.* 1. *tr.* 7. *caſu* 20. *n.* 636. *append. lit.* c. dicens: *Ego cenſeo, non vivere è centum Religioſis Mendicantibus unum, qui aut legerit, aut lectam retinuerit in viva memoria*

ria declarationem ſeu exceptionem quinque caſuum: innuens per hoc iſtam declarationem & decretum quoad caſus contradiſtinctos à caſibus Bullæ cœnæ, Epiſcopalibus, non eſſe uſu receptam.

℞. 24. Amittunt vocem activam & paſſivam, qui imprimunt typis, vel in lucem edunt, aut publicant, etiam manuſcriptum tantùm, librum, tractatum, vel compoſitionem ex profeſſo, vel incidenter, ac prætextu commentandi in D. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, vel alio quovis prætextu aut modo, de materia auxiliorum divinorum, ſine expreſſa licentia à Papa in Congregatione ſacri officii obtinenda. Ita ſancit Decretum S. Congregationis juſſu Urbani VIII. editum 22. *Maji*. 1625.

De Manuſcriptis tamen de facto in uſu vix quidquam ſcrupulosè attenditur, cùm Profeſſores publicè in utramque partem dictent ſcripta de efficacia gratiæ & auxiliis divinis, ipſaque ſcripta circumferantur liberè abſque timore.

℞. 25. Amittunt Regulares indebitè ſcribentes differentes in publicis prædicationibus, aut aliò frequenti hominum conventu de Immaculata Conceptone B. MARIÆ Virginis. Paulus V. *In conſtit. ſua* 97 relata *Bullarii M. Tom*. 3. *incip. Regis pacifici. Edita* 6. *Julii*. 1616. §. 7. Eſt hæc pœna reſervata, incurrenda ipſo facto abſque alia declaratione. Idem Paulus V. *in Conſiſt. ſua* 105. *incip.* Sanctiſſimus. *Edita* 12. *Septembr*. 1617. Denuò ſpecialiter prohibuit, ne in actibus publicis aſſeratur Beatiſſimam Mariam Virginem in peccato Originali fuiſſe conceptam, innovans Conſtitutionem Sixti IV. & Pii V. cum pœnis & clauſulis derogitoriis.

℟. 26. Incurrunt etiam privationem vocis activæ & paſſivæ Regulares tranſeuntes de Ordine Mendicantium ad non Mendicantes, & pœnitentiati ab Officio S. Inquiſitionis. Sed de his vide *Sect.* 2. *q.* 7. *& Sect.* 3. 10. §. 10.

℟. 27. Eandem pœnam privationis vocis activæ incurruut ſcienter eligentes indignum, ita tamen, ut hæc pœna ſit pro proxima vice tantùm, *cap. Cùm in cunctis, & cap. cum Vintonienſis.* 25. *h.t.* Unde ſi in eadem Vacatura procederetur tribus vicibus ad novam electionem illi, qui primâ vice elegiſſent indignum, poſſent tertiâ vice iterum coëligere.

Eſt quidem injuncta privatio juris eligendi pro ea vice, ſi quis elegerit contra formam præſcriptam, *cap. cùm in Cunctis.* 7. *h. t.* in quo ſancitur, quòd electio ad Epiſcopatum fieri debeat de digno, ſcientiâ, moribus, & ætate, & qnòd habeat trigeſimum annum completum, & ſit de legitimo matrimonio natus: Indignitatibus verò & officiis intra Epiſcopatum, ac curatis beneficiis debeat aſſumendus attigiſſe annum vigeſimum quintum, & aliàs eſſe idoneus ſcientiâ & moribus. Sed teſte Wagnereck *in d. cap. cùm in cunctis in fine.* Reſtringitur hoc tantùm ad Epiſcopatus & dignitates Superiores, per *cap. ſi Commiſſarius* 37. *eod. in* 6. Unde non videtur extendendum ad Electiones Abbatum Regularium. Vide Pellizzar. *in Man. Regul. tom.* 2. *tr.* 7. *cap.* 6. *Sect.* 2. *& hìc* infra *Sect.* 2. *&* 3.

Obſerva: Privatus ipſo jure voce paſſivâ vel redditus inhabilis non poteſt ante ſententiam Criminis declaratoriam vi ab electione excludi, & im-

pe-

pediri, ne eligatur: quia adhuc eſt in poſſeſſione ſui juris & eligibilitatis, quâ per vim privari non poteſt, niſi ſervata juris & judicii forma ſit privatus voce, vel declaratus reus criminis per ſententiam talem, cujus effectus non ſit ſuſpenſus per appellationem, ſed quæ tranſierit in rem judicatam. Ita DD. communiter cum Leurenio *Fon. Benef. tom.* 2. *q.* 286. Quòd verò Electores pro arbitrio ſuo poſſint tali denegare ſuum votum, abſque tamen violenta ejuſdem expulſione, facillimè conceditur.

Nec dic. ſuperior etiam duntaxat extra judicialiter de Electi infamiâ informatus eundem à confirmatione poteſt repellere: ergo & Electores vel eorum Superiores poſſunt ex propria ſcientia vel arbitrio talem ab Electione excludere & præcipere Electoribus, ne talem eligant. ℞. N. conſeq. diſparitas eſt, quod confirmato non vero Electio ſit Superioris arbitrio commiſſa. Et licet Prælati Regulares in judicando non ſint aſtricti apicibus juris ſubſtantialia tamen ſervare debent, *Clem. ſæpe de V. S.*

QUÆSTIO XXVII.

An electio poſſit ſuſtineri facta cum defectu ſubſtantiali commiſſo ex ignorantia invincibili?

℞. Non poteſt ſuſtineri. Ratio: quòd talis electio irritetur, non eſt præcisè pœna: ergo non eſt ratio exigendi ſcientiam hujus Juris. Imò addit Samuellius *tr.* 1. *de Elect. Canon. Diſp.* 5. *controv.* 2. *n.* 28. Nequidem Epiſcopum poſſe diſpenſare, ut talis electio validetur, ſic declarante S. Congregatione

tione. Moniales tamen laborantes dictâ ignorantiâ non privantur jure eligendi, ignorantia juris excuſante mulieres. *L. Regula. ff. de Juris & facti ignorantia.* In maribus talis ignorantia juris invincibilis non præſumitur, adeoque ſi committant defectum contra formam *in cap. quia propter 42. h. t.* præſcriptam eligendi poteſtate, eâ vice meritò privantur, conformiter ad textum in eodem *cap. Quia propter.*

QUÆSTIO XXVIII.

An poſſit introduci conſuetudo contra formam ſubſtantialem Electionis præſcriptam in Canonibus?

℞. Non poteſt. Donatus Laynenſis. *Prax. Regul. tom. 2. p. 1. tr. 1. q. 11. n. 3.* Ratio: conſuetudo non habet locum contra decretum irritans actus contrarios, *arg. cap. 5. in fin. de Conſang. & Affinit. & cap. ſuper eo. 2. de Cognat. ſpirit.* atqui Concilium Trident. *ſeſſ. 25. de Regul. cap. 6. & cap. Quia propter 42. h. t.* Dum præſcribunt formam ſubſtantialem electionis, ſubnectunt clauſulam irritantem actus contra præſcriptam formam factos. Ergo. *Major. prob.* Ut conſuetudo vim habeat, tacitus conſenſus Legislatoris adſit, neceſſe eſt: atqui ubi intervenit decretum irritans actus contrarios, non præſumitur adeſſe conſenſus tacitus Legislatoris. Ergo. *Confir.* non valet pactum ſub modo & conditione, appoſitâ contra ſubſtantialia actûs, *cap. fin. de precario, L. cùm precario ff. de precar. L. per ſuum. ff. de uſu & habitat:* ubi decernitur

nitur, quòd non valeat, ſi quis leget uſum fructum ſine uſu: ergo nec conſuetudo valebit contra ſubſtantialia actûs.

Infer: non ſubſiſtere conſuetudinem præjudicantem libertati Electionis, per textum expreſſum *cap. cùm terra.* 14. *de Elect.* Et ratio eſt: tum quia libertas eſt de electionis ſubſtantia, ut dictum *q.* 6. §. 1. tum quia *cap.* 1. *de conſuet.* univerſim reprobatur conſuetudo, quæ Eccleſiis infert gravamen: ergò cum conſuetudo præjudicans libertati Electionum, inferat Eccleſiis gravamen, pariter eſt reprobata. Circa hoc ulteriùs

Nota: Clauſula *decreti irritantis* cenſetur eſſe tantæ efficaciæ in annullando contraria, ut enervet omninò vim quorumcunque actum contrariorum ſubſequentium & inobſervantiæ ſive non-uſûs, eſtque penetrabilior omni gladio ancipiti, juxta Rotam Romanam apud Manticam *deciſ.* 76. *n.* 4. & impedit cujuſcunque conſuetudinis contrariæ introductionem teſte Hojedâ: imò inſtar fulguris, quidquid invenit in oppoſitum, deſtruit, ut nullum juris effectum vel fomentum habeat; adeoque in beneficialibus cauſis ipſo jure inficit tam titulum, quàm poſſeſſionem proviſi, ita ut nequidem colorem tribuat in Judicio poſſeſſorio ſummariſſimo manutentionis, ſed etiam afficiat ignorantes. Colligitur *ex Cap. tibi qui* 12. §. *quin imò. junct. Gl. de Reſcriptis, cap. ſi eo tempore* 45. *de Elect. cap. dudum* 14. *de præbend. & cap.* 1. §. *adjiciebatur. De conceſſione præbendæ in* 6. Ita Laurentius Nicolarts *in praxi beneficiaria & Concordatis Germaniæ Poloniæ, Galliæ, Tit.* 3. *dub.* 2. §. 9. Ubi plurimas

pro

pro hac ſententia allegat Deciſiones Rotæ Romanæ, quarum una *Deciſ.* 142. *n.* 4. dicit, Decretum irritans habere oculos retrò ut operetur nullitatem ab initio. Pro eadem allegat Felinum Rebuffum *ad Concordata Galliæ*, Branden *ad Concord. German. q.* 2. *n.* 5. 6. & 7. & *q.* 4. *n.* 22. Flaminium Pariſium, Gonzaletz, Wamneſium, Garciam, Chokier, Franciſcum Leonem *in Theſauro Fori Eccleſiaſt. p.* 3. *cap.* 1. *n.* 33. & 34. Barboſam *de Offic. & poteſt. Epiſc. p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 138. Dianam *p.* 7. *tr.* 1. *reſol.* 28. *n.* 7.

Quia tamen quandoque neceſſitas cogit provocare ad contrariam conſuetudinem, hinc conſultum videtur etiam annotare D. D. qui non obſtante clauſulâ Decreti irritantis conſuetudinem in contrarium admittunt, & in ſpecie quoad Electionem P. Reiffenſtuel *ad Jus Canon. tom.* 1. *tit. de Elect.* §. 11. *n.* 270. item *tom.* 3. *tit.* 16. *n.* 28. Engel *h. t. n.* 37. cum Zipæo & Suaretz. *de Legibus Lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 14.

Dubium. An poſſit conſuetudine introduci, ut ab Eccleſia quadam planè auferatur jus eligendi, & in alium transferatur jus nominandi, vel præſentandi Paſtorem, qui nullâ præcedente electione neceſſariò ſit admittendus, ut fermè contingit in aliis beneficiis patronatis? ℞. non videtur obſtare implicantia: ſi enim per conſuetudinem legitimam vel præſcriptionem poſſint alia jura ab Eccleſiis auferri, cur non poſſet etiam ſic auferri jus eligendi?

Nec obſtat, quòd talis conſuetudo inferat Eccleſiis gravamen, conſequenter eo ipſo reſcindatur, ut modò ſupra dictum.

Nam

Nam non ſufficit ad impediendam conſuetudinem gravamen qualecunque, aliàs non poſſet ulla conſuetudo vel præſcriptio contra Eccleſias ſubſiſtere, quod tamen vix quiſpiam admittet: ſed ſolum gravamen immodicum, reclamante Superiore vel Papâ, & in iis, quæ competunt Jure divino aut naturali, non in aliis, quæ Jure purè humano Eccleſiaſtico competunt.

Unde non ſunt admittendæ conſuetudines, quas Pontifices vel Jura vocant Corruptelas: Quænam nam autem ſint tales, non poteſt commodè definiri in genere, ſed deſumendum eſt ex cujuſque facti contingentia, & jurium particularium inſpectione.

Porrò hìc dicta quoad ea, quæ concernunt ſubſtantialia electionis ex ſolo iure poſitivo humano requiſita, intelligi ſolent à multis Doctoribus de præſcriptione vel conſuetudine ordinaria, non de extraordinaria & immemoriali: Cùm enim conſuetudo immemorialis Juri communi in aliis caſibus poſſit præjudicare, *cap.* 8. *de Conſuet.* non videtur efficaciter probari poſſe, cur nequeat etiam in iſto puncto præjudicare, maximè cùm etiam *in d. cap.* 8. *cùm dilectus.* concedatur, quòd conſuetudine poſſit induci, ut una Eccleſia de gremio alterius teneatur ſibi Prælatum eligere.

Veruntamen alii notant, quòd Decretum irritans electiones Regularium factas ſine debita forma, oriatur ex duobus Oecumenicis Conciliis ſcil. Lateranenſi ſub Innocentio III. *c.* 24. in quo conditum eſt *c. Quia propter.* & Concilio Tridentino *Seſſ.* 25. *de Reg. c.* 6. proinde nulla conſuetudo aut præſcriptio, quantumcunq; longiſſima derogare valeat,

ut conſtanter ſervat Rota Romana teſte Coccino *deciſ.* 1539. *n.* 25. 26. 27. *& deciſ.* 1552. recitata apud Tambur. *de Jure Abbat. p.* 2. *deciſ.* 22. *n.* 16. Et ipſe docet *p.* 1. *diſp.* 5. *q.* 6. *n.* 5. cum aliis. Imò etſi aliqua conſuetudo vel præſcriptio contraria poſſet figere pedem & procedere,(poſito non conceſſo) probanda foret exactè Pontificis ſcientia & expreſſus conſenſus, ita ut tacitus non ſufficiat, Paſſerinus *de Elect. cap.* 5. *n.* 39. Rota coram coccino *dictis deciſ. &c.* Præterea licet aliqua clauſula irritans eſſet abrogabilis per conſuetudinem contrariam (poſito non conceſſo) hoc tamen teſte ſuarez *loc. cit. n.* 16. *&* 17. ſolùm tunc procedit, quando univerſaliter in toto orbe per conſuetudinem contrariam cum debitis requiſitis lex eſſet abrogata, ſecus eſt, quando in certo loco ſervatur contra id, quod in lege habente decretum irritans diſponitur: illis enim præſcriptio particularis introduci non poteſt, obſtante decreto irritante: quia cùm lex generaliter non ſit abrogata, remanet in ſuo robore. Ita habet deciſio Rotalis *in una Trevirenſis Abbatiæ S. Maximini coram Reverendiſſimo D. Decano Coccino, die* 20. *Novembr.* 1624.

QUÆSTIO XXIX.

An electio facta juxta jus commune, attamen contra ſpecialia Ecceleſiæ privilegia, ſit valida?

℞. Valet, eſt tamen irritanda. Colligitur *ex cap. conſideravimus.* 10. *h. t.* Ubi talis electio modò ceſſatur: ergo ſiguum eſt, quòd valorem de ſe habuerit.

QUÆ-

QUÆSTIO XXX.

An ſi Electores eligiſſent tres præſentandos ſuperiori, ut is determinet ex eis Prælatum Eccleſiæ, poſſint poſteà variare inſtituendo electionem novam ad unum tantum eligendum?

℞. Si Electores intenderint procedere viâ juris & inſiſtere electioni rigoroſæ, iſte actus nihil operatur, quia *in cap.* *Quia propter.* Satis indicatur, quod ille *ſolus & unus* debeat eligi, in quem *major & ſanior pars* conſenſerit. An autem tunc poſſint Electores marte proprio tranſire ad electionem novam, deſumendum eſt partim ex dictis *q.* 25. ſub finem. Partim *ex cap. quia propter.* Decernente: *Qui verò contra prædictas formas eligere attentaverint, eligendi eâ vice poteſtate priventur.*

Hæc pœna, cùm requirat *attentationem* præſupponit eligentes *ſcienter* elegiſſe contra præſcriptas formas: & cùm adhibeatur verbum *priventur*, indicatur eſſe ſolùm ſententiæ ferendæ.

Si Electores intenderint procedere, viâ aliâ diſtinctâ à rigoroſa electione, non oſtenditur ſufficienter. cur iſte modus procedendi ſecluſis particularibus conſtitutionibus ſit irritus. Ratio: Electores poſſunt procedere viâ *poſtulationis* relicta via rigoroſa *electionis*: ergo etiam poſſunt procedere via *nominationis*: atqui electio hic deſcripta eſt nominatio per *cap. quod ſicut.* 28. *h. t.* Ergo Electores poterunt hac via procedere. Ipſis autem nominatis nihil juris tunc acquiritur, & licitè

poſ-

poſſunt Electores ad novam Canonicam electionem tranſire: nec id poſſunt impedire alii, ſi vocati noluerint, vel non potuerint venire, ſunt omnia expreſſa *d. cap. quod ſicut.*

Dum verò *cap. Quia propter.* intentatur privatio: agitur de iis, qui volunt procedere viâ electionis: quod ex eo probatur, quia nemo dicet, quòd Capitulum privetur jure eligendi, ſi relictâ Electione poſtulet Prælatum; & tamen de rigore in poſtulatione ſolemni forma *cap. Quia propter.* præſcripta non debet ſervari, ut dicetur *p. 2. q. 21.* ℞. 2.

QUÆSTIO XXXI.

Cui incumbat ſolutio expenſarum in Electione factarum?

℞. 1. Eccleſiæ, ad quam novus Prælatus eligitur, *cap. Ut prœterita.* 45. *h. t.* Ubi expreſsè fit mentio de expenſis *neceſſariis:* non de *vanis, ſuperfluis & voluptuariis.* Cenſentur autem expenſæ *neceſſariæ,* ſine quibus negotium expediri non poteſt, vel ſine quibus res efficitur deterior. *L. Impenſæ. ff. de V. S.* Sufficit tamen bona fides, quâ quis credat expedire tales ſumptus, licèt reipsâ fortè præter ſpem non expediant, *L. prætor.* §. 2. *ff. de bonis auctoritate Judicis poſſidendis.*

QUÆSTIO XXXII.

Quale jus acquirant Regulares per electionem ſui ad aliquam Prælataram extra ſuum Ordinem?

℞. Quan-

Digitized by Google

℞. Quando electio facta eſt in concordia, & eſt in ordine ad dignitatem Epiſcopalem, per ſe loquendo, electio eſt rata, & per illam acquirit electus verum jus, ſequitur ex dicendis *p. 2. q. 14.* ubi dicetur quod Regularis ad Epiſcopatum non postuletur ſolemniter, ſed *eligatur*, dummodò tamen habeat conſenſum ſui Superioris: atqui omnis vera electio tribuit electo jus ad rem, ergo etiam Religioſo qui cum licentia ſui Superioris eſt electus ad Epiſcopatum.

Ad alias dignitates *communiter* debet poſtulari, conſequenter cùm poſtulatio etiam facta in concordia, antequam à Superiore admittatur, non tribuat poſtulato aliquod jus, neque tali Religioſo aliquod jus acquiretur.

Quando verò electio ad Prælaturam illam extra ſuum Ordinem facta eſt in diſcordia, Electus nullum acquirit jus, nec ipſe tali proviſioni quoquo modo valet conſentire, etſi Superioris ſui acceſſerit licentia, *cap. Quorundam. 24. h. t. in 6.*

QUÆSTIO XXXIII.

Quid juris de iis, qui Cathedralibus & Regularibus ac Collegiatis Eccleſiis vacantibus, bona à Prælatis dimiſſa, vel vacationis tempore obvenientia, quæ in utilitatem dictarum Eccleſiarum expendi, vel futuris deberent Succeſſoribus fideliter reſervari, occupant, inter ſe dividunt, ſurripiunt, conſumunt & dilapidant.

Digitized by Google

℟. Donec plenè reſtituant, ab officiis & beneficiis quibuſcunque ſunt ſuſpenſi, non obſtantibus privilegiis, ſtatutis, conſuetudinibus, quâcunque firmitate vallatis, *cap. Quia ſæpe.* 40. *h. t. in* 6.

QUÆSTIO XXXIV.

In quibus caſibus jus eligendi devolvatur ad Superiores?

℟. Ex Jure communi in tribus: Primò in caſu negligentiæ, quando ſcil. Capitulares non elegerunt intra tempus à jure præfixum, *cap. ne pro defectu.* 41. *h. t.* Secundò in caſu mortis vel inhabilitatis omnium habentium vocem activam. *d. cap. ne pro defectu* Tertiò in caſu culpæ, quando ſcil. Electores cum culpa elegerunt indignum, vel non ſervaverunt debitam formam, *cap. cùm Vintonienſis. h. t.* His accedit ſpeciale pro Inclyta Natione Germanica ex Concordatis Germaniæ §. 1. quòd ad diſpoſitionem vel proviſionem Sedis Apoſtolicæ ſpectent omnes Eccleſiæ, & Monaſteria, quæ vacant in Curia & apud Sedem Apoſtolicam, *nec non ad quæ aliqui in concordia vel diſcordia electi ſive poſtulati fuerint, quorum electio caſſata, ſeu poſtulatio repulſa, vel per eos facta renunciatio & admiſſa.*

Porrò cenſentur Eccleſiæ vacare in *Curia* & *apud Sedem Apoſtolicam*, quando vacatio Romæ inducitur, aut ibi, ubi Papa vel Curia moratur, ſive vacatio incipiat per mortem, ſeu per reſignationem, aut privationem, vel depoſitionem aut translationem Romæ factam. Vide P. Ludovi-

Digitized by Google

cum Engel *tit. de præbendis & dignitat. n.* 10.

Dub. 1. *Quomodò in caſu devolutionis Superiores debeant providere?*

℞. In omnibus devolutionis caſibus attento jure communi (cui aliquando jura, ſtatuta & privilegia ſpecialia Religionum obviant) poteſt Superior eligere, vel providere abſque conſenſu, non tamen abſque conſilio Capituli, cujus jus devolutum. P. Antonius à Spiritu S. *in directorio Regular. p.* 3. *tr.* 5. *diſp.* 5. *Sect.* 6. *n.* 75. Pellizzarius *tr.* 9. *Man. Regul. cap.* 2. *n.* 53. Debet tamen (quantum poteſt) ſervare formam *in cap. Quia propter.* & Concilio Trident. *Seſſ.* 25. *de Regul. cap.* 6. præſcriptam, atque Electionem intra trimeſtre inſtituere, aliàs ceſſante juſto impedimento gradatim devolvetur uſque ad Papam, *d. cap. ne pro defectu.*

Dub. 2. *An aliquando electio caſſata, vel non obtinens effectum revolvatur ad ipſos Electores?*

℞. Affirmativè: ac imprimis quando electio nondum confirmata fruſtratur ſuo effectu abſque culpa Eligentium, redit jus eligendi ad ipſos, ac ſi eſſet nova vacatio.

Rurſus ad Capitulum redit jus eligendi, quando in caſu devolutionis Superior quidem providit, ſed proviſus renunciat, moritur, aut privatur jure ex hac proviſione acquiſito. P. Antonius à Spiritu S. *loc. cit. n.* 78. & 79.

Dub. 3. *An Eligentes indignum ſemper priventur voce activâ?*

℞. Negativè: Si enim major pars ſtatuiſſet eligere minùs dignum, & minor pars hoc nequeat impedire, tunc hæc ſe conformando aliis, & dando ſuffragium indigno, juxta Pellizzar. *loc. cit. n.* 107. nec peccat, ſaltem mortaliter, nec ſubeſt pœnæ; eo quòd valor electionis perficiatur à majori parte, & minor pars ſe habeat quaſi per accidens.

Si etiam major pars elegiſſet indignum cum ſolo veniali, non eſſet locus huic pœnæ ſaltem in foro interno, quia pœna illa ſupponit delictum conſummatum.

Notat etiam Pellizzarius *loc. cit.* quòd ſi quis neget Regulares in caſu propoſito ſubjacere dictæ pœnæ, utpote latæ contra Clericos ſæculares (quorum nomine non veniunt Religioſi in odioſis) non poſſit argui falſitatis claræ.

Dub. 4. *Quemnam debeat eligere is, ad quem jus eligendi eſt devolutum?*

℞. Debet eligere de gremio hominem talis qualitatis, qualem tenebantur eligere primi electores, *Clem. un. de Suppl. neglig. Prælat.*

Nec obſtat, quòd Capitulum ipſum poſſit *aliquando* eligere aliquem extra gremium: Nam diſparitas eſt, quòd Capitulum poſſit ſuo favori & juri renunciare; Superior autem non poteſt renunciare juri alterius ipſo irrito.

Dub. 5. *An is ad quem jus eligendi eſt devolutum, ſit liber ad eligendum vel poſtulandum?*

℞. Eſt liber. Ratio: Qui acquirit jus eligendi per *præſcriptionem*, etiam acquirit jus poſtulandi.

Digitized by Google

landi, ut dicetur *p.* 2. *q.* 6. ergo etiam, qui acquirit jus eligendi per *devolutionem*, poterit habere jus poſtulandi. Si ergo procedat jure *Electionis*, debet aſſumere quendam de gremio, ut dictum *dub.* 4. Si procedat viâ *poſtulationis*, poteſt aſſumere quemcunque idoneum.

Obſerva per Concordata Germaniæ §. 4. *Item placet* ſpecialiter pro Natione Germanica ſtatuitur, ut in Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis, etiam immediatè non ſubjectis Sedi Apoſtolicæ, & in Monaſteriis immediatè ſubjectis fiant Canonicæ electiones, quæ ad dictam Sedem pro obtinenda Confirmatione deferantur intra tempus conſtitutum per Conſtitutionem Nicolai III. incip. *Cupientes de Elect. in* 6. alioquin ad eandem Sedem Apoſtolicam electiones devolvantur: Et ſi dictæ Electiones minùs Canonicæ fuerint, de iis per S. Sedem providebitur: & ſi Canonicæ fuerint, confirmabuntur, niſi ex rationabili & evidenti cauſa de conſilio Cardinalium de digniori & utiliori perſona duxerit providendum, ſic tamen ut prædicti per Sedem Apoſtolicam confirmati & proviſi Metropolitanis ſuis & aliis præſtent debita juramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur. At in Monaſteriis dictæ Sedi immediatè non ſubjectis, & aliis Regularibus beneficiis, ſuper quibus pro confirmatione vel proviſione non conſuevit ad dictam Sedem haberi recurſus, electi, ſeu illi, quibus providendum eſt pro confirmatione & proviſione hujuſmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur, ipſaque regularia beneficia ſub gratiis exſpectativis non cadent.

Digitized by Google

Ubi autem pro Monaſteriis ad dictam Curiam venire ſeu mittere conſueverint, non aliter Sedes Apoſtolica confirmabit vel providebit, quam ſupra de Cathedralibus Eccleſiis eſt expreſſum. Et de Monaſteriis Monialium Sedes Apoſtolica non diſponet, niſi ſint exempta, & tunc per Commiſſionem ad partes. Ita Concordata.

QUÆSTIO XXXV.

An, & quomodo Electiones Clandeſtinæ ſint invalidæ?

Quòd tractatus prævii, in quibus quidam Electores ſecretò conveniunt de votis ſuis dandis alicui perſonæ determinatæ vel digniori, vel æquè dignæ, per ſe non ſint prohibiti, conceditur facilè: dummodò ſecludantur ſpecialia pacta repugnantia libertati, vel includentia aliquod privatum lucrum &c. hoc poſito;

℟. 1. Formalis electio facta occultiſſimè in loco ſummè abdito, convocatis tamen omnibus Electoribus; non eſt irrita nec irritanda ex hoc ſolo capite: Licet enim iſta electio fiat clam reſpectu ipſius Capituli legitimè congregati: Non autem oſtenditur fundamentum, quare talis electio ſit irritanda.

℟. 2. Si Electio fiat in Cameris privatis per occulta conventicula tantùm ab aliquibus Electoribus verè dicetur *Clandeſtina:* & quidem ſi non adfuerint ultra medietatem totius Capituli,

Electio

Electio erit ipſo jure nulla; Si adfuerint ultra medietatem, erit ad minus irritanda ad inſtantiam non præſentium. Colligitur ex dictis *q.* 6. §. 2. *dub.* 11. Verùntamen nullitas hujus Electionis non tam ex loco occulto deſumatur, quàm ex eo, quòd deſit ſufficiens numerus votantium.

℞. 3. Si Electio habeat alia requiſita, ita tamen ſecretò fuerit ab Electoribus cuſtodita, ut Clero externo, populo, aut Communitati non publicetur, reprobatur quidem à Jure *cap.* *Quia propter.* §. *fin.* ibi: *Electiones quoque Clandeſtinas reprobamus ſtatuentes, ut quàm citò Electio fuerit celebrata, ſolemniter publicetur.* Et ideò juxta dicta *q.* 6. §. 9. *dub.* 3. *obſerv.* 1. Duplex in Electionibus datur publicatio, altera Scrutinii, altera ipſius Electionis Capitularis.

Hæc tamen poſterior publicatio non eſt de ſubſtantia & forma electionis: unde ſi omittatur, electio nec eſt irrita, nec irritanda, niſi aliud vitium ſubſit. Quia per Electionem legitimè factam Jus acquiritur Electo, quo non eſt privandus ſine ſua culpa, ut habet communis cum Leurenio *Fori benefic.* *tom.* 2. *q.* 323. contra Abbatem & nonnullos alios. Imò teſte eodem Leurenio hæc ſecunda publicatio non eſt tam rigorosè præcepta, ut non liceat eam ex rationabili cauſa (v. g. ad vitandum ſcandalum) differre, donec competens Superior admoneatur, ut de ejus conſilio & mandato vel publicetur, vel diutiùs abſcondatur electio. Si tamen Confirmatio modo

Digitized by Google

ordinario & debito impendatur, Clandeſtinitas ipſo facto tolletur, quia hæc confirmatio non impenditur, niſi inquiſitione factâ in Electi vitam ac mores, & niſi citatis iis, quorum intereſt; Hæc autem ſine publicatione Electionis fieri non poſſunt.

QUÆSTIO XXXVI.

Quid ſi Capitulum tam paucis conſtet Electoribus, ut ſupra aſſignata omnia, maximè quoad numerum Scrutatorum ſervari non valeant?

Alii quæſtionem ſic proponunt: Quid ſit agendum, quando Sede vacante ſolùm unus vel duo, aut tres tantùm habentes vocem activam ſuperſunt?

℞. 1. Quoad ſolemnitates & alias à Jure requiſitas conditiones ſervari debet tantum, quantum poteſt: Plura vel omnia ſervare, foret impoſſibile, adeoque ad hoc non datur obligatio: nemo enim ad impoſſibile poteſt obligari, *cap. 6. de R. J. in 6.* Hinc nunquam ternarius Scrutatorum numerus adhiberi debet, niſi quando Capitulum plusquàm tribus perſonis conſtat; aliàs enim iidem eſſent Scrutatores, qui Electores. Unde

℞. 2. Quando ſolùm unus remanſit, Jus Capituli apud illum ſolum remanet, *L. Sicut Municipium. §. fin. ff. Quod cujuſque Univerſitatis nomine.* Poteſt quoque contingere, ut reliquis omnibus ex cauſa delicti (v. g. quòd indignum ſcienter elegerint) voce activâ privatis Jus & poteſtas eligendi delapſa fuerit ad unum ſolum, qui utpote innocens

non

non debet aliorum odio & delicto gravari, ut cum aliis jus ſuum amittat. Hinc talis poterit electionem inſtituere, non quidem juxta apicem formæ Canonicæ (eſt enim impoſſibile, ut habito tantùm uno Electore de gremio aſſumantur Scrutatores tres, fiat collatio numeri ad numerum, & his ſimilia pluralitatem Eligentium ſignificantia adhibeatur) ſed in quantum forma ſervari ab uno poteſt. Non tamen poteſt ſeipſum eligere, ne videatur ambitioſus, adeoque ex hoc ipſo repellendus, *cap. Per noſtras. 16. de Jure Patron.* concordantque dicta *Sect. 1. q. 7. dub. 9. Petes. j.* Poterit ergo nomine totius Capituli uno & eodem actu nominando perſonam à ſe diſtinctam eligere, & electionem publicare, coram teſtibus, & pro meliori ſecuritate coram Notario dicendo, *Ego Vice Capituli N. eligo Sempronium.* Si is ipſe Elector, qui unus remanſerit, ſolus haberet vocem paſſivam, non poſſet ab illo fieri vera electio; quia ſeipſum nemo poteſt eligere, & nullus alius eligibilis ſupponitur adeſſe. Tunc ergo vel deberet talis cenſeri electus ab ipſo Jure, ita ut electio iſta tantùm ſit confirmanda per illum, qui aliàs habet jus confirmandi; vel Confirmator ipſe deberet hunc unIcum dare aut præficere in Prælatum (Nam in caſu devolutionis Superior, ad quem Electio devolvitur, non poteſt aliquem viâ ordinariâ promovere, niſi qui habet conditiones, ſeu qualitates à Jure requiſitas, inter quas communiori exiſtimatione cenſetur eſſe, ut ſit de gremio Capituli, ita ut extraneus ſit ſaltem minùs ſolenniter poſtulandus: quam conditionem in caſu poſito

non niſi ille unicus haberet) vel Superior deberet quoſdam voce paſſivâ privatos (ſi qui adſint) rehabilitare; vel ſaltem ille unus via electionis ordinariæ relicta deberet aliquem ſive ſolenniter ſive minùs ſolenniter poſtulare. Vide P. Reiffenſtuel *ad tit. de Elect. & Electi poteſt*: §. 11. *n.* 272. cum Paſſerino.

℞. 3. Quando duo ſolùm vocales remanſerunt, habentes Jus vocis activæ, non poſſunt conditiones ſcrutinii arcani ſervare, cùm quilibet eorum neceſſariò debeat audire oretenus exceptum, vel legere per ſchedam datum votum alterius. Neque ex gremio aliquem poſſunt eligere, ſi uterque votum ſuum dederit, quia ſic neuter poſſet accipere majora: Quòd ſi tamen unus eorum renunciare velit Juri ſuo eligendi, vel voci ſuæ activæ, cenſebitur ritè electus, ſi ab altero Concanonico eligatur. Cenſent enim probati Doctores, quòd in hoc caſu unus alteri votum ſuum dare valeat, eumque eligere, ita ut iſte electus conſentiendo augeat numerum, & per conſequens electio dicatur non ab uno Capitulari, ſed à toto Capitulo facta. Et certè, cùm tunc forma Scrutinii ſit ſervatu impoſſibilis, & unus alterum in ſecreto ſcrutari non poſſit, non prohibebuntur publicè inter ſe eligere, adeoque qui prior votum ab altero accepit, poterit conſentire, & conſentiendo numerum augere, ut ferme in ſimili dictum ſupra *Sect.* 1. *q.* 7. *Dub.* 9. Poterunt quoque iſti duo (ſi velint) eligere, aut poſtulare extraneum, vel compromittere limitate in aliquem extraneum compromiſſarium (prout fieri poſſe dictum eſt *cit. q.* 7. *dub.* 2.)

Ut

Digitized by Google

Ut is unum ex ipſis duobus eligat. Ita idem P. Reiffenſtuel *loc.c. n. 273.*

R. 3. Quando tres vocales tantùm remanſerunt gaudentes jure vocis activæ (prout evenit in Electione Quedlinburgenſi, in qua poſt reſignationem Principiſſæ de Saxo-Weiſenfels tres tantùm Capitulares nimirum Præpoſita, Decaniſſa, & Canoniſſa, ad novam proceſſerunt electionem, Præpoſita ferente ſuffragium in favorem Principiſſæ Eliſabethæ Erneſtinæ, de Saxo-Mainungen, duabus reliquis votantibus in favorem Principiſſæ Mariæ Eliſabethæ de'Holſtein Gottdorff; ut ex Reſcripto Cæſareo Glorioſiſſimæ memoriæ Auguſtini Imperatoris JOSEPHI I. de Anno 1708. Die 13. Febr. dato colligitur factum eſſe Novembri proximè præcedenti; quamvis hæc electio graves paſſa fuerit difficultates, ex titulo, quòd non obſtante devolutione Juris ad Cæſaream Majeſtatem, facta ſit contra intentionem & inhibitionem Suæ Sacræ Majeſtatis, ut patet ex Electis Juris Publici *Tom. 1. num. XII. & Tom. 2. num. XLIX.*)

Quando inquam tres tantùm vocales remanſerunt, non poterunt conditiones ſcrutinii pleni ſervare; cûm Scrutatores non poſſint à Capitulo eſſe diſtincti, ſed ſint ipſum totum Capitulum: adeoque cum in Scrutinio auriculari, juxta plenam formam perficiendo, omnes tres audire debeant votum illius, cujus ſuffragium exquiritur, non poſſet inter eos tres eſſe arcanum. Deberet ergo tunc admitti electio aliqua publica; vel poterunt ex ipſis duo ſemper ſigillatim ſcrutari tertium in ſcriptis votantem, quoadusque omnes

tres

tres ſuum votum dederint. Quo caſu electus à duobus, tanquam à majori parte, prævalebit, niſi aliud Canonicum impedimentum obſtet. Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 274. Qui addit, tales poſſe tres extraneos aſſumere in Scrutatores. Verùm tunc neceſſe foret, ut omnes tres in extraneos Scrutatores conſentiant: Nam alias de Electionis ſubſtantia eſt, ut Scrutatores ſint de Capitulo: Vide *hâc Sect.* 1. *q.* 6. §. 3. *Dub.* 1. Si adhibeantur Schedæ manu tertii ſcriptæ, & non requirantur Scrutatores diſtincti, poteſt fieri electio perſonæ extraneæ, ubi hæc eligi poteſt; quia ſic adhuc ſatis ſervatur arcanum: Cùm enim Schedæ non ſint ſcriptæ manu propriâ cujùsvis Electoris, non poterit dignoſci, quiſnam hanc vel illam ſchedam dederit. Si verò eligendus neceſſariò de gremio eſſe debeat, non poteſt ſervari ſcrutinium arcanum, nequidem per ſchedas, quia electus deberet habere vota majora, hoc eſt, duo, & ſuum non poteſt habere, adeoque clarè eluceſcat, quòd reliqui duo huic votum dederint.

QUÆSTIO XXXVII.

Quis dicatur Electionis Præſes, & quodnam illius officium?

℞. Præſes Electionis dicitur is, qui conſtitutus eſt tanquam Caput & Superior in Capitulo, ut dirigat Gremiales ſive Capitulares ad Electiones legitimè perficiendas.

Officium Præſidis eſt, Electores inſtruere, monere & hortari, charitativè eos inducendo, ut eligant

gant digniorem. In hunc finem eligendorum qualitates regimini neceſſarias Capitulo oſtendere vel explicare, & formam à ſummis Pontificibus, Concilio Tridentino, ac propriis conſtitutionibus præſcriptam tam ipſemet ſtrictè obſervare; quàm ut ab aliis ſervetur, procurare debet. Ita R.P. Philippus à Domina noſtra ſeptem dolorum, Ordinis Eremitarum S.P. Auguſtini Diſcalceatorum, *in Speculo Monaſtico part.* 2. *cap.* 39. *n.* 1. cum Lezana *in ſumma qq. Regular. Tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 12. *n.* 31.

In ſpecie ad officium Præſidis ſpectat, ut juramentum de eligendo digniore deferat Electoribus, ut dictum ſupra *q.* 5 *n.* 16.

Item ut Electores convocet, ſaltem juxta praxin quorundam Capitulorum, ut inſinuatum ſupra *q.* 6. §. 2. *dub.* 4. & *dub.* 14.

Solet quoque Electionis publicatio fieri per Capituli Præſidem. Quòd ſi is Electionem legitimè factam publicare nollet; Scrutatores ſupplere poſſent, & Electionem legitimè eſſe factam declarare. Quid Præſidi ſit faciendum; quando advertit electum eſſe indignum, dictum eſt *q.* 6. §. 11. *dub.* 5. Quis Monialium Electioni præſidere debeat, vide *q.* 16. *in fine.*

Etſi Præſes curare debeat, ut electio maneat omnino ſecreta, juxta Tridentinum *Seſſ.* 25. *de Regular. cap.* 6. Si tamen ex Electoribus quiſpiam fraudulentum aliquid machinaretur, poſſet Præſes Scrutatoribus præcipere, ut votum illius, de quo ſuſpicio eſt, aperiant (dummodò à cæteris dignoſci valeat) illumque cum voto manifeſtent, ut

ut fraude deprehenſâ puniatur. Ratio: Tridentinum ideò præcipit, ut nomina eligentium nunquam publicentur, *quò omnia rectè & ſine ulla fraude ſiant*, ut habet textus *loc. cit.* ergò à contrario, ſi fraus ſubſit, obligatio ſervandi hoc ſecretum ceſſat.

QUÆSTIO XXXVIII.

Quomodò Præſidentes in Capitulis Regularium debeant procedere, ſi Capitularem quempiam voce activâ vel paſſivâ privare velint?

℞. Procedere debent juxta inſtituta Religionis vel Capituli, in cujus electione præſident, nec quenquam Capitularium voce activâ vel paſſivâ privare poſſunt, niſi privandus priùs citetur, ipſique copia ſe defendendi permittatur, ne inauditus condemnetur. Si in Commiſſione vel delegatione Præſidentibus facta exprimatur, quòd, ubi opus eſt, poſſint quoſdam voce privare, ſubintelligitur, ut id ſervato juris ordine fiat. Unde ſi hunc Ordinem transgrediantur, non tenentur Capitulares obedire, in tantum, ut ſi injuſtitiæ in procedendo attentatæ major pars reſiſtat, poſſit ad electionem ſine ipſo Præſide procedere. P. Philippus à Domina noſtra *loc. cit. num.* 2. cum Lezana *Tom.* 1. *p.* 1: *cap.* 15. *n.* 34.

Dub. 1. *An Præſes ipſe eligi poſſit in ea electione cui præſidet?*

℞. Juxta Philippum à Domina noſtra *loc. cit. n.* 4. cum miranda in manuali *Tom.* 2. *q.* 22. *art.* 7.

non

non decet ipſos Præſidentes ad aliquod officium eligi, quia ob timorem & reverentiam ipſorum electio non videtur eſſe omnino libera, & præſumi pôteſt, fraudem & dolum interveniſſe.

Verùm hæ rationes non videntur ita ſtringere, ut evincant, Præſidem (dummodò vocem paſſivam & reliquas conditiones habeat) nunquam poſſe eligi in ea electione, cui præſidet. Ratio: Non debet poni offendiculum, unde quis rationabiliter deterreri poſſit à ſuſcipiendo præſidis officio: Sed ſi Præſes electionis neceſſariò carere deberet voce paſſivâ (quæ tamen ſupponitur ipſi competere) multi deterreri poſſent ab hoc officio ſuſcipiendo: ergo non debet Prœſidi abſolutè denegari via, quâ per electionem ad dignitates poſſit aſcendere, etiam dum actu Electioni præſidet. Neque etiam debemus proni eſſe in præſumendis dolis, ubi deeſt ſufficiens fundamentum: Præſes enim præſumitur ſemper bonus donec probetur malus; *L. Omni modo. 30. v. Nam ſi nullam. C. de inoffic. Teſtam. & L. cùm quidem. 24. ff. de Lègatis. II.*

Dub. 2. *An Officium Præſidis ſonet dignitatem?*

℞. Si competat hoc officium alicui ex jure ordinario, poteſt annumerari dignitatibus ſtrictè dictis, quia ſic Præſes conſequitur præcedentiam cum juriſdictione ordinaria; Si verò competat alicui ex ſolâ commiſſione vel poteſtate delegatâ non erit propriè Dignitas utpote quæ attribuit ordinariam juriſdictionem & præcedentiam qualis hic deeſt. Poteſt tamen Præſes lato modo vocari Prælatus, prout omnis habens curam animarum ſive ordinariam ſive delegatam, aliquomodo Prælatus,

Digitized by Google

tus dici poteſt; teſte P. Philippo à Domina noſtra *loc. cit. n.* 7. cum Peyrinis & Lezana *verb. Commiſſio, n.* 8. Et hinc juxta dicenda infra *Sect.* 3. *q.* 10. §. 11. *dub.* 7. Illegitimus Præſes Capituli Generalis vel provincialis eſſe nequit.

SECTIO SECUNDA.

De *Eligentibus*.

QUÆSTIO I.

Apud quos Jus activum eligendi reſideat?

℞. EX Jure communi *de facto vigenti* reſidet penes Capitulum vel Congregationem, & *Congregatio.* 10. *XVI. q.* 7. *c. Abbatem.* 3. *XVIII. q.* 2. *c. cùm terra* 14. *junct. gl. in fin. de Elect.* Ne tamen ex hoc inferes, quòd omnes omninò de Capitulo ſemper jus vocis activæ habeant; contrarium enim patet tam ex dictis *cit. q.* 26. quàm ex hic dicendis in decurſu.

Dixi: *Ex jure communi de facto vigenti*: Si enim conſideretur Jus antiquum, Omnium Epiſcopatuum, imò & aliarum Eccleſiarum proviſio vel Electio ad ſolum Pontificem Romanum ſpectabat, qui ſucceſſu temporis jus elidendi conceſſit Capitulis. Vide Wagnereck *in Cap. Oſint* 2. *de Elect.*

Dub.

Digitized by Google

Dub. *Cujus ſit eligere Abbatiſſas ſeu Superioriſſas Monialium?*

℟. Hoc jus eligendi ſpectat ad Moniales ſubditas profeſſas, *c. Indemnitatibus.* 43. §. 1. *h.t. in* 6. Dummodò officium Superioriſſæ ſit electivum. Et cùm in textu citatô non fiat diſtinctio, tam Chōriſtæ, quàm Converſæ *Ex jure communi* juxta Pellizzarium *in Manual. Regul. tr.* 10. *cap.* 10. *n.* 89. activè ad Electionem poſſunt concurrere. Ordinariè tamen vel ex conſuetudine, vel ſtatutis particularibus Religionum Converſæ ab Electionibus & voce activa arceri ſolent. Et talia ſtatuta eſſe obſervanda, conſtat ex *Concil. Trid. Seſſ.* 25. *de Regular. cap.* 7. Secus eſt in Electionibus virorum, in quibus Converſos à voce activa arceri, dicetur mox infra *q.* 2.

Debet quoque Monialis volens admitti ad Electionem activam juxta quorundam Ordinum Conſtitutiones à Profeſſione certos annos tranſegiſſe. Verùm hoc non eſt *ex Jure communi*, quod non requirit plus, quàm profeſſionem tacitam vel expreſſam, & ætatem ad profitendum requiſitam, etſi eſſet adhuc in primo poſt profeſſionem anno. Quoad reliquas conditiones Electrices Monialium fermè æquiparantur viris Electoribus, de quibus per decurſum.

QUÆSTIO II.

Quæ conditiones in genere requirantur in Electore Regulari pro Eccleſia Regulari?

℟. Præter immunitatem à Cenſuris & pœnis

auferentibus vocem activam, duas potiſſimùm habeat conditiones, neceſſe eſt: *Primò:* Ut ſit expreſsè vel tacitè profeſſus illius Religionis, cujus Abbatem vel Superiorem vult coëligere, *cap. Ex eo. 32. §. In Eccleſiis, de Elect. in 6.* *Secundò* ut ſit Clericus, & quidem in Sacris Ordinibus conſtitutus, *Clem. 2. de ætate & qualit. & Ordin. Præficiend.* ubi aliis de Capitulo negatur facultas, etſi liberè vellent, concedendi vocem activam, niſi ſaltem in Subdiaconatûs Ordine conſtituto. Concordat Concilium Tridentinum *Seſſ. 22. de Reform. c. 4.* dicens: *Quicunque in Cathedrali vel Collegiata, Sæculari vel Regulari Eccleſia divinis mancipatus Officiis in Subdiaconatûs Ordine ſaltem conſtitutus non ſit vocem in hujuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat, etiamſi hoc ſibi ab aliis liberè fuit conceſſum.*

An hæc conditio Ordinis Sacri ſit adeò neceſſaria, ut votum ſine ea datum ſit invalidum, non caret difficultate. Quoad *ſæculares* judicandum eſt invalidum: quia votum datum ab eo, qui non habet votum vel vocem activam, eſt invalidum: Sed ex tenore Tridentini conſtat, quòd ad minus Electores ſæculares non habeant vòtum ſive vocem activam, niſi ſint ſaltem Subdiaconi, ergo. De *Regularibus* cenſent aliqui, aliis reclamantibus, illos ſub allegato Tridentini Decreto non contineri; & pro ſe citant quandam S. Congregationis Concilii Declarationem ſub annum 1577. die 22. Maji. Unde juxta doctrinam iſtam poſſet condi ſtatutum, vi cujus etiam carens Subdiaconatûs Ordine habeat jus vocis activæ. Pro quo facit, quòd Declara-

clarationes ad citatum Tridentini textum *verb. Regulari:* addant: *Sed non loquitur de Monaſteriis Regularium.* Dantur enim verò Eccleſiæ Regulares, hoc eſt, Regularibus ſubjectæ incorporatæ, & ab iis regi ſolitæ, quæ tamèn non ſint Monaſteria: Et talibus Eccleſiis mancipati non habent vocem activam in Electionibus, niſi ſint ſaltem Subdiaconi: De Electionibus autem in ipſis Monaſteriis Tridentinum quoad hoc punctum nihil exprimit.

Porrò ſufficit, quòd Electurus Ordines Sacros habeat tempore Electionis, licèt non habuerit tempore vacationis; neque enim Jura plus requirunt.

Sed & prædicta (etſi etiam Regulares concernerent) intelligenda ſunt in terminis habilibus, de Regularibus, qui ſunt addicti functionibus Sacerdotalibus. Nam apud Moniales, Ordines Militares Hoſpitalarios, vel tales, qui curandis infirmis ac ſepeliendis defunctis addicti, nullos aut pauciſſimos habent Sacerdotes, fruſtra Ordines Sacros requiris, quibus tamen Jus eligendi non denegatur.

Obſerva: De *Jure communi* non requiri, ut Elector ſit Presbyter: Nam exceptio firmat regulam in oppoſitum quoad non excepta: cùm ergo ſoli non-Subdiaconi excipiantur, Subdiaconi & multò magìs Diaconi non erunt excepti.

Obſerva 2. Converſos, Laicos, Oblatos, Donatos, & ſimiles, quantumcunque profeſſos non habere vocem activam in Electione, niſi ex fundatione, privilegio vel conſuetudine eam acceperint, ut tenet Gl. *in d. cap. Ex eo. 32. §. in Eccleſiis.* & Wagnereck *ibid.* Cui *quoad punctum Conſuetudinis*

contradicit Donatus *in praxi Regul. tom.* 2. *p.* 1. *tr.* 4. *q.* 6. *n.* 5. dicens: Nullâ conſuetudine poſſe iſtis competere vocem activam; eo quòd conſuetudo contra Decretum irritans non poſſit procedere, ut dictum *Sect.* 1. *q.* 28. at Concilium Tridentinum *loc. cit.* utitur clauſulâ irritante.

Verum inſpiciendo textum illa clauſula irritans non cadit ſuper votum datum vel ad prohibitionem vocis ipſius, ſed ſuper ſecundam partem illius Decreti, quæ eſt planè alterius materiæ. Ecce formalia: *Nec aliis inpoſterum fiat proviſio, niſi iis, qui jam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoſcantur: aliter irrita ſit proviſio.* Ita ibi.

Dub. *An promotus ad Sacros Ordines ante ætatem legitimam acquirat Jus vocis activæ?*

℟. Sub disjunctione: Vel promovetur cum diſpenſatione Apoſtolica, vel ſine illa & ſubreptitiè: Si *primum*: acquirit jus vocis activæ, quia ſuſcipit Ordinis executionem cum omnibus aliis annexis, ergo & acquiret hoc jus eligendi activum, utpote quod etiam Ordini ſacro eſt annexum. Neque Jura in eligente requirunt ætatem pro Subdiaconatu, ſed ipſum Subdiaconatum, ut docent Barboſa, Suarez, Tamburinus & alii cum Leurenio *Fori benef. tom.* 2. *q.* 259. Si *ſecundum*: Nihil acquirit, ut ſanxit Pius II. *in Conſtit. ſua incip. Cùm ex Sacrorum.* Et ratio eſt: quia ex fraude ſua non debet reportare commodum. Deinde taliter promotus ipſo facto ſuſpenſus eſt ab exercitio Ordinum ſuſceptorum, ergo nec frui poteſt privilegiis per Ordines ſuſceptos acquirendis. Ita habet ſententia veriſimilior contra Pellizzarium *in Man. Regul.*

tr. 9.

Digitized by Google

tr. 9. cap. 2. ſect. 2. n. 95. & alios docentes etiam eos, qui illicitè ante legitimam ætatem Ordines ſacros ſuſcipiunt, conſequi jus eligendi. Sententia Suareſii eſt probabilis, apud eundem docentis, quòd ſi bona fides Ordinatum excuſet è culpa, etiam excuſet à pœna, & cenſura vel ſuſpenſione quâvis conſequenter non erit excluſus à Jure eligendi activè. Vide infra ſect. 3. q. 10. §. 3. dub. 1.

QUÆSTIO III.

An innodati Cenſurá poſſint validè eligere?

℟. Negativè. Donàtus, *tom. 2. p. 1. tr. 4. q. 6. n.* 13. Et quidem de *Suſpenſis* eſt expreſſum *c. cùm dilectus*. 8. *de conſuet.* & *c. cùm inter*. 16. *de Elect.* De *Excommunicatis* Ratio eſt: Electio eſt actus communis, in quo fideles ſecum invicem communicant: Sed cum excommunicatis fideles non poſſunt communicare: ergo nec cum illis eligere. Præterea: Excommunicati ſunt *ſuſpenſi* ab officiis & beneficiis, *c. Tanta eſt Clavis. de Exceſſ. Prælat.* Sed *Suſpenſi* ad electionem activam non poſſunt concurrere: ergo nec excommunicati: De *Interdictis* non eſt fundamentum *directè arcendi ab Electione activa:* Nam effectus Interdicti communiter recenſentur ſequentes: I. Privatio Sepulturæ Eccleſiaſticæ in loco ſacro, cum Officio Eccleſiaſtico, rituque funeris ſolenni, II. Privatio adminiſtrationis & ſuſceptionis Sacramentorum, excepto baptiſmo, Confirmatione, Pœnitentiâ, Communione per modum Viatici, & celebratione

Digitized by Google

Miſſæ ſemel in quavis hebdomada ad Viaticum conficiendum: Item excepto Matrimonio abſque ſolenni benedictione contrahendo, III. Privatio celebrationis & auditionis Divinorum Officiorum, qualia ſunt celebratio Miſſæ, ſolennis recitatio aut decantatio precum Eccleſiaſticarum, benedictio aquæ luſtralis & ſolennis ejuſdem aſperſio, conſecratio Epiſcopi, benedictio Abbatis vel Fontis Baptiſmalis, aut nuptiarum, confectio Sacramentorum, &c. Sub nullo horum continetur privatio vocis activæ.

Dixi: *Non eſt fundamentum directè arcendi interdictos*: Nam ſi quis Clericus ſcienter violaret interdictum ſive perſonale, ſive locale, exercendo actum ſui Ordinis proprium eo modo, quo nequit exerceri à Laico, incurreret irregularitatem, teſte Reginaldo *Lib. 32. Fori Pœnit. n.* 48. & 50. fieretque ineligibilis tam activè, quàm paſſivè; imò nequidem poſſet paſſivè poſtulari, *c. Ad hæc. 1. de Poſtulatione Prælat.*

Dub. 1. *An omnis ſuſpenſio vel excommunicatio auferat Jus vocis activæ?*

℞. Negativè. Et imprimis *ſuſpenſio* ſæpe habet effectus limitatos, ut, qui ſuſpenſus eſt ab Ordine, non ſit ſuſpenſus à Juriſdictione, vel viciſſim. Hinc qui *abſolutè* & *ſimpliciter* ſuſpenſus eſt, facilè conceditur eſſe impeditus à voce activa. Qui verò ſuſpenſus eſt à ſolo Ordine, non eſt ſuſpenſus à Jure eligendi vel alia juriſdictione: quia actus Ordinis & actus Juris eligendi vel alterius Juriſdictionis ſunt diſparati: at in odioſis uno actu prohibito alter diſparatus non cenſetur ſimul eſſe prohibitus.

Idem

Idem dic probabiliùs de ſuſpenſo à ſola juriſdictione, vel à ſolo beneficio; Secus eſt de ſuſpenſo ab Officio totali: Nam Gloſſa *in c. cùm Dilectus.* 8. *de Conſuet.* inſinuat Electionem eſſe actum officii: Ibi: *Sed dicunt, quòd Canonicus ſuſpenſus eligere non poteſt, quia cùm ſit ſuſpenſus nihil retinet Officii.*

Quoad *Excommunicationem:* Si hæc ſit *minor*, nihil officit voci activæ, *cap. Si celebrat.* 10. *de Clerico excommunicato.* Ibi: *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licèt graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione juriſdictionis ſibi competunt, exercere.* Subjungitur tamen in textu, quòd non poſſit eligi *paſſivè:* de quo infra *Sect.* 3. *q.* 10. §. 4.

Præthereà: Nec quævis excommunicatio *Major* auffert vocem activam, ſed illa ſolùm, in qua quis ſpecialiter denunciatur, aut quam quis incurrit ob notoriam Clerici percuſſionem, Laym. *de Elect.* *q.* 26. Fundatur hæc doctrina in Conſtitutione Martini V. incip. *Ad evitandum:* editâ in Concilio Conſtantienſi: quæ etſi in actis Concilii, vel Tomis Conciliorum antiquioribus non habeatur, eſt tamen fideliter regiſtrata à tunc temporis vivente D. Antonino 3. *p. ſumm. tit.* 25. *cap.* 3. & refertur à Navarro *in Ench. cap.* 27. *n.* 53. *&c.*

Quòd ſi ex Concilio Baſileenſi allegetur contrarium, non eſt curandum; quia hoc Concilium ſub Leone X. in Concil Lateran. *Seſſ.* 11. *tom.* 5. *Concil. Anno* 1431. ferme totum fuit reprobatum, præter pauca quædam circa beneficia, quæ Nico-

lius Papa rata habuit unitatis & concordiæ gratiâ. Si quidam Religioſi Ordines per ſua ſtatuta excludant eos, qui juxta Martini V. conſtitutionem poſſent admitti, validè faciunt; quia dicta conſtitutio non eſt præceptiva, ſed ſolùm conceſſoria gratiæ vel privilegii. Poſſunt autem Generales Ordinum & Capitula Generalia cum cauſa tollere aut reſtringere privilegia aliàs à Jure conceſſa, ſi concernant directè ſolam commoditatem privatorum, & non primariò totius Ordinis.

Circa hanc Extrav: *Ad evitandum:* Ulteriùs obſerva: Illâ non obſtante, Excommunicati tolerati poſſunt per exceptionem repelli, & ſi abſque ſcandalo vel alio incommodo repelli nequeant, poteſt per Capitulum fieri proteſtatio, quòd vota talium nemini debeant ſuffragari vel nocere: quâ proteſtatione factâ vota ipſorum non valent, ita tamen ut electio illius qui aliàs habet vota ſufficientia, non corruat: Ita Barboſa *Lib.* 1. *Jur. Eccleſ. Univ. cap.* 19. *n.* 57. *&c.*

Quòd ſi nullus exceptionem aliquam opponat, electio ratione voti à tali excommunicato dati non eſt caſſanda, cùm geſta ab excommunicato tolerato ratione Officii publici ſuſtineantur ab Eccleſia. Ita Covarruvias, & Paſſerinus apud Reiffenſtuel *ad Jus Canon. tom.* 1. *tit. de Elect.* §. 7. *n.* 169. qui notat ad præcavenda majora incommoda ante pleraſque electiones præmitti abſolutionem generalem à Cenſuris, in ordine ad electionem ritè celebrandam.

Obſer-

Digitized by Google

Obſerva 2. Stante dictâ *Extrav. Ad evitandum:* etſi poteſtas eligendi ſit redacta vel devoluta ad unum, valet electio ab iſto celebrata, etſi is fuerit excommunicatus toleratus dummodò non ſit denunciatus nec notorius Clerici percuſſor: quia vi dictæ Extravagantis communicari poteſt cum excommunicato quocunque, excepto nominatim denunciato & notorio Clerici percuſſore: ergo acta illius valere debent, ne fruſtra licitum ſit cum talibus communicare. Unde etiam excommunicatio non privat officio & exercitio jurisdictionis, priusquàm excommunicatus ſit denunciatus. Quòd verò talis ſuſpenſus ſit ab Officio & beneficio non obſtat: quia illa ſuſpenſio tantum impedit ne ea exerceat licitè quoad ſe, non quoad alios: unde etſi peccet ſe ingerendo & ſuffragium dando, non tamen nocet electioni, quamdiu non rejicitur: Eccleſia enim ſupplet conferendo Jurisdictionem ad talem actum; Leurenius *Fori. Benef. Tom. 2. q. 270. n. 1.* cum Zoëſio *ad tit. de Elect. n. 10. &c.*

Obſerva. 3. Cum iiſdem DD. *locis citatis*: à fortiori ſuſtinenda eſt electio aliaque acta ab excommunicato tantùm occulto: quia defectus occultus non afficit actus illos, qui ex Reipublicæ interpretatione ſunt validi, *cap. Ad probandum. de Sent. & re judic. & L. Barbarius. ff. de Offic. Prætoris.* Imò iidem idem dicunt de excommunicato denunciato quidem & notorio alibi, at in loco electionis vel actûs alterius ponendi habito pro non excommunicato.

Obſerva 4. Exceptio) quæ juxta Obſervatio-

P 5 nem

nem primam contra excommunicatum toleratum opponi poteſt, eo quod *D.Extrav. Ad evitandum* ſolùm permittat, & non cogat cum hujuſmodi communicare debet proponi ante electionem: alioqui ſi electio jam peractâ quiſpiam contra votum excommunicati tolerati vellet excipere, fruſtra ageret; quia capitulum ante omnem proteſtationem vel exceptionem procedens, jam eligit validè. Si verò ante Electionem proteſtatio ſit facta tantùm ab uno vel altero, non tenentur quidem alii Electores talem excommunicatum ſtatim à communione ſua rejicere; Si tamen proteſtatio ſit facta tantùm ab uno vel altero, non tenentur quidem alii Electores talem excommunicatum ſtatim à communione ſua rejicere; ſi tamen proteſtatio ſeriò fuerit interpoſita, & electione factâ conſtet, electum præciſè ratione ſuffragii iſtius ab excommunicato dati & computati accepiſſe majora, vel ſi de hoc ſit dubium, electio eſt caſſanda: ſi verò conſtet electum etiam abſque computatione hujus ſuffragii habuiſſe vota ſufficientia, juxta communiorem Leurenii *l. c. q.* 271. *n.* 2. contra Peyrinum Electio eſt valida & ſuſtinenda.

Dub. 2. *An electio tota corruat, quando ſolùm unus vel alter eligentium eſt excommunicatus vitandus?*

℞. 1. Si detractis excommunicatorum votis non ſuperſint ſufficientia ad electionem complendam, eſt electio invalida; quia vota excommunicatorum ſunt nulla; ergo non debent computari: ergo electus, ut vi Electionis conſequatur jus, debet aliunde vota habere ſufficientia. Hinc ſi Eligentium

tium eſſent tredecim, unus autem ex illis excommunicatus vitandus; ſi ex iſtis tredecim, ſeptem (inter quos eſt excommunicatus) conſenſiſſent in Hormiſdam, reliqui ſex in Vigilium, Electio foret irrita, quia neutra pars haberet ultra votorum medietatem.

℞. 2. Quando detractis excommunicatorum votis ſuperſunt vota ſufficientia, ſed Electores *ſcienter* admiſerunt excommunicatos, cùm eos poſſent repellere, totus actus in odium iſtius communicationis prohibitæ cenſetur *ipſo Jure* irritus, ut colligunt DD. ex *cap. Maſſana de Elect.* & *cap. ult. de Procurat.* Ita Suarez Navarrus, Barboſa &c. contra Layman. *p.* 1. *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 13. & cœteros docentes talem electionem eſſe ſolùm *irritandam.* Ratio noſtra eſt: Electores cum tali in electione communicantes cooperantur illi in eo, quod vi excommunicationis ipſi inhibetur; ergo etiam ipſos Electores excommunicatio afficit, & eorum actum vitiat, *Arg. c. fin. de Procurat.*

Si excommunicati admiſſi ſint *ignoranter*; vel etiam ſcienter at *ex vi vel metu gravi incuſſo*, Electio ſubſiſtit; conſulitur tamen ut fiat proteſtatio contra excommunicatos coëligentes, quòd non ſit voluntas, quantum eſt ex parte innocentum, conſentiendi in communicationem cum illis. Ratio: Excommunicatio debet ſoli excommunicato, & non aliis innocentibus nocere: ergo etiam ſolum excommunicatorum votum corruit, aliorum votis in vigore ſuo permanentibus; ergo etiam iſta vota poſſunt ſortiri effectum excuſante vi vel ignorantiâ.

℞. 3.

℞. 3. In dubio, an aliqui ex Electoribus, ſint excommunicati vitandi, non irritatur electio, ſi ii, de quibus dubitatur, admittantur cum proteſtatione, quòd non ſit intentio excludendi admittendos, vel admittendi excludendos.

Obſerva: Licèt Notorius excommunicatus non toleratus careat voce activâ tam in ſcrutinio, quàm compromiſſo, *c. conſtitutis de appellat.* Hoc tamen non habet locum in Electione ſummi Pontificis, etſi omnes Cardinales eſſent excommunicati, ut nimirum vitetur ſchiſma; ita ordinavit Gregorius XV. *in Conſtit. ſua Æterni Patris.*

Dub. 3. *Si excommunicatus toleratus non poſſet ſine gravi ſcandalo vel periculo expelli ab electione an ſufficiat dictam proteſtationem interponere, ita ut in hoc caſu alii Electores non teneantur à Capitulo exire, ut alibi vel alio tempore eligant, etſi non inſtet terminus Juris Electioni præfixus.*

℞. Sufficit: quia alii Electores innocentes habent jus eligendi, quando eis bonum videbitur, quod ob culpam alterius non debent negligere. Neque tenetur quis domo ſuâ exire, vel negotia ſua relinquere, ſi excommunicatum nequeat à ſe repellere.

Dub. 4. *An dicta proteſtatio debeat neceſſariò fieri publicè?*

℞. Si publicè fieri poſſit, per ſe loquendo ita fieri deberet: cum enim Electio ſit actus vel publicus vel publicandus, etiam publicè eſſent excludendi, qui per Jura à tali actu arcentur. Si verò abſque incommodo notabili publicè fieri non valeat, ſufficiet fieri occultè, adhibitis tamen ſufficientibus teſtibus, ut probari poſſit.

Dub. 5. *An ſi excommunicatio unius ſit quidem occulta, ita tamen, ut alii Electores de illa ſint certi, poſſintque illam in judicio probare: an inquam talis excommunicatus poſſit vi ab Electione expelli, ut nequeat pro electione caſſanda agere:*

℟, Non debet quidem talis neceſſariò ad Electionem vocari, ut habet Innocentius *in cap. In literis de Reſtit. ſpoliat.* quia reliqui non excommunicati poſſunt licitè nolle cum tali communicare: Non tamen poteſt vi ab electione ejici, aliàs electio in odium ejicientium erit caſſanda: quia licet prædo injuſtè poſſideat ſpolium, non tamen poteſt auctoritate privatâ hac ſuâ poſſeſſione ſpoliari, ut patet ex toto *tit. de Reſtit. ſpoliat.* ergo nec excommunicatus dictus (cùm ſit adhuc in poſſeſſio- Juris eligendi, etſi in aliquo ſenſu hæc poſſeſſio fortè injuſta dici poſſet) poterit auctoritate privatâ illâ poſſeſſione ſpoliari, antequàm ſit per ſententiam declaratus. Unde reliqui Electores ſecuriùs agent, ſi contra talem excommunicatum nolentem exire, non utantur expulſione reali violentâ, ſed proteſtationibus; vel procurent, ut per Superiorem declaretur privatus voce activa. Leurenius *Fori. Benef. Tom. 2. q. 275.*

Obſerva. Quæ dicta ſunt de Excommunicationis denunciatione, cum proportione de ſuſpenſis & perſonaliter interdictis ſunt intelligenda. Cùm enim extravagans Martini V. *Ad evitandum*, Loquatur univerſaliter de omni Cenſura Eccleſiaſtica: diſtinctio illa *tolerati & non tolerati* omnibus eſt applicanda.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An Irregulares validè poſſint eligere?

℞. Quando Irregularitas non provenit ex delicto, poſſunt Irregulares validè eligere, quia Irregularitas non auffert officium & juriſdictionem, ac ea, quæ ad juriſdictionem revocantur: ſed jus eligendi eſt actus officii: ergo. Secus eſt, ſi irregularitas ſit ex delicto, ut habetur expreſſè *cap. Is qui* 18. §. *is verò. de Sent. Excom. in* 6. Debet tamen hoc poſtremum intelligi non de irregularibus toleratis, ſed de nominatim declaratis, & notoriis, conformiter ad dicta quæſtione præcedenti, & ad Conſtitutionem Martini V. incip. *Ad evitandum* infra *q.* 6. allegandam. Conantur quidem aliqui cum Suarez. *Diſp.* 40. *de Cenſuris, ſect.* 2. *n.* 27. dictum *cap. Is qui.* Explicare de ſola privatione vocis activæ non paſſivæ: Verùm longè communior eſt ſententia oppoſita, cui favet litera textûs: Ibi. *Is verò, qui ſcienter in loco celebrat ſuppoſito interdicto (niſi ſuper hoc privilegiatus exiſtat, aut à Jure ſit conceſſum eidem) irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari: & adeò efficitur ineligibilis, quòd nec ad eligendum cum aliis debebit admitti.* Ita ibi. Ex dictis,

Infer. Si quis ſive ante, ſive poſt Clericatum ſecutus ſit militiam in bello *Injuſto*, etſi non pugnet propriâ manu, ſed agat Belliducem, Generalem, vel etiam Prædicatorem Caſtrenſem qui exhortando milites animet, dummodo vel unus ſive ex militibus ſuis, ſive ex adverſariis occidatur vel

mu-

Digitized by Google

mutiletur, fit irregularis, & quidem ex delicto, adeoque eſt ineligibilis, juxta *d. c. Is qui* §. *is verò.*

Si in Bello *juſto* tam offenſivo quàm defenſivo, quod poterat vitare, aliquem occidat ante ſtatum Clericalem ſuſceptum, fiet quidem irregularis, non tamen ineligibilis, nec privatus voce *activâ* cùm hæc irregularitas non ſit ex delicto. Si faciat hoc poſt ſtatum Clericalem, occidendo propriâ manu, vel mutilando (non autem ſolùm vulnerando) fiet irregularis & ineligibilis activè & paſſivè; quia tunc iſta irregularitas non caret prævio delicto. Eſt enim omnibus perſonis Eccleſiaſticis prohibitum ſine extrema neceſſitate, vel conceſſione Pontificia pugnare propriâ manu. Secus eſt, ſi perſona Eccleſiaſtica ſequatur militiam in qualitate Generalis vel Prædicatoris Caſtrenſis qui ſolùm adhortando, generatim animaret milites ad pugnandum & occidendum; non tamen propria manu aliquem occideret vel mutilaret, neque quenquam in particulari occidi juberet, ut concedunt DD. paſſim ex communi praxi, & *cap. Petitio. de Homicidio.*

Si quis Apoſtata contra Obedientiam ſequeretur militiam, occidendo vel mutilando tam voluntariè, quàm quaſi fortuitò, ſemper redditur irregularis & ineligibilis, quia non caret delicto: ſequendo enim militiam contra Obedientiam dat operam rei illicitæ, cui prævidetur ſubeſſe periculum propinquum homicidiorum: At qui dat operam rei illicitæ & ſimul periculoſæ propter probabile periculum homicidii, quod ei hic & nunc poteſt & præſcitur eſſe connexum, fit commiſſo

fortuitò

fortuitò homicidio irregularis, etſi adhibuerit debitam diligentiam, ad homicidium cavendum ut habet communis DD. cum Sayro *Lib. 7. c. 6. n.* 13. Coninck *Diſp.* 18. *n*. 80. &c. Tunc enim effectus ſecutus tali eſt moraliter voluntarius, ſaltem indirectè & in cauſa.

Excipe eum, qui in Apoſtaſia à Religioſo Ordine ſecutus militiam, ſpecialiter à quodam fuit impeditus & quæſitus ad mortem: tunc enim, ſi cum moderamine inculpatæ tutelæ adverſarium ſuum occidat, probabiliter ab irregularitate, & hanc ſubſequentibus pœnis poteſt excuſari: quamvis enim deliquerit apoſtatando, & militiæ contra obedientiam ſe committendo, invaſus tamen licitè ſe defendit, ergo cum Jura generaliter ab irregularitate habeant immunem eum, qui ſe juſtè defendendo, aliquem occidit. *Clam. ſi furioſus de homicidio.* Etiam Religioſus ab Ordine apoſtata, ſe defendendo adverſarium occidens, ab irregularitate immunis dicendus erit. Pro hac reſponſione faciunt omnes, qui cum Suarez *in 3. p. Tom.* 5. *Diſp.* 46. *Sect.* 1. *n.* 11. & aliis docent, quòd adulter cum adultera inventus, ſi à marito legitimo in vita invadatur, & cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendens maritum occidat, ſit ab irregularitate immunis: ſicut enim iſte adulter peccat ſolùm violando thorum alterius, & frangendo fidem matrimonialem, non autem ſe defendendo contra aggreſſorem vitæ ſuæ: ſic ille apoſtata peccat ſolùm apoſtatando à ſuo Ordine Religioſo, & contra obedientiam ſe committendo militiæ, non autem ſe defendendo contra ſpecialem aggreſſorem.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An Electio facta ab Acatholicis ſit rata & valida?

℞. Negativè, loquendo de *Eccleſiaſtica* Electione, ut exprimitur *c. Mos in hominem. IX. q.* 1. Aliud eſt de Electione ſæculari, ut patet in Electionibus Imperatorum, ad quas activè per vota concurrunt Electores Achatolici. Quoad hoc in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ *art.* 5. §. 16. *die* 24. *Oct.* 1648. eſt aliqua innovatio facta; Ibi: *In omnibus Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus & reliquis fundationibus immediatis, Jura eligendi & poſtulandi juxta cujuſque loci conſuetudines & ſtatuta antiqua, illibata maneant, quatenus illa Imperii Conſtitutionibus, Tranſactioni Paſſavienſi, Paci Religioſæ, & imprimis huic Declarationi & tranſactioni ſunt conformia, & intuitu Archiepiſcopatuum & Epiſcopatuum Auguſtanæ Confeſſioni addictis permanentium, ea nihil in ſe contineant illi Confeſſioni adverſum, ſicut etiam pariter in Epiſcopatibus & Eccleſiis, in quibus Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis Ordinibus mixta jura admittuntur, ſtatutis antiquis nihil de novo admiſceatur, quod Catholicorum vel Auguſtanæ Confeſſioni addictorum conſcientiam & cauſam pro cujuſque parte lædere, eorumvè jus imminuere poſſit.* Ita ibi.

QUÆSTIO VI.

Quando criminoſi fiant ad vocem activam inhabiles?

℞. Quamdiu non ſunt declarati ut criminoſi, poſſunt ſemper validè eligere. Sequitur ex ſæpe citata

citata conſtitutione Martini V. quam juvat ad verbum recenſere: *Ad evitandum Scandalum & multa pericula, quæ conſcientiis timoratis contingere poſſunt, Chriſti fidelibus tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicujus Sacramentorum adminiſtratione vel receptione, aut aliis quibuſcunque Divinis, intus & extra, prætextu cujuſcunque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, à jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare: niſi ſententia & cenſura hujuſmodi fuerit lata contra Perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiæ communitatem, vel locum certum vel certam, à Judice publicata vel denunciata ſpecialiter & expreſsè: Conſtitutionibus Apoſtolicis & aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque; Salvo, ſi quem pro ſacrilega manuum injectione in Clericum, ſententiam latam à Canone adeò notoriè conſtiterit incidiſſe, quòd factum non poſſit aliquâ tergiverſatione celari. nec aliquo ſuffragio excuſari: nam à communione illius, licèt denunciatus non fuerit, volumus abſtineri, juxta Canonicas ſanctiones.* Ex his ſic arguo: Generatim, nemo tenetur à communione alicujus, tam in Sacramentorum perceptione, quàm aliis quibuſcunque Divinis prætextu cujuſcunque ſententiæ aut cenſuræ vitare, niſi ſententia fuerit denunciata ſpecialiter & expreſsè. Ergo neque tenebitur quiſpiam criminoſum in actu communi & capitulari Electionis vitare, niſi poſt ſententiam ſpecialiter denunciatam & expreſſam.

Digitized by Google

QUÆSTIO VII.

An ſint capaces eligendi activè, qui pœnitentiatos promovent ad gradus vel Officia?

℞. Illi, qui ad gradus vel Officia promovent eos, quibus pro delictis ad S. Inquiſitionis Officium ſpectantibns aliquod pœnitentiæ genus impoſitum fuerit, *ſalutaribus pœnitentiis exceptis*, privantur voce activâ & paſſivâ. Et hæc pœna incurritur *ipſo facto*, nec ad vocem activam & paſſivam, vel alia officia priùs habita poſſunt reſtitui, niſi à Summo Pontifice, vel S. Congregatione coram Pontifice habenda. Ita Urbanus VIII. *in Decreto feriâ V. 1. Octob. 1626. edito.* Cenſentur autem *pœnitentia ſalutares*, quæ extrajudicialiter imponuntur, & privatim perſolvuntur, v. g. jejunia, diſciplinæ, recitationes Pſalmorum, reprehenſiones, admonitiones & correctiones paternæ, etiam in Officio ſacræ Inquiſitionis fieri ſolitæ.

QUÆSTIO VIII.

An & quando Electores poſſint per ſubſtitutum Procuratorem eligere?

℞. 1. Quando Elector eſt *legitimè* abſens & impeditus, poteſt Procuratorem ſubſtituere, qui loco ſui det in electione ſuffragium, *c. Quia propter. 42. de Elect. & cap. 46. eod. in 6.*

℞. 2. Elector præſens & *non legitimè* impeditus, Procuratorem ſubſtituendi facultatem non

habet: quia Jura allegata concedentia poteſtatem ſubſtituendi, ſemper loquuntur de intereſſe nequeuntibus, quales non ſunt ii, qui non ſunt legitimè impediti: Imò *d. cap.* 46. expreſsè fit mentio *juſti impedimenti:* ibi: *Si quis juſto impedimento detentus in electionis negotio nequeat commodè intereſſe.* Hoc tamen Wagnereck *in d. cap.* 46. ſolùm admittit, ſi quis Capitulo invito Procuratorem conſtitueret: Unde Capitulo conſentiente poſſet etiam non legitimè impeditus Procuratorem conſtituere. Probat *ex cap. Scriptum eſt* 40. *de Elect.* ſtatuente, quòd valeat electio, *ſi conſtiterit mutuo conveniſſe conſenſu, quòd ad electionem Patriarchæ ſeptem admittererentur Præpoſiti, ſive per ſe ipſos, ſive per alios.* Ubi inter impeditos & non impeditos nulla fit diſtinctio. Cenſentur autem impedimenta legitima & juſta: Imminens bellum, peſtis, vel alia contagio, inimicitiæ Capitales, infirmitas Electoris, aut ſi is ſit vocatus ad tribunal majus &c.

℞. 3. Elector abſens conſtituens Procuratorem, debet de legitimo impedimento fidem facere juratam, ſi Capitulum petierit, *d. c. Quia propter.* §. *Illud autem.* Unde Procuratori aſſerenti legitimum impedimentum ſui Principalis non debet credi, niſi ad juramdum ſuper impedimento mandatum produxerit, teſte Mandagot, *de Elect. cap.* 11. & cœteris communiter. Multis tamen eſt veriſimile, quòd ipſum impedimentum ſui Principalis non teneatur Procurator coram Capitulo expreſsè & in ſpecie proponere; quia nullibi de hoc reperitur lex vel Canon præceptivus.

℞. 4. Debet Procurator eſſe de Collegio vel numero eorum, qui habent jus vocis activæ, *de c. quia propter. junct. gl. V. venire.* Quòd ſi tamen nullus de Capituli gremio onus procurandi acceptare vellet, non prohibetur Elector legitimè impeditus aſſumere extraneum, qui aliàs ſit idoneus; dummodò in ipſum conſentiat Capitulum, & ſtatuta particularia, vel conſuetudo legitima non contrarientur. Si enim ex Jure communi Jus eligendi activè poſſit communicari extraneis, *c. Scriptum.* & *c. cauſam de Elect.* cur non poſſet ſic communicari Jus Procuratorem agendi in electione activâ? Unde aliqui formant hanc regulam, quòd Procurator poſſit eſſe vel de gremio, vel extraneus, ita tamen, ut ſi ſit de gremio, Capitulum teneatur illum admittere: ſi ſit extraneus, Capitulum poſſit, non tamen teneatur illum acceptare, *arg. c. ſi quis juſto.* 46. §. *abſens. de Elect. in* 6. Quòd verò Capitulum non teneatur Procuratorem extraneum admittere, ne quidem in caſu, quo nullus de gremio vel Collegio Procuratorium vult ſuſcipere, tenent Barboſa, Paſſerinus & cæteri cum Leurenio, *Fori benef. tom.* 2. *q.* 266. *n.* 21. quia etiam in aliis actibus per Univerſitatem vel Capitulum gerendis non tenetur Capitulum Procuratorem extraneum admittere: adeoque ſibi vel infortunio abſens Elector imputare debet, quòd nullnm invenire poſſit, qui à ſe Procuratorium acceptet. Si tamen id fieret per fraudem vel conjurationem, poſſet abſens de injuria & contemptu conqueri, petereque, ut electio reſcindatur; cùm omnis fraus ab Electionibus abeſſe debeat, *c. cùm Dilectus. de Elect.* Leurenius *loc. cit.*

Digitized by Google

Si neque ex Capitularibus quiſquam acceptare mandatum vel onus Procuratorium, neque Capitulum vellet admittere extraneum, Elector abſens needum per literas votum ſuum poſſet exprimere: quia vota non ante, ſed in Scrutinio ſunt expromenda: *c. ſi quis. 46. §. abſens. de Elect. in 6.* Unde vides talem per accidens privari jure dandi vocem ſuam activam. Neque hoc difficile vel nimium videri poteſt, quia etiam ille, qui eſt in loco tam longè diſſito, ut non debeat inde evocari, per accidens impeditur à danda voce activa, licet abſque culpa, imò ex cauſa neceſſaria ad locum tam longè diſſitum perrexerit: ergo etiam non debet dici nimium, ſi legitimè impeditus abſque ſua culpa dicatur impediri per accidens à danda voce activa. Si aliquis Ordo vel Capitulum haberet Statuta ſpecialiter approbata, quibus votum abſentis & legitimè impediti per literas tranſmiſſum permittatur, debet tolerari.

℞. 5. Debet etiam Procurator *ex Jure communi* eſſe in ſacris conſtitutus, ut ſupra *q. 2.* dictum de Electoribus ipſis & ratio eſt: quia *Clem. 2. de ætat. & qualit. & Ordine præficiendorum*, dicitur illimitatè, quòd nullus in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis, tam ſæcularibus, quàm Regularibus *vocem in Capitulo habeat, (etiamſi hoc ſibi liberè ab aliis concedatur) niſi ſaltem in Subdiaconatûs Ordine fuerit conſtitutus.* Dixi: *Ex Jure communi.* ſi enim in aliqua Religione vi Statutorum vel fundationis (de quibus *d. q. 2. hâc ſect. 2.*) poſſit ad electionem activam admitti non-Subdiaconus, poterit quoque non-Subdiaconus admitti ad ſuſtinendum partes Procuratoris. Imò in S. Ord. Capuc. ex indulto Pii V. refe-

Digitized by Google

referuntur tanquam Procuratores admitti Profeſſi Laici.

℞. 6. Legitimè impeditus poteſt non tantùm unum, ſed & plures Procuratores conſtituere, dum tamen eorum cuilibet det poteſtatem in ſolidum: Et erit tunc melior conditio primò occupantis. Dicitur autem primò occupare, qui primò coram Capitulo comparet cum procuratorio, & petit admitti. Si ambo concurrant, & ſimul poſtulent admitti, eos audire non expedit, quia poſſet contingere, ut vota ſua dirigant in diverſos, ſicque neſciretur utrius votum ſit præferendum; adeoque propter incertitudinem, totum, quod aliis Procuratoribus eſt actum, careret valore, juxta dicta *ſect.* 1. *q.* 23. Deberet ergo in caſu poſito admitti ſolus ille Procurator, quem major Capituli pars elegerit: vel ſi ipſum Capitulum eſſet diſcors, quibuſdam in hunc, quibuſdam in alterum Procuratorem conſentientibus, is qui prior in Procuratorio eſt nominatus, præferendus eſſet. Si nullus duorum Procuratorum in ſolidum fuerit deputatus propter periculum in certitudinis votorum, neuter neceſſariò eſt admittendus, ſibique debet imputare, qui eos ita indiſcretè inſtituit.

Porrò: Quando unus Procurator de gremio ſimpliciter eſt conſtitutus, ſi is unum ſuo, alterum Principalis ſui nomine in Scrutinio nominandum duxerit, utrumque votum eſt irritum, & nihil agit; niſi de certa perſona eligenda ſibi Dominus vel Principalis ſpeciale mandatum dederit: tunc enim in illam ſibi demandatam Principalis, & in aliam ſuo nomine licitè poterit conſentire. Totum hoc eſt expreſſum *cap. ſi quis.* 46. *de Elect. in* 6.

 Hodiè

Digitized by Google

Hodiè verò poſt Concilium Tridentinum *Seſſ. 25. de Regul. c. 6.* in Electionibus Regularium debet mandatum procuratorium dari ſolùm generaliter, ita ut nulla perſona eligenda Procuratori determinetur: quia determinatâ unâ tali perſonâ eligendâ, votum unius Electoris alteri ſub Scrutinio innoteſceret, quod eſt contra Scrutinii Secretum.

Si Procuror conſentiret in diverſos, vel votum daret pro diverſis, eligendo Capitularem A. nomine ſuo, & Capitularem B. nomine Principalis, electio in valore nullum propterea patiatur detrimentum. Licèt enim *d. c. ſi quis. 46.* dicatur, illum Procuratorem nihil agere, adeoque ipſius votum eſſe nullum, ſi diverſos nominet, non tamen propterea tota electio debet dici nulla, quia ſæpius poteſt votum alicujus annullari, vel potiùs nullum declarari, electione permanente in ſuo robore; ut patet in caſu, quo excommunicatus vel cenſuris innodatus, inſciis electoribus dediſſet votum quod poteſt declarari nullum abſque detrimento electionis. Quòd verò Procurator in hoc caſu dividens ſua vota, agat illicitè, ex eo infertur, quia quâ ratione tenetur eligere digniorem nomine ſuo, eâdem ratione tenetur nomine Principalis. Vide Dianam *p. 1. tr. 3. de Comitiis ſeu Parlam. reſol.* 10. Quando Conc. Trid. *l. c.* in Electionibus Regularium videtur Procuratores reſpuere non eſt ſenſus, quaſi eos ſimpliciter & abſolutè rejiciat, ſi ab abſentibus modo legitimo conſtituantur: ſed ſolùm cavet, ne Superiores auctoritate propriâ conſtituant Procuratores, vel ſuppleant voces abſentium, ipſis inſciis & non conſentientibus; idq; ideò ne ſupplendo poſſint pro libitu præficere,

quem

Digitized by Google

quem volunt. Unde etiam ſacra Congregatio Cardinalium in eundem locum declaravit, quòd vi illius *Cap.* 6. non ſit prohibitum Superioribus Ordinum, ut aliquem fratrem idoneum ſui loco delegent, vel mittant ad Capituli Generalis celebrationem, ut ſuo nomine electionem faciat, dummodò ex inſtitutis & decretis Religionis ſuæ liceat ſuperioribus abſentibus & legitimè impeditis mittere alium ad Capitulum Generale, qui ſuo loco & nomine in electione ſuffragium ferat. Hucuſq; S. Congregatio.

Obſerva. Licèt Canonicus abſens (dum nullus ex Capitulo pro ipſo eligendi mandatum vel onus procuratorium admittere, aut dum Capitulum nullum extraneum vult ſuſcipere, qui Procuratorem agat) non poſſit ſuffragium ſuum per litteras exprimere, ut ſupra.

℞. 4. dictum eſt *ex c. ſi quis.* 46. §. *abſens de Elect. in* 6. Nihilominùs Layman *in d. c. ſi quis num.* 3. Docet, quòd in Electionibus v. g. Regularium, in quibus forma ſcrutinii exactè non ſervatur, ſed ſchedulæ obſignatæ in unam conjiciuntur, nihil obſtet, quò minùs ſuffragium ita ſcriptum ab abſente vel infirmitate detento mittatur ad Capitulum. Ita ille; quod etiam allegatum eſt *Sect.* 1. *q.* 6 §. 8 *dub* 1.

Dub. 1. *An Procurator ad Electionem conſtitutus poſſit ſubdelegare ſibi alium?*

℞. Sub diſtinctione ſi Procurator habeat *ſpeciale* mandatum de certa perſona eligenda, poteſt alium ſibi ſubdelegare: Cùm enim determinatus à mandante eligi debeat, hinc fines mandati à ſubſtituto excedi nequeunt, adeoque Procurator ſubſtitu-

Digitized by Google

endo nec ſuo Principali, nec Electoribus præjudicat. At ſi Procurator ſit inſtitutus cum mandato generali, cenſetur in ipſo electa induſtria perſonæ, adeoque ſubſtituere non poterit alium. Pirhing. *ad tit. de Elect. n.* 150. ex *Gl. in c. ſi quis juſto. v. de certa.*

Dub. 2. *Quâ forma Procurator procedere valeat, an ſolius ſcrutinii, an etiam compromiſſi?*

℞. Eodem modo ſub diſtinctione: ſi habeat *ſpeciale* mandatum, non poteſt aliâ viâ procedere, quàm in procuratorio indicetur: Unde ſi perſona eligibilis in eo ſit expreſſa, debet ſolùm viâ ſcrutinii procedere: hæc enim ſola videtur demandata. Si habeat mandatum *generale*, poteſt procedere tam viâ ſcrutinii, quàm compromiſſi; cùm conſtitutus indefinitè totum jus mandantis in ſe translatum habere videatur, *arg. c. Venerabili de Offic. Jud. de leg.* ergo ſicut mandans potuit utrâlibet via procedere, ſic poterit idem facere Mandatarius Procurator. Leurenius *Fori Benef. Tom.* 2. *q.* 267. *n.* 3.

Dub. 3. *An & quomodo mortuo Principali poteſtas Procuratoris exſpiret?*

℞. Si ante Electionem vel datum votum mors hæc innoteſcat, debet utique Procurator à commiſſione ſibi facta deſiſtere: at ſi mors ab Electoribus ignoretur tenet Electio facta cum hoc Procuratorio: teſte Leurenio *l. c. n.* 4. cum Tamburino, Archi-Diacono &c.

QUÆSTIO IX.

Quomodò contemptus alicujus habentis vocem activam inficiat electionem?

℞. Quod

℟. Quòd nullus habentium vocem activam poſſit contemni, hoc eſt præteriri, ſed omnium, qui volunt & poſſunt Electioni legitimè intereſſe, vota neceſſariò ſint exquirenda, dictum eſt. *Sect.* 1. *q.*6.§.2. & præcipuè *Dub.* 11. ubi diſcuſſa eſt quæſtio, an & quomodò Electio contemptis ſive non vocatis aliquibus ſubſiſtat vel poſſit impugnari? Quæ relege, & ſequentia Obſerva:

Primò. Si Elector præſens antecedenter declaret, non eſſe mentis ſuæ ſuffragari, non tantùm non per quirendum eſſet ipſius ſuffragium, ſed & ex Congregatione eſſet expellendus, niſi Capitulares ipſum per modum teſtis malint ſuſtinere.

Secundò: Ut electio reſcindatur ex hoc titulo, quòd aliquis ad electionem non fuerit vocatus, debet contemptum paſſus reclamare, & à Superiore petere, ut res ponatur in ſtatum priſtinum: ſecus: tacendo conſentire præſumetur, *cap.* 43. *de R. I. in* 6.

Hæc reclamatio fieri poteſt etiam poſt Confirmationem Electioni appoſitam, ut loquitur Summarium *in cap. Quod ſicut.* 28. *De Elect.* ibi. *Nominatio vel appellatio ejus, cujus non intereſt, electionem non impedit: ſed ſi vocandus contemnitur, eo proſequente contemptum, caſſatur electio, etiam confirmata, & poteſt proſequi, niſi conſenſerit electioni, quod potoſt etiam ex poſt facto.* Ita ibi.

Quod intellige, ſi contemptum paſſus ex juſta cauſa non comparuerit, vel non contradixerit, quando edictum pro Confirmatione fuit emiſſum: Si enim tunc tacuerit, cùm contradicere potuiſſet videtur conſentire, adeoque non erit exinceps audiendus.

Porrò:

Digitized by Google

Porrò: Contemptum paſſus ratificando electionem habitam, voto ſuo numerum eligentium augere nequit; quia ut votum augeat numerum, debet eſſe validum: ratificatio autem non poteſt eſſe votum validum, cùm non detur in Capitulo congregato, nec ſub ſcrutinio, ſed omnibus votis jam publicatis. Neque poteſt facere, ut electio de ſe ipſo jure nulla incipiat valere; quia conſentiendo non eligit, ſed duntaxat injuriam ſibi illatam dimittit.

Denique jus excipiendi contra dictam electionem competit ſoli contempto, & hoc acquieſcente alii litem movere non poſſunt, teſte Lezanâ *in Summa qq. Regul. Tom. 3. v. Electio. n. 6.* Ratio eſt: quia jus excipiendi contra electionem dictam oritur occaſione injuriæ illatæ, quæ non egreditur perſonam contempti.

Dub. 1. *Ad quem ſpectet jus eligendi de novo, quando ob alicujus contemptum caſſatur electio præcedens?*

℞. Ex Jure communi relabitur ad totum Capitulum, *cap. Bonamemoria. 36. dè Elect.* Nullibi quippe reperitur hæc pœna expreſſa, quòd contemptum inferentes ſint privati vel privandi Jure eligendi, ut ſic hoc jus ad ſolos contemptos, vel contemptui non cooperantes devolvatur. Neque enim vocatio abſentium omnium eſt de forma ſubſtanciali electionis; alioquin ſtatim ab initio electio in radice eſſet nulla, quod ſupra *Sect. 1. q. 6. §. 2. dub. 11.* jam negatum fuit. Neque *cap. Quiapropter:* habet quidquam *de omnium convocatione*, ſed ſolùm de perquirendis omnium præſentium votis,

& quæ

& quæ deinceps ſequuntur. Ergo ſignum eſt, quòd licet convocatio omnium ſit de *juſtitia* non tamen ſit de Electionis *ſubſtantia*.

Dixi: *Ex jure communi*: ſi enim ad inſtantiam contemptorum apud Sedem Apoſtolicam, & authoritate Apoſtolicâ electio illa caſſetur, Jure Concordatorum Germaniæ §. 1. tales Eccleſiæ ex tunc ſpectant ad diſpoſitionem & Proviſionem Sedis Apoſtolicæ, ut allegatur infra *de Poſtulatione*, *q.* 27. ergo jus eligendi non relabitur ad Capitulum inſpecto hoc Jure ſpeciali.

Dub. 2. *An ſuperior (præcipuè Regularium) prohibere poſſit ſuo ſubdito ad Electionem non vocato, ne agat de contemptu?*

℟. Negativè: Quia Jure communi omnibus Eccleſiaſticis, etiam Regularibus conceſſum eſt agere de contemptu, ſi ad electionem non vocentur: nullus autem ſuperior, nequidem Generalis (utpote inferior Papâ Canonum Conditore) poteſt auferre id, quod ſuis ſubditis Jure communi eſt conceſſum, nec particularibus conſtitutionibus vel propriâ renunciatione denuo ſublatum. Ita ſuffragante conſuetudine habet Gloſſa *in cap. Quod ſicut. v. conſentire de Elect.* Donatus *in Praxi Regular. Tom. 2. p. 1. tr. 4. q. 21. n. 6.* cum communi ex parte contra Paſſerinum, qui hoc admittit, ſi ſuperior procedat ut Judex: ſecus vult eſſe, ſi ſuperior agat ut Prælatus; tunc enim putat ipſum in vim poteſtatis, quem habet ex voto obedientiæ, poſſe ex juſta cauſa ſubdito agenti de contemptu imponere ſilentium. Verùm huic ſententiæ opponi poteſt, quòd ſubditus volens agere de contemptu,

ipſo

ipſo facto videatur implorare officium Judicis, & velle procedere viâ Juris. Ergo illa poteſtas, quàm Snperior prætendit ut Prælatus, non videtur poſſe habere efficaciam.

Nec obſtat, quòd Religioſus nec habeat velle nec nolle, ſed pro mortuo reputetur: ergo non apparet, quomodò ſuperiore ſuo invito poſſit de contemptu agere.

℞. Antecedens non eſt abſolutè & illimitatè verum: ſiquidem Religioſus verè eſt capax Jurium quorundam ſpiritualium nomine proprio, quatenus ipſe eſt membrum Religionis poſſidendorum, qualia ſunt jura vocis activæ & paſſivæ in Capitulo, quibus ipſe invitus per ſuperiorem non poteſt ſpoliari, poteſt tamen volens illis renunciare: ergo Religioſus circa iſta ſpiritualia habet velle & nolle. Præterea licet Religioſus per Profeſſionem dicatur Mundo mortuus quoad propriam voluntatem, quoad ea tamen, quæ ſibi à Regula & Statutis Ordinis ſunt, permiſſa, non dicitur mortuus ſed vivus. Unde etiam P. Engel *ad tit. de Regularibus & Tranſeuntibus ad Religionem. n.* 33. Simpliciter negat, quòd Religioſus profeſſas propriè ſit Mundo mortuus *civiliter*, id eſt, quoad effectus Juris Civilis.

Dub. 3. *Ad quem ſpectet onus probandi aliquem eſſe contemptum vel non vocatum?*

℞. Non ſpectat ad illum, qui dicit ſe eſſe contemptum: quia præſumptio ſtat pro ipſo, quòd non emanſurus fuiſſet, ſi vocatus fuiſſet: Nemo enim præſumitur negligere, quod ſui juris eſt. Spectat ergo ad Capitulum, vel illum cui aliàs incumbit

bit convocatio Electorum. Probatur autem ſufficienter per dictum nuncii jurati, vel juratò affirmantis ſe vocâſſe.

Docet quoque Paſſerinus apud Leurenium *Fori Benef. Tom. 2. q. 31.* quòd ſi Præſes ex parte ſua bonâ fide, more & modo conſueto citârit vocandum, etſi citatio reipsâ adhunc non pervenerit, eò quòd nimirum literæ citatoriæ perierint, aut ab aliquo fuerint interceptæ, vel nuncius malitiosè citationem non inſinuarit vocando, non poſſit iſte poſteà agere de contemptu, eò quòd is, qui vocari debuit, non fuerit ab Electoribus ipſis contemptus, aut ab illis paſſus injuriam, ſed ad ſummum ab aliquo tertio.

Debet ergo ſatisfactionem petere ab iniquo nuncio, vel detentore literarum, aut infortunio aſcribere, quòd citationem non acceperit: contra Electores autem, utpote in hoc puncto inculpatos non habet cauſam conquerendi vel actionem inſtituendi.

QUÆSTIO X.

An & quouſque Electores poſſint ſuffragium mutare?

℟. 1. Publicato ſcrutinio, poſt quòd communis electio fieri poſſet, non poſſunt Electores variare. Eſt expreſſum *c. Publicato 50. de Elect.* Si poſt primum ſcrutinium Electio communis fieri non poſſet (ut evenit, quando nullus accepit vota ultra medietatem Capituli) variare non prohibentur: Debent enim procedere ad ſecundum ſcrutinium.

℟. 2.

℞. 2. Nec poſſunt variare, quando ſchedas ſuas jam injecerunt in calicem vel aliud vaſculum ad id præparatum. Ratio: Nemo poteſt conſilium ſuum mutare in præjudicium aliorum *L Nemo. ff. de re judicata:* Sed ſi Elector in caſu poſito poſſet mutare, mutaret conſilium ſuum in præjudicium aliorum coëligentium, & pateret locus fraudibus, dolis & juriis cum inquietudine coëligentium: ergo.

℞. 3. Si publicato ſcrutinio appareat, eum, in quem majora invenerant, eſſe ipſo Jure ineligibilem, poſſunt Electores variare, & alium eligere. Neque enim debent ſe & Eccleſiam vexare mora inutili atque ſuperfluis ſumptibus. Idem eſt, ſi Electio ex alio capite eſſet evidenter nulla ipſo jure: v.g. quia nullus haberet majora: aut ſi electus ſuo juri renunciarit: nam eadem militat ratio. Quòd ſi Electio eſſet ſolùm *irritanda*, vel dependeret à conſenſu & ratificatione alicujus tertii contempti, non poſſunt Electores marte proprio variare, & ad ſecundam electionem tranſire: quia Superior legitimus poteſt aliquando in defectu (ob quem electio eſſet irritanda) diſpenſare: aut contemptus ex poſt ratificare conſentiendo electioni factæ: quibus poſitis electio facta firmitatis robur accipiet independenter à novo Conſenſu Capituli eligentis. Wagnereck *in d. c. Publicato. Nota. III.*

Obſerva. 1. A contrario, ante Scrutinii publicationem Electores variare non prohibentur, ut notat Fagnanius *in cap. publicato. n. 52. de Elect.* cum communi. Ex ratione, quòd Jura, dum varia-

tio-

tionem negant, faciant mentionem factæ publicationis Scrutinii: ergo cum à contrario ſenſu petitum argumentum ſit in Jure validum & forte, *Gl. in cap. cum Apoſtolica v. datur intelligi. De his, quæ fiunt à Prælato.* Rectè inferre licet, quòd hâc publicatione nondum factâ variare liceat.

Excipe niſi juxta caſum ℞. 2. vota eſſent data per ſchedas in vaſculum ad id præparatum conjectas, ut variare volens ſchedam cum voto à ſe dato non valeat ſtatim diſcernere: ſic enim non modica perturbatio inferretur reliquis Coëligentibus, dum debent pati, ut etiam ſuæ ſchedæ aperiantur ſub inquiſitione, donec ſcheda variare volentis deprehendatur, ex quo nil niſi confuſiones eſſent timendæ.

Obſerva 2. Publicato Scrutinio Electores nec ut ſinguli, nec ut collecti, ſive ſimul ſumpti & ut facientes Collegium poſſunt variare, dummodò Scrutinium publicatum fuerit tale, ut vi illius electio communis ſequi potuiſſet: quia *d. cap. publicato:* Jus loquitur indiſtinctè, & generaliter, & non minùs infamia aliqua naſceretur nominato, ſive variatio fieret communi conſenſu totius Capituli, ſive id fiat per aliquos Electores ſigillatim ſumptos. In caſu tamen ℞. 2. faciliùs admitti poteſt, quòd de conſenſu totius Capituli inſtitui poſſit variatio, non obſtante, quòd ſchedæ calici vel vaſculo ad id præparato ſint injectæ, dummodò necdum ſint

Digitized by Google

publicatæ, aut nomen Electi nondum publicatum: quia omnibus conſentientibus nemini infertur præjudicium.

Obſerva 3. Ratio, quare Jura publicato ſolùm Scrutinio hanc variationem prohibeant, juxta quoſdam eſt, quòd per publicationem Scrutinii res deſinat eſſe integra: Verùm hæc ratio probaret, quòd nequidem ante publicationem Scrutinii variare liceat, cùm etiam per dationem voti res deſinat eſſe integra. Alii dant hanc rationem, quòd nemini liceat mutare conſilium in detrimentum alterius. Verùm antequàm facta ſit electio communis, electus etiam factâ publicatione Scrutinii æquè parum habet juris ad dignitatem, ac ante publicationem Scrutinii: ergo non eſſet potior ratio, quarè variatio prohibeatur poſt, quàm ante Scrutinium.

Alii utuntur hâc ratione, quòd variatio talis Eccleſiæ poſſit eſſe damnoſa, eo quòd electio nimium protraheretur:

Verùm ſi electio fiat intra terminum à Jure præfixum, hoc eſt, intra trimeſtre, nemo de nimia mora aut damno poterit conqueri. Alii putant eſſe ideò: quòd per publicationem Scrutinii electio cenſeatur eſſe initiata; Verùm: etiam per dationem voti in Scrutinio hoc necdum publicato actus electionis jam inchoatus, adeoque ſi data ratio aliquid probaret, nequidem conceſſa eſſet variatio ante Scrutinii publicationem.

Alii ſic probant, quòd publicato Scrutinio Electores ſint jam functi ſuo officio: Sed contra eſt: Electo-

Digitized by Google

Electores *ut ſinguli* dato ſuo voto etiam ante publicationem Scrutinii functo ſunt jam ſuo officio: *Ut ſimul ſumpti* autem & *ut ſunt Collegium*, ſic nequidem publicato Scrutinio functi ſunt toto ſuo officio, cùm ad ipſos adhuc ſpectet electio communis: ergo vel nequidem ante publicationem Scrutinii poterunt variare, vel ſaltem ut ſimul ſumpti poterunt variare etiam publicato Scrutinio. Unde alii cum Fagnano *in d. cap. publicato. n. 7. & 10.* putant fuiſſe Pontifici arbitrarium, an velit variationem prohibere ante -an poſt publicationem Scrutini, cùm etiam ante publicationem prohibere potuiſſet. Congruentia autem modò poſt publicationem Scrutinii prohibendi variationem, eſt, quòd, ſi publicato Scrutinio electores modò variarent, hoc cedat in infamiam vel opprobrium electi primi, cujus nomen per Scrutinii publicationem innotuit.

Obſerva 4. A generali prohibitione variationis hucuſque explicatâ excipiuntur I. Poſtulantes, de quibus dicetur *p. 2. q. 4.* Excipiuntur II. Omnes Electores, ſi vi primi Scrutinii non potuerit ſequi electio communis, ut dictum ℞. 3. Excipiuntur III. Moniales: ſi enim aliqua electa eſſet à majori parte Capituli, ſed non à duabus tertiis, poſſunt aliæ ad eam accedere, adeoque etiam poſt publicatum Scrutinium variare, ut declaratur *infra q. 20.* Excipiuntur IV. Cardinales, qui etiam poſt publicatum Scrutinium (in quo necdum quiſpiam duas tertias Cardinalium præſentium habuit) poſſunt variare, & per acceſſum nominare alium in Pontificem, dummodò hic ſaltem unum votum

Digitized by Google

in præcedenti Scrutinio habuerit, ut ordinavit Gregorius XV. *in Conſtit.* 13. *incip.* Æterni Patris Filius. & *Conſtit.* 19. *incip.* Decet Romanum. Excipiuntur V. Caſus, in quibus admitti ſolet, ut una pars votantium accedat ad alteram de quo vide *cit.* *q* 20.

QUÆSTIO XI.

An Capitulum poſſit concedere, ut qui non habet vocem in Capitulo, illam habere poſſit in Electionibus?

℞. 1. Ex Jure communi Capitulum non poteſt concedere vocem alicui in Capitulo, niſi ſaltem in Subdiaconatûs Ordine fuerit conſtitutus, ut dictum *q.* 8. ℞. 5.

℞. 2. Quando non conſentit ſaltem major pars Capituli, non poteſt alicui, non habenti vocem in Capitulo, concedi facultas dandi votum in electionibus, etſi aliàs de jure non ſit incapax vocis activæ. Ratio: in actibus capitulariter gerendis debent plurima vota valere; atqui conceſſio vocis activæ eſt actus capitulariter gerendus, & in duobus contradictoriis non cenſentur adeſſe plurima vota, niſi major pars conſenſerit: ergo.

℞. 3. Quando totum Capitulum conſentit nemine diſcrepante: *probabiliter* poteſt alicui concedi vox, cui aliàs de jure non competit; dummodò ille de jure non ſit incapax vocis activæ. Ita Lezana *cap.* 15. *n.* 20. Ratio: poſſunt Electores *compromittere* in extraneum, ut dictum *Sect.* 1. *q.* 7. *dub.* 2. ergo etiam eidem concedere vocem activam. At contrarium videtur eſſe *probabilius.*

Ita

Ita Leurenius *Fori benefic. tom.* 2. *q.* 245. contra Lezanam citatum, Layman *in qq. Canonicis. de Elect. q.* 19. Pirhing *h.t.n.* 14. &c. Docentes id poſſe fieri ſaltem pro una vice: etſi cenſeant, id ſine Superioris conſenſu non poſſe concedi ad dies vitæ perſonæ, vel etiam in perpetuum dignitati extraneæ.

Ratio: Jus vocis activæ in electione canonica competit Capitularibus duntaxat ex conſenſu Papæ, neque alicui competere poteſt, niſi cui Papa conceſſerit: ergo Collegium non poteſt alicui extraneo id concedere, cui aliàs hoc non competit: Nam Pontifex inter cæteras qualitates ab Electoribus requiſitas voluit, ut Eligentes ſint membra Collegii, *arg. cap. cùm dilectus. de conſuet.*

Confirmatur: Nullibi reperitur Capitulo conceſſa facultas aliquem de Jure incapacem habilitandi ad electionem activam; ſed deſtitutus voce in Capitulo eſt incapax vocis activæ: ergo à Capitulo non poteſt habilitari. Eſt iſtud Donato *in praxi Regular. p.* 3. *tom* 2. *q.* 15. intantum verum eſſe videtur, ut electio extraneo admiſſo celebrata ſit nulla. Verùm hoc ultimum diſplicet aliis.

Nec eſt paritas inter Compromiſſarios & Electores, quia Compromiſſarii vices totius Capituli ſupplent, conſequenter non debent per omnia eſſe veſtiti iiſdem omninò conditionibus, quibus alii Electores. Quid quòd optima diſparitas ſit, quòd Jura concedant, poſſe compromitti in extraneum, *cap. cauſam quæ.* 8. *de Elect. & Electi poteſt:* At de Electoribus dicunt, quòd debeant eſſe de Capitulo vel Congregatione, ut allegatum *hâc Sect.* 2. *q.* 1.

Digitized by Google

Neque obſtat, quòd Canones permittant, ut ab initio in limine Fundationis Eccleſiæ Collegiatæ adjiciatur pactum, ut electio ſpectet ſimul ad Capitulum, & ad Extraneum v.g. Patronum Eccleſiaſticum, teſte Gl. *in cap. Nobis. v. niſi aliter. de Jure patronat.* Nam hoc ſpecialiter ipſe Pontifex concedit, ut ſic fideles ad fundationes & dotationes Eccleſiarum excitentur: ſimilis conceſſio & ratio non reperitur pro aliis caſibus.

QUÆSTIO XII.

An Capitulum poſſit ſupplere voces abſentium?

℞. 1. Si abſentes ipſi non conſtituerint Procuratores, nec Capitulum, nec Superiores poſſunt ſupplere eorum voces. Ratio; nec Capitulum, nec Superiores poſſunt ſupplere voces eorum, qui cenſentur ſuæ voci renunciâſſe (neque enim invitus quiſquam cogitur in electione activa comparere, per dicta *Sect.* 1. *q.* 6. §. 2. *dub.* 1.) atqui quando abſentes non conſtituerunt ipſi Procuratores, cenſentur ſuæ voci renunciâſſe, ergo. De Superioribus Regularibus idem ipſum eſt expreſſum in Tridentino *Seſſ.* 25. *de Regular. cap.* 6. Ibi: *Nec in poſterum liceat, Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoſcunque Titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces & ſuffragia abſentium ſupplere. Si verò contra hujus Decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit; & is, qui ad hunc effectum ſe in Provincialem, Abbatem aut Priorem creari permiſerit,*

miſerit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis exiſtat, facultateſque ſuper his conceſſæ, eo ipſo abrogatæ cenſeantur; & ſi in poſterum aliæ concedantur, tanquam ſubreptitiæ habeantur. Ita ibid.

QUÆSTIO XIII.

An Laici ſint capaces vocis activæ in Electionibus Eccleſiaſticis?

℞. Etſi jure antiquo Laici potuerint admitti, & fuerint admiſſi ad votandum in Electionibus Eccleſiaſticis, teſte Wagneteck *in cap. Oſius.* 2. *h. t.* Jure tamen ſcripto planè repelluntur. Eſt expreſſum *cap. Sacroſancta.* 51. *h. t. cap. Nullus.* 1. *& ſeqq. fermè tota diſt.* 63. ubi etſi dicatur *in cap. Hadrianus.* 22. & *cap. In Synodo* 23. quòd Imperator (qui adeò neceſſariò eſt Laicus, ut Clericus eſſe nequeat, per textum *in Aurea Bulla cap.* 2. §. 3. & 4.) habeat jus eligendi Romanum Pontificem, & inveſtiendi Archi-Epiſcopos atque Epiſcopos; id tamen hodiè non ampliùs valere, certum eſt ex praxi quotidiana. Imò idem privilegium conceſſum eſt ad ſummum Carolo Magno, nec egreſſum eſt ejus perſonam.

Quin etiam illud nequidem ab eo fuiſſe acceptatum, probant plures Zeloſiſſimi ſimul & piiſſimi Imperatoris Conſtitutiones, quibus cavit, ne Electioni Pontificis Laicus ſe immiſceat, prout teſtatur Baronius *in Annal. Eccleſ. ad annum Chriſti.* 774. ubi dicta duo Capitula planè rejicit tanquam ſuppoſitia. Vide etiam Azor *Inſtit. Moral. p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *q.* 3. & *lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 3.

Digitized by Google

Porrò hodiè Laici tam ſtrictè arcentur ab Electione activa Pontificis vel Epiſcopi, ut nulla conſuetudine contrariâ poſſit induci; Laicos ad hanc electionem activam eſſe admittendos, eſt enim conſuetudo talis corruptela per textum *cap. Maſſana. 56. h. t.*

Nec obſtat, quòd Laicis poſſit competere Jus patronatûs, adeoque etiam videatur concedendum jus vocis activæ. Diſparitas eſt, quòd ad Jus patronatûs Laicus ſit à Pontifice de plenitudine poteſtatis, & ſpecialiter habilitatus, *cap. Nobis 25. de Jure patronat.* nihil tale legitur de jure eligendi.

Dub. 1. *An electio valeat, in qua fuerunt admiſſi Laici ad coëligendum?*

℟. Si Electores *ſcienter* & libere eos admiſerint, cùm eoſdem poſſent repellere, totus actus in odium hujus admiſſionis eſt invalidus, *d. cap. Maſſana.* 56. & *cap. Quisquis* 43. *h. t.*

Si admiſerint *vi adacti*, aut *ignoranter*, electio valet, & electus conſequitur jus ad dignitatem, dummodò habeat tot vota, ut detractis laicorum votis, reſidua adhuc ſufficiant, vide dicta ſupra *q. 3 dub. 2.* Ita Fagnanus *in d. cap. Maſſana. n.* 10. 11. 30. *&* 33. & Pirhing *de Elect. n.* 18. probabiliter docentes, quòd electio facta ab habilibus non irritetur per admixtionem Laicorum vel aliorum inhabilium ignoranter admiſſorum, etſi unus tantùm ex Electoribus eſſet habilis, & omnes alii inhabiles. Colligitur *ex cap. fin. de Procuratoribus.* juxta quod valet actus collegialiter geſtus ab habilibus, & inhabilibus ignoranter admiſſis.

Contrariæ parti favet Leurenius *Fori Benefic.*

Tom.

Tom. 2. *q.* 149. *n.* 2. cum Layman. *in cap. Maſſana.* Et Antonio de Butrio *in cap. fin. de Procurat. n.* 2. Docens, quòd Electio Eccleſiaſtica ſit nulla, non ſolùm, quando Electores Eccleſiaſtici ſcienter & voluntariè admittunt Laicos ad coëligendum, ſed & quando Laici admittuntur ſine omni Capitularium culpa, v. g. per ignorantiam, aut quia gravi metu coguntur illos admittere, aut quia eos vi ſe immiſcentes non poſſunt prohibere; licèt contra Laicorum ſuffragia poſitivè fuiſſent proteſtati. Ita illi, ex ratione, quòd pœnalis illa conſtitutio principaliter condita ſit in odium Laicorum præſumentium ſe electioni immiſcere; uti & in favorem Libertatis Eccleſiaſticæ, quæ proinde non debet facilè reſtringi: Et licèt aliàs juxta *cap.* 37. *de R. J. in* 6. Utile per inutile non vitietur, hoc tamen fallit, quando inutile ſive vitium afficit formam ſubſtantialem actûs, quæ cenſetur eſſe individua; unde & in mixtis ſeparabilibus magis attendi debet ad id, quod nocet, quàm quod prodeſt; adeoque magìs conſiderari debet qualitas Laicalis ad deſtructionem actûs, quàm qualitas Eccleſiaſtica ad illius productionem. Ita illi.

Ex quibus utrinque perpenſis videtur via media optima; quòd nimirum in caſu, quo Capitulares metu adacti admiſerunt Laicos ad coëligendum, Electio non ſit irita, quando Capitularium intereſt Electionem ſuſtineri, & Electus aliunde habet tot vota, ut detractis Laicorum votis reſidua adhuc ſufficiant. Secùs eſt, ſi ipſimet Capitulares metu adacti petant electionem pro nulla declarari, aut ſi Electus detractis Laicorum votis non habe-

at majora. Ratio 1. partis: quia alterius odio nemo prægravari debet, neque alteri per alterum iniqua conditio eſt inferenda: Unde licet irritatio dictæ Electionis ſit conſtituta in odium Laicorum præſumentium ſe Electioni immiſcere: hoc tamen odium non debet detorqueri ſimul in Capitulares innocentes metu adactos. Præterea dicta Conſtitutio pœnalis eſt condita in favorem immunitatis vel libertatis Eccleſiaſticæ: at libertas Eccleſiaſtica magis ſalvatur ſi dicatur, quod Electio dicta non ſit irrita, quando Electores metu adacti admiſerunt ad coëligendum Laicos: nam aliàs eſſet quaſi in facultate vel arbitrio extraneorum, maximè potentiorum, faciendi, ut electio quædam corruat, ſi nimirum Electores metu adigant, ut ad coëligendum admittant aliquem Laicnm; quod videtur eſſe nimium dictum. Quòd verò electio dicatur actus individuus non obſtat: quia mixtum ex duabus naturis aſſumit naturam illius ſimplicis, quod eſt favorabilius, & per quod jus conſortis conſervatur, *cap. Sanis. de Sepultura. Et L. ſi communionem. ff. quemadmodùm ſervitus amittatur.*

Ratio 2. partis: Quia ſicut contempti habent jus contra Electionem reclamandi, ac petendi reſciſſionem electionis, idque ideò, quia ipſis injuria eſt illata, ſic Electoribus metu injuſto adactis, ut recipiant ad coëligendum aliquem Laicum, erit concedendum jus reclamandi contra Electionem, & petendi reſciſſionem vel declarationem nullitatis, nam & his in hoc caſu injuria eſt illata.

Ratio 3. partis (quòd nimirum electio non ſubſiſtat, ſi electus detractis Laicorum votis non habeat

beat majora) eſt, quia Laicorum vota ſunt nulla; ergo ſola aliorum vota ſunt numeranda.

Dub. 2. *Quænam pœnæ ſint à Jure contra tales electiones impoſitæ?*

℞. 1. Recipientibus dignitatem Epiſcopalem vel Abbatialem, aut etiam inferiorem Eccleſiaſticam è manibus Laicorum, donec reſipuerint, interdicitur ingreſſus Eccleſiæ. Eandem pœnam incurrunt Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Comites, vel quilibet alii quâcunque poteſtate fulgentes, qui tales dignitates & inveſtituras ad illas dare præſumpſerint, *cap. Si quis.* 12. *XVI. q.* 7. Eſt hæc pœna *ſententiæ latæ*, quia Gregorius VII. citati Canonis Auctor, dicit in præſenti: *Introitum Eccleſiæ interdicimus.*

℞. 2. Recipientes & Laici conferentes dignitates excommunicantur, *cap. præterea.* 4. *de Jure patronat.* Eſt hæc pœna *ſententiæ ferendæ*; dicitur enim in textu: *ipſos anathemate decernimus feriendos: & communione priventur.*

℞. 3. Qui electioni de ſua perſona, per ſæcularem poteſtatem factæ conſentit, *caret. commodo electionis*, hoc eſt, electio eſt ipſo jure nulla, & electus fit irregularis ac ineligibilis, ut abſque diſpenſatione Epiſcopi vel alterius legitimi Superioris non poſſit eligi ad aliquam dignitatem; qui autem ſic eligere præſumunt, ab Officiis & beneficiis penitùs ſuſpenduntur per triennium, & ſunt pro tunc privati poteſtate eligendi, *cap. quisquis.* 43. *h. t.* Eſt hæc pœna juxta quoſdam *ſententiæ latæ*, juxta alios *ferendæ*, in quantum concernit conſentientes electioni; in quantum verò con-

concernit eligentes, eſt ſolùm ſententiæ ferendæ, nam textus in imperativo dicit: *ſuſpendantur per triennium*, quod ſonat ſententiam ferendam. Habet hæc pœna locum in omni electione ad quamcunque Dignitatem; Aſt non eſt in ordine ad quævis beneficia, ſed ſolùm ad majora; unde ſi eligentes ad beneficia minora admiſerint Laicos, ſunt adhuc capaces Canonicatuum, aut aliorum beneficiorum tam ſimplicium, quàm Curatorum, quæ non ſunt ſpecialiter in dignitatem erecta.

Obſerva: Quòd Epiſcopus in hac eligibilitate diſpenſare valeat, docet Layman. *ad cap. Quisquis.* 43. *de Elect. & Electi poteſt:* Azor. *p.* 12 *lib.* 6. *cap.* 4 & 28. Barboſa Bonacina &c. contra Fagnanum *in d. cap. Quiſquis. n.* 8. Ratio: Quando in canone permittitur diſpenſatio, & non exprimitur, quis diſpenſare valeat, cenſetur facultas diſpenſandi Epiſcopo conceſſa, ne aliâs fruſtra videantur adjecta verba permiſſiva diſpenſationis, cùm conſtet Papam diſpenſare poſſe. Sed *in d. cap. Quiſquis.* permittitur diſpenſatio. Ibi: *Quisquis electioni de ſe facta per ſæcularis poteſtatis abuſum conſentire præſumpſerit, & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec abſque diſpenſatione ad aliquam valeat eligi dignitatem*: Neque hic exprimitur, quis diſpenſare valeat: ergo facultas diſpenſandi cenſetur Epiſcopo conceſſa.

Nec dic cum Fagnano: Epiſcopus non poteſt diſpenſare in Lege à Concilio Generali condita: ſed dictus Canon. *cap. Quiſquis.* Conditus eſt in Concilio Generali nimirum Lateranenſi, ut ex ejus

inſcrip-

inſcriptione patet: ergo, R. D. Maj. non poteſt diſpenſare in Lege à Concilio Generali condita, ſi hæc non permittat aliquam diſpenſationem C. ſi aliquam permittat N. Non enim permittit facultatem diſpenſandi ſoli Papæ, cùm illam per ſe jam habeat: ergo hanc etiam permittit aliis.

Dub. 3. *An poſſit fieri, ut ſaltem poſt electionem debeat neceſſariò requiri conſenſus Laici?*

℞. Poteſt fieri; eſt expreſſum *cap. cùm terra* 14. *h.t.* Notat tamen Wagnereck *in idem cap. V. Regis ſeu Patriarchæ.* Quòd ſi Princeps, vel alius Patronus Laicus ſine cauſa rationabili conſentire renuat, electio non ſit caſſanda; ſecus eſt, ſi opponat exceptiones legitimas. Cenſentur autem *exceptiones legitimæ*, ſi electus ſit ſuſpectus de proditione patriæ, aut de colluſione cum hoſtibus, in quibus eventibus non ſolùm de conſuetudine, ſed & jure ſtricto debet poſt- non ante electionem, patroni conſenſus requiri, *cap. nobis* 25. *de Jure patronatûs.* Si tamen Laici intereſſe ſoleant, non ut habeant vocem, ſed ut electionem defendant, à tumultu & incurſu hoſtili, ſunt vocandi indifferenter.

Dub. 4. *An prædicta ante Dub.* 1. *ſint intelligenda de quavis conſuetudine, etiam immemoriali:*

℞. Affirmativè: Fagnanus *ad d. cap. Maſſana n.* 16. Pirhing *de Elect. n.* 17. Quia talis conſuetudo repugnat libertati Eccleſiaſticæ, *cap. ſacroſancta & cap. Quiſquis de Elect.* & conſequenter reprobatur tanquam corruptela & abuſus, *Arg. cap.* 1. *& ult. de conſuet.* Unde in hoc puncto fallit aliàs uſitata ICtorum regula: Quidquid Principis privilegio

vilegio acquiri poteſt, poteſt etiam conſuetudine vel privilegio immemoriali acquiri: hoc enim ad ſummum procedit, quando præſcribere volens aliàs abſque privilegii titulo eſt capax poſſidendi id, quod præſcripturus eſt: at Laicus ſine privilegio non eſt capax poſſidendi jus electionis, ut patet ex citatis juribus. Vide in ſimili *Sect*. 4. *q*. 4.

Dub. 5. *An conſuetudine introduci poſſit, ut electio contra conſenſum Principis Laici, nimirum eo vel non requiſito, vel repugnante, licèt non poſitivè coeligente facta, ſit ipſo jure irrita, vel ex hoc ſolo irritanda?*

℞. Negativè: Ita Abbas & Paſſerinus apud Leurenium *Fori Benefic. Tom*. 2. *q*. 247. *Sect*. 2. *cap*. 2. §. 2. Contra Innocentium & cæteros. Colligitur ex dictis: quia nimirum etiam talis conſuetudo repugnaret Libertati Eccleſiaſticæ. Quòd verò talis Laicus Princeps poſſit contra Electum opponere ſuas exceptiones legitimas, & ſic electio ſit caſſanda, patet ex dictis. *Dub*. 3.

Dub. 6. *An Laicis poſſit ex pacto competere jus dandi votum in Electionibus Eccleſiaſticis?*

℞. Negativè; unde per nullam donationem, conventionem, aut compoſitionem, etiam conſentiente toto Capitulo & interveniente auctoritate Epiſcopi poteſt Laico, etiam in prima Eccleſiæ fundatione, etſi is jus patronatûs ſibi aliàs reſervâſſet, conſtitui jus eligendi Prælatum Eccleſiaſticum, ut habet communis D.D. *ex Cap. Sacroſancta de Elect. & Electi poteſt*: & ex ratione eadem, quòd cedat in grave detrimentum Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ libertatis, ſi inferiores Papâ poſſint Laicis jus eligendi concedere. Imò

Imò Fagnanus *in cap. Quiſquis. n. 30. h. t.* Cenſet etiam eſſe abuſum poteſtatis ſæcularis repugnantem Libertati Eccleſiaſticæ, ſi Laici ad hoc vocari debeant, ut præſentes ſint in Aula Capitulari, & Electores etiam armatâ manu protegant. Alii tamen non ſunt ita rigidi: unde Leurenius *l. c. q. 248.* cum aliis conformiter ad dicta *dub. 3.* admittit, quòd per pactum conſtitui poſſit, ut ante Electionem conſilium Patroni Laici ſit requirendum, vel ut is intereſſe debeat tractatui de electione faciendâ, imò etiam ipſi electioni, attamen abſque ſuffragio; ſed ut Electores vel protegat, vel ut eos inſtruat, formamque Electionis doceat; vel ut tanquàm Notarius aut tabellio proceſſum electionis conſcribat, pro quo facit textus *cap. Nobis. de Jure patronat.*

Quod verò Pontifex ſummus, isque ſolus, poſſit laicis per privilegium concedere jus eligendi Prælàtos Eccleſiaſticos, Doctores facilè concedunt *ex cap. Sacroſancta de Elect. & Electi poteſt*: ſicut etiam à Pontifice Laici ſunt habilitari ad Jus patronatûs, licet hoc aliàs ſit ſpirituale, *cap. de Jure. De Juve Patron.*

QUÆSTIO XIV.

An Præſes Electionis (maximè Monialium) in caſu diſcordiæ poſſit etiam dare votum, ut tandem electio certa ſequatur?

℟. Per ſe loquendo & ſeclusâ conſuetudine contrariâ legitimè introductâ, non poteſt. Ita declaravit

ravit S. Congregatio 5. Maji 1619. Habet tamen idem Præſes facultatem aſſignandi tempus certum, ut habentes vocem activam ſe concordent; quòd ſi factum non fuerit, habet jus nominandi unam vel plures, ex quibus aliquam debeat aſſumere. Talis facultas conceſſa fuit Ordini S. Benedicti à Gregorio XIII. *Die 26. Aprilis 1574. in Bulla incip. Ex noſtra Paſtoralis officii*: in qua conceditur, ut toties quoties Moniales per duo ſcrutinia in eligendis Abbatiſſis non convenirent in unam poſſent Viſitatores vel Prælati Electioni præſidentes, Capitulo proponere duas vel tres Moniales, ex quibus una erit aſſumenda. Et hæc Bulla ob communicationem privilegiorum extenditur ad omnes alios Prælatos. Pellizzarius *in Man. Regul. tr.* 10. *de Monial. cap.* 10. *Sect.* 2. *ſub Sect.* 1. *q.* 15. 107. *in fine.*

QUÆSTIO XV.

An Elector ægrotans poſſit dare votum, & debeat audiri?

℞. 1. Quando infirmus eſt à loco electionis diſſitus, ita ut ejus votum commodè accipi nequeat, non debet audiri, niſi ſit conſuetudo conſtituendi Procuratorem, qui proinde eſt admittendus.

℞. 2. Si Elector decumbat in domo electionis, ſed ob infirmitatem Capitulum accedere nequeat, conſulto agit pro tunc juri eligendi renunciando, ob multas difficultates & tricas ex ſcrutatione ſui voti facilè orituras: invitus tamen nec ad cedendum cogi, nec ab electione repelli poteſt; hinc ubi Pro-

Digitized by Google

Procurator admittitur, poteſt infirmus talem conſtituere, ubi non admittitur, poteſt ſuum votum depromere vivâ voce coram Scrutatoribus ad ſe venientibus, ubi iſte modus viget, vel in ſcheda ſcripta, ut dictum ſupra apud Regulares faciendum eſſe; Sic enim vota manent adhuc ſufficienter ſecreta: & licèt Elector non ſit in loco Capitulari præſens corporaliter, adeſt tamen moraliter, eò quòd ſit in domo electionis, & propiùs accedere non ſit in ipſius poteſtate. Vide *Sect.* 1. *q.* 6. §. 8. *dub.* 1.

Nec obſtat *cap. ſi quis.* 46. §. *ult. h. t. in* 6. ubi dicitur: *Abſens quoque (licet nullus de Collegio velit eſſe Procurator ejuſdem, nec ipſe nolente Capitulo extraneum valeat deputare) non poterit aliquatenùs per literas exprimere votum ſuum, quod non eſt ante Scrutinium, ſed in ipſo Scrutinio ſecretè & ſigillatim tantummodò exprimendum.* ℞. enim, hoc procedere ſolum in hypotheſi, quâ Elector erat abſens à loco Capituli, in quo celebranda erat electio: qualis dici nequit decumbens in cœnobio vel domo congregati Capituli. Ita Naldus apud Pellizzarium *tom.* 2. *tr.* 9. *cap.* 2. *Sect.* 2. *n.* 70.

QUÆSTIO XVI.

An Elector cœcus debeat admitti ad coëligendum?

℞. Si non velit renunciare, debet admitti; idque etiam apud Regulares. Naldus & Pellizzarius *l. c.* Non debet autem curare ſcribi ſibi no-

men ejus, quem intendit eligere, ſcriptori injuncto juramento de fidelitate ſervanda. Sed debet accedere ad aures Scrutatorum, ibique ſuum ſuffragium aperire juxta formam veterem præſcriptam *in cap. quia propter.* Sic enim faciliùs cavetur infidelitatis periculum. Prætereà ubi non poteſt ſervari forma in totum, debet ſervari eo meliori modo, quo poteſt: atqui in cæco non poteſt ſervari forma ſcribendi nomen Electi in ſcheda, poteſt autem ſervari forma præſcripta *in cap. Quia propter.* ergo non illa, ſed iſta ſervari debet.

Confirmatur à pari: Superveniens defectus oculorum non impedit exercitium Judicis, *L. cæcus. ff. de judiciis.* & generaliter, ſuperveniens inhabilitas non debet aliquem privare jure ſuo jam quæſito, *cap.* 1. *de Clerico agrot.* ergo etiam cæcus poteſt retinere jus ſuum eligendi. Ita illi.

Idem extendi ſolet ad ſurdos, quamvis utriſque conſulatur, ut renuncient voci ſuæ, quò ſic omnia tutiori viâ peragantur.

QUÆSTIO XVII.

An debeat admitti Elector, de quo dubitatur, an habeat vocem activam?

℟. Sub disjunctione: vel fuit jam in poſſeſſione & exercitio hujus juris, vel non fuit? ſi non fuit, *poteſt* juxta *q.* 11. non tamen *debet* admitti; quia in dubio non debet alicui concedi jus vel poſſeſſio juris, etſi poſſit concedi. Si fuit in poſſeſſione, non debet excludi, niſi de inhabilitate, & priva-

privatione illius juris conſtet per ſententiam: imò per ſe loquendo, lite pendente, quamdiu res manet dubia, debet admitti cum proteſtatione, quòd admittatur, ſi, & in quantum poſteà conſtiterit, illum debuiſſe admitti, ut ſcil. in dubio faveat ipſi poſſeſſio ſua. Si de inhabilitate poſſit per ſummariam inquiſitionem, vel ex confeſſione Rei, aut evidenti probatione certò conſtare, debet repelli, niſi adſit periculum ſcandali, ob quod poteſt tolerari, ſed ſub proteſtatione ſupradicta. Pellizzarius *l. c. n.* 87. Lezana *in Summa qq. Regul. tom.* 2. *cap.* 12. *n.* 30. Quòd ſi ergo in dubio admiſſus ad electionem activam cum proteſtatione dicta poſteà deprehendatur certò inhabilis, debet attendi, an Electus ſecluſo hujus voto, habeat adhuc ultra medietatem & ſufficientia vota, nec ne, & ſic ſubintrabit Reſponſio allata ſupra hìc. *q.* 3. *dub.* 2.

QUÆSTIO XVIII.

Cui competat jus eligendi Vicarium Prelati, Prælato vero depoſito vel ſuſpenſo?

℟. Secluſis ſpecialibus conſtitutionibus, illi, qui depoſuit vel ſuſpendit: quia illius eſt ligare, cujus eſt ſolvere, & non poteſt quiſquam, qui minoris eſt auctoritatis, eum, qui majoris poteſtatis eſt, judiciis ſuis addicere, *aut propriis definitionibus ſubjugare*, ut loquitur *cap. Inferior.* 4. *diſt.* 21.

QUÆSTIO XIX.

Quando Electoribus liceat transire ad Electionem ſecundam?

℞. Si ignorantes commiſerint defectum talem, vi cujus electio ſit notoriè nulla, liberè tranſeunt ad electionem novam, nec tenentur exſpectare, ut prima caſſetur à Superiore, Wagnereck *in cap. Cùm terra. 16. verſ. ſi in perſona. h. t.* ex *cap. conſtitutus. de appellat.* & *cap. Inter dilectos. 11. de exceſſ. Prælat.* Secùs eſt, ſi electio ſit quidem injuſta aut ambigua, non tamen clarè nulla, tunc enim tenentur Electores exſpectare ſententiam Superioris, ne primò Electum fraudent ſuo jure probabili.

QUÆSTIO XX.

An & quouſque una eligentium pars poſſit ad alteram accedere, ut compleatur majoritas votorum ad electionem perficiendam neceſſaria? Item, an ſit valida electio, quando Electores prævie inter ſe convenerunt, quod ad celeriorem Electionis expeditionem omnes velint accedere ad eum, qui habet plura vota, etſi illa non ſint majora reſpectu totius Capituli?

℞. 1. Si electio fiat viâ *Compromiſſi*, poteſt per ſe loquendo Compromiſſariorum aliquis ſciens ſe habere vota quorundam, conſentiendo in electionem de ſua perſona factam numerum ſuffragiorum augere, ut dictum *Sect. 1. q. 7. dub. 9.*

℞. 2.

℞. 2. Si fiat viâ *Scrutinii*, ſed non ſit electio talis in qua neceſſariò obſervari debeat forma præſcripta in *c. Quiapropter. 42. de Elect. & Elect. poteſt.* non poſſunt electores poſt Scrutinium vel quaſi Scrutinium publicatum variare, dummodò aliquis habilis in Scrutinio vota majora obtinuerit: quia talis variatio poſt publicatum Scrutinium cederet in præjudicium & confuſionem primi electi vel nominati. At ſi priùs nemo vota ſufficientia habuiſſet, valebit acceſſus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, etiam publicato jam Scrutinio, ut docet Gl. *in c. cùm in jure. 33. v. Conſentiat. de Elect. & Electi poteſt.* & Reiffenſt *ad Jus canon. tom. 1. tit. 6. §. 12. n. 303. & ſeqq.* quia ex votis minoris partis non poteſt ſequi electio: ergo nullum Jus vi illorum votorum nominato eſt acquiſitum; ergo non adeſt fundamentum talem acceſſum negandi. Prætereà: Supponitur, quòd rigor *c. Quiapropter.* præſcriptus reſpectu talis electionis non obliget, ſed ſufficiat, quòd vocales collegialiter congregati quomodocunque aliquem habilem eligant: ergo nihil prohibet, quò minùs Eligentes conſenſum ſuum præſtent per acceſſum minoris partis ad majorem, neq; enim hi neceſſariò per vota ſecretè & ſigillatim in Scrutinio præſtita eligunt. Ita Reiffenſt. Si qui Juris textus videantur contrariari, erunt intelligendi de Electione inſtituenda juxta rigorem *c. Quiapropter.*

℞. 3. Si Electio inſtituenda ſit juxta dictum rigorem, docet laudatus Anaclet. Reiffenſt. *l. c. n.* 302. quòd acceſſus minoris partis ad majorem non habeat locum Scrutinio jam publicato, quia de ſubſtantia talis electionis eſt, ut vota dentur ſecretò ac ſigilla-

ſigillatim in ipſo Scrutinio, juxta textum expreſſum *c. Quia propter.* ergo conſenſus poſteà ſuperveniens nihil operatur, *c. Auditis.* 29. & *c. Eccleſia veſtra.* 57. *de Elect.*

II. Conſentit Laym. *in d. c. Quia propter. n.* 10. docens, quòd electio capitularis per promulgationem, non verò antecedenter (quatenus eſt ex parte Capituli eligentis) ſit perfecta & conſequenter ſi electio non à majori Capituli parte facta eſſet, idemque ipſo jure deprehenderetur irrita, non poſſet poſteà per accedentem aliorum conſenſum confirmari, juxta *d. c. Auditis.* Sed antequàm electio promulgata ſit, ſi v.g. in collatione numeri ad numerum appareat, quòd nemo in Scrutinio nominatorum ſufficientem ſuffragiorum numerum habeat, non prohibentur Capitulares mutatâ ſententiâ accedere ad numerum ejus, qui plura ſuffragia habet, aut ſi duo æqualia ſuffragia habuerint, uni eorum ſuffragari, eumque eligibilem facere; propterea, quòd ex Scrutinii publicatione nullum jus cuiquam acquiſitum ſit, & niſi Electores varient, ſive ſuffragia mutent, nunquam electio ſecutura ſit, cùm ea fieri debeat ſecundùm majorem Capit. partem, Ita fermè Laym.

III. P. Ernric. Pirh. *tom. 1. tit. 6. de Elect. & Electi poteſt. n.* 176. cenſet, quòd ſi publicato Scrutinio & factâ collatione, vel etiam ſine collatione, antequàm communis electio omnium nomine facta & promulgata ſit, appareat, quòd plures ex nominatis in Scrutinio æqualia, aut nullus eorum majora ſuffragia habuerit, quòd inquam tunc alii Capitulares vel Electores mutatâ ſententiâ poſſint accedere ad numerum ejus qui plura etſi non ſufficientia ſuffragia habuit,

buit, illiuſque ſuffragia uſque ad ſufficientem numerum augere. Ratio autem cur hoc caſu variationi locus ſit, eſt, quia imprimis niſi electores mutatâ ſuâ ſententiâ unius Electionem corroborent, ita ut major Capituli pars in unum conſentiat, non poteſt ex tali Scrutinio publicato electio ſolennis ſequi. Deinde quia variatio ſuffragii ideò Electoribus eſt prohibita, eò quòd cederet in præjudicium nominati: ſed nominato à paucioribus nullum fit præjudicium (cùm nullum jus ei fuerit acquiſitum) ergo. Ita Pirhing.

IV. Proſper Fagnanus *in c. Publicato.* 58. *de Elect.* *n.* 37. & 38. ſentit, quòd minor pars Capituli, non obſtante publicatione Scrutinii variare poſſit accedente majori parte, quia in præjudicium nominati prohibita eſt variatio: nominato autem à paucioribus nullum fit præjudicium, cùm jus non habeat. Ita ille.

V. Eminentiſſimus in Purpura & doctrina Card. Joannes Baptiſta de Luca *Theatri veritatis & juſtitiæ, tom.* 12. *tr.* 1. *de Benef. diſcurſu* 13. *n.* 14. docet quòd acceſſus majoris Capituli revalidet electionem factam à minori parte dummodò acceſſus iſte fiat durante eodem Scrutinio, illoque non diſſoluto, neque adhuc publicato, ſicque reliqui Vocales, qui in Scrutinio in diverſas abierant perſonas, per viam acceſsûs adhæreant illi, quæ aliquam notabilem votorum partem habeat, eo modo, quo frequentiùs practicare videmus, ſive ad ſummum quòd in ipſo pariter actu non diſſolutis comitiis, & non publicatâ electione, alii faciant actus implicitè dictam adhæſionem ſeu approbationem præ ſe ferentes:

 diſſo-

diſſolutis verò Comitiis, nullâque exiſtente publicâ electione, utpote non concluſâ à minori parte, ſubſequentes actus extra Capitulum ſeu actum eligendi eam revalidare non poſſunt, ut clarè deciditur *c. In Geneſi.* & *c. Eccleſia veſtra. de Elect.*

VI. Alii cum Ludovico Engel *de Elect. n.* 40. diſtinguunt inter Electiones virorum & Monialium.

In Electionibus *Virorum* eſt in quibuſdam Eccleſiarum Cathedralium Capitulis uſu receptum, ut etiam poſt publicatum Scrutinium aliqui palam accedant ad complendum numerum majoris partis, ut teſtatur Magnif. & Ampliſſ. D. D. Phil. Braun *in Principiis Juris Canonici, lib.* 1. *tit.* 6. *concl.* 3. Sapienter ſubdens, quòd ubi ſervatur Decretalis *Quia propter*, deberet procedi ad novam electionem, niſi acceſſus fieret eodem Scrutinio durante, illoque non diſſoluto, neque adhuc publicato; ſicut practicatur in omni ferme Summi Pontificis electione: ſive ad ſummum, ſi in ipſo actu Comitiis nondum diſſolutis, nec publicatâ electione fiant actus implicitè dictum acceſſum vel adhæſionem præferentes. v. g. Si ſupplicam pro Electionis Confirmatione Summo Pontifici porrigendam ſubſcriberent. Ita ille, paulò pòſt rurſus innuens, quòd in caſu, quo nullus haberet ſufficientem ſuffragiorum numerum, vel duo haberent æqualia, poſſit forma *c. Quia propter*. præſcripta per conſuetudinem contrariam non ſervari; adeoque poſſint Canonici vel Capitulares poſt collecta ſuffragia mutatâ ſententiâ accedere ad aliorum vota, & ſic unius electi numerum reddere majorem. Etſi enim publicato Scrutinio non liceat variare; nihilominùs quia abſque hac mutatione nulla ſequetur

quetur

quetur electio,non videtur iſta variatio adeò ſtrictè inhibita,quin conſuetudine introduci valeat.Ita ille. Cùm verò graves alii DD. teneant contrarium, & quidem potiſſimùm ex eo capite, quòd in *c. Quia propter.* addatur clauſula annullatoria actûs, in quo forma præſcripta non ſervatur,ut oſtenſum *Sect.* 1. *q.* 28. hinc cautè quoad iſtud punctum erit procedendum, & magis in Epykija quàm ſola conſuetudine fundamentum ponendum.

In Electionibus *Monialium*,quando hæ non poſſunt convenire, ut duæ partes eligendo conſpirent in unam perſonam,ſed ſemper vota ſunt diſperſa, etſi major pars elegerit unam, non obſtante Publicatione ſcrutinii, poſſunt Moniales, quæ in diverſas perſonas vota ſua direxerant, priuſquàm ad actus extraneos divertant, accedere ad illam, quæ à majori parte electa eſt, &,ſi per hoc ad duas partes deveniatur, electa debet confirmari æquè,ac ſi ab initio duas tertias habuiſſet. Non tamen adimitur contradicentibus poteſtas denunciandi vel accuſandi; ubi Abbatiſſa neoelecta fuerit benedicta & poſſeſſionem conſecuta. Si verò electa ſit ſolùm à minori parte Capituli,aliæ non poſſunt accedere, ut exprimitur *cap. Indemnitatibus* 43. §. *Sanè de Elect. in* 6. Quod totum intellige in caſu, quo contra electionem vel electam aliquid opponitur, ut conſtat ex contextu *d. cap. Indemnitatibus.* Unde ſi nihil objiciatur,poſt publicatum ſcrutinium per ſe loquendo non datur locus acceſſui. Vel enim electa habet majora vota, vel non habet? ſi non habeat; electio tota non ſubſiſtit, cùm non fuerit celebrata conſentiente

Digitized by Google

majore & ſaniore parte Capituli. Si habeat; non indiget aliarum acceſſu, ut dictum *Sect.* 1. *q.* 17. *dub. un.*

Ita quidem de acceſſu votantium ad alios ſentiunt Doctores allegati, quorum nullus aliquid exprimit de pacto & acceſſu quaſi prævio, quo Electores prævie inter ſe convenirent, quòd ad velociorem Electionis expeditionem omnes velint accedere ad eum, qui habet plura vota, etſi illa non ſint majora reſpectu totius Capituli. Et quòd tale pactum, vel acceſſus quaſi-prævius cum electione ſubſecuta non ſubſiſtat, inde videtur colligi, quia *cap. In Electionibus* 2. *de Elect. in* 6. in Electionibus expreſſè reprobantur atque pro non datis habentur vota *conditionalia, alternativa, vel incerta*, inter quæ juxta Gloſſam ibidem eſt iſtud: *Eligo, quem Archi-Diaconus eliget.* Sed juxta deſcriptum pactum vota non poſſent aliter dari, niſi conditionaliter, vel alternativè, ſive modo incerto, aut juxta modùm à Gloſſa rejectum ergo. Prob. M. vota tunc non poſſent dari, niſi vel hoc modo: *Eligo Martinum, niſi alius habeat æqualia vota, ad quem accedere magis expediat:* aut hoc modò *Eligo Martinum, vel illum, in quem alii plures de gremio (etſi non eſſet major pars totius Capituli) conſenſerit:* aut hoc modo: *Eligo Martinum, vel illum, in quem alii conſerint.* Atqui primus modus eſt conditionalis, ſecundus alternativus, tertius incertus coincidens cum modo à Gloſſa rejecto: ergo. Præterea tale votum non poſſet dari niſi modo cœco de perſona ignota: cùm enim dans votum non poſſit ſcire, in quem alii copioſiori vel

æquali

Digitized by Google

æquali numero ſint conſenſuri, non poterit hoc votum dare, niſi perſonæ pro tunc ſibi adhuc ignotæ: quod non toleratur.

Sed neque ſuccedet, ſi Capitulum aliquod vellet paciſci, ut ille pro electo ſit habendus, qui habet majora reſpectu coëlecti, licet non habeat majora reſpectu Capituli. Hoc enim pactum foret contra Jus commune; at Capitula particularia non poſſunt aliquid ſtatuere, quod ſimpliciter ſit contra jus commune, *c. Inſtitutionis noſtræ. XXV. q. 2. c. Quod ſuper his. de Majorit. & obed.*

Itaque Capitulares in caſu poſito videntur commodiùs hâc cautelâ uti: Primò; ut prævié tractent de acceſſu votorum inſtituendo. Secundò: poſtquàm adverterunt neminem habere majora reſpectu totius Capituli, inſtituant pro tunc acceſſum ſcrutinio quidem publicato, ut ſciant, in quam perſonam conſentiant, nondum tamen diſſoluto per actus extraneos, ut admiſit Proſper Fagnanus ſimileſque DD. ſeque fundent in benignitate Legislatoris & Epykia, quòd Canones in detrimentum Eccleſiæ viduatæ ad apices rigoroſos non aſtringant.

Quòd Capitulares etiam ex titulo contrariæ conſuetudinis in data hypotheſi poſſint jurari, docet P. Reiffenſtuel *ad jus Canonicum. Tom. 3. tit. 10. De his, quæ fiunt à majori parte Capituli*: Verùm de hoc jam dictum eſt. *Sect. 1. q. 17.*

Pro ulteriori notitia de acceſſu votorum Obſerva 1. Hunc acceſſum non habere locum, quando publicato ſcrutinio perſona habilis accepit majora. Vel enim iſte acceſſus fieret ad eum, qui habet majo-

majora, & ſic non eſt neceſſarius: Vel fieret ad alium; & tunc vel ex illis majoribus ſimul aliqui recederent, vel non? Si non: ergo acceſſus iſte non erit fructuoſus: nam ille, ad quem acceſſus fit, non accipiet majora, adeoque non poterit proclamari tanquàm canonicè electus. Si aliqui recedant; talis variatio non fiet absque præjudicio & opprobrio nominati per publicationem primi ſcrutinii. Solùm ergo habet locum, quando necdum aliquis habuit vota ſufficientia. Cùm enim tunc nullus habeat jus acquiſitum; neque vi talis electionis ſine acceſſu unius partis ad alterum jus aliquod acquirere poſſit, hinc reſpectu talium rigor formæ *c. Quiapropter* præſcriptus non videtur obligare, ſed ſufficiet, quocunque meliori modo Vocales capitulariter congregati aliquem habilem eligant; quod videtur opportunè fieri per acceſſum minoris partis ad majorem; Nec in his circumſtantiis Vocales neceſſariò eligent per vota ſecretè & ſigillatim præſtita in Scrutinio.

Quòd verò *cap. Publicato de Elect.* ſimpliciter prohibeatur, ne publicato ſcrutinio fiat votorum variatio, intelligitur de curſu Ordinario, dum proceditur rigoroſè juxta *cap. Quiapropter*. Et in caſibus, quibus electio communis celebrari poteſt, qualis haberi non poteſt, quando nullus habet vota ſufficientia.

Obſerva 2. Iſte acceſſus deberet fieri ante publicationem ipſius electionis, etſi factus fuiſſet poſt publicatum ſcrutinium. Quòd enim non poſſit fieri, poſtquàm electio fuit promulgata, colligitur ex *cap. Auditis. 29. de Elect.* ubi irrita declaratur

ratur electio facta à minori parte Capituli, licet alii ex poſt ad eam acceſſerint: *Cùm ex poſt facto nequiverit convaleſcere, quod ab initio non valebat; quoniam electio, quæ fuerat irrita ipſo jure, per ſubſequentem conſenſum non poterat eſſe rata.* Ita ibi.

QUÆSTIO XXI.

Quomodò ſit intelligendum, ſi quis per Canones privetur voce? an de activa, an paſſiva, an utraque?

℞. In dubio intelligitur de activa tantùm. Ita P. Reiffenſtuel. *Ad Jus Canon. Tom.* 1. *de Elect. & Electi poteſt. n.*8. Quia vox activa eſt ſimpliciter & propriè vox. Ergo cùm juxta *cap. odia de R. J. in* 6. verba odioſa ſint reſtringenda, & ſtrictè ac in propria ſignificatione accipienda, talis privatio vocis, tantùm de voce activa erit intelligenda, ut proinde, qui hanc privationem incurrit, non poſſit quidem eligere, per ſe loquendo tamen poſſit eligi. Hinc licèt in Tridentino, *ſeſſ.*22. *de Reform. cap.*4. *& Clem.* 2. *de ætat. & qualit. & ordine præficiend.* ſtatuantur privati voce activâ in Capitulis, qui non ſunt ſaltem Subdiaconi (ut explicatur *Sect.* 2. *q.* 2.) Hoc tamen teſte Engel, *h.t. n.*2. Barboſa *de Canonicis, cap.* 16. *n.* 18. *&c.* Intelligitur duntaxat de voce activa, ut proinde Canonicus non-Subdiaconus poſſit eligi, licèt non poſſit eligere.

QUÆ-

QUÆSTIO XXII.

An, ſi privatus voce activâ, eligat, electio ſit validá?

℟. Quid ſit dicendum de privatis voce activâ ex titulo ex communicationis, vide ſupra *hac Sect.* 2: *q.* 3. *dub.* 3. De aliis ex alio titulo privatis ſolent multi cum Navarro *cap.* 27 */ Man. n.* 35. Suarez & Covarruvia docere: quòd ſi nullo reclamante privatus voce activâ eligat. electio ſit valida ſi tamen factâ præviè proteſtatione de non admittendis inhabilibus ad electionem poſteà quiſpiam eligentium convincatur, & per ſententiam Judicis declaretur fuiſſe ipſo jure inhabilis ad eligendum activè, retrotrahitur iſta ſententia ad tempus factæ electionis; ita tamen, ut ſi electus aliunde vota ſufficientia habuerit, electio non corruat: ſi verò conſtet vel ſaltem dubium ſit, quòd per talem inhabilem majoritas votorum fuerit completa, electio ſit caſſanda. Reiffenſtuel *l. c.* §. 7. *n.* 171. cum Paſſerino & aliis.

QUÆSTIO XXIII.

An infames gaudeant voce activâ in Electionibus?

℟. 1. Non gaudent infames infamiâ Juris, Gl. *in cap. ut circa.* 4. *v. Eligentium. h. t. in* 6. Ratio: Eligere activè eſt actus legitimus, *cap. ſolet.* 2. §. *fin. de ſentent. excomm. in* 6. ſed infamibus prohibiti ſunt actus legitimi, *Arg. cap. Infamibus de R. I. in* 6. & *L. Actus ff. eod.* ergo. Dicta tamen intellige

telligę ſolùm de infami ſententiato ſive declarato, teſte donato *in praxi Regul. Tom. 2. tr. 5. q. 20. n. 4.* Antę ſententiam Judicis infamia non incurritur, adeoque talis infamis adhuc validè eligit, ita tamen, ut contra illum poſſit fieri exceptio & proteſtatio, prout in ſimili ſupra *q. 3.* de excommunicatis dictum.

℟. 2. Infames ſolâ infamiâ facti (hoc eſt, orta ex eò, quòd homines malè loquendo de aliquo infamem opinionem de eo generent) gaudent voce activâ. Leurenius *Fori Benefic. Tom. 2. q. 279. n. 9.* cum Paſſerino, Simanca, Suarez: ex ratione, quòd hæc infamia ſæpe ex cauſis non ſatis firmis gignatur, v.g. ex ignorantia, improvidentia, dicacitate, vel vel odio: adeoque ſi infamatus exinde inhabilitaretur ad actus Status Reipublicæ dependeret ex mutabili vulgi opinione.

QUÆSTIO XXIV.

Quæ ſit pœna eorum, qui non ſervant in Electione tempus vel formam cap. Quia propter 42. de Elect. & Electi poteſtate *præſcriptam?*

℟. 1. Qui in Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus electionem abſque legitimo impedimento non perficiunt intra trimeſtre, ex tunc ſunt privati ea vice poteſtate eligendi, & jus providendi Eccleſiæ devolvitur ad proximum Superiorem, qui aliàs habet jus Electum confirmandi, *cap. Ne pro defectu 41. h.t.* vide ſupra *Sect. 1. q. 18. à dub. 5. & ſeq.* Quòd ſi electio intra tempus legitimum

cele-

celebrata non ſortiatur effectum, ex eo, quòd Electus non conſentiat, vel præſtito conſenſu denuò renunciet, aut moriatur, ſive ob occultum vitium electio irritetur, Electores ex tunc à die diſſenſûs, renunciationis, mortis, caſſationis habet integrum bimeſtre ad novam electionem celebrandam, *cap. ſi electus.* 26. *h. t. in* 6. vide *cit. q.* 18. *Dub.* 7.

℞. 2. Capitulares non ſervatâ formâ Canonicâ electionem pro Eccleſia viduata attentantes, imprimis invalidè eligunt (niſi adeſſet ſpeciale privilegium Apoſtolicum de una vel altera conditione formæ Canonicæ omittenda, aut fortè niſi de conſuetudine aliud introductum fuiſſet, de quo *Sect.* 1, *q.* 28.) ut exprimitur *cap. Quia propter h. t.* & præterea ipſi pro hac vice poteſtate eligendi privantur, non quidem ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis, *Arg. Cap. Quia propter.* ibi, *Qui verò contra prædictas* formas eligere præſumpſerint, eligendi eâ vice poteſtate priventur: quod indicat ſententiam ferendam, uti etiam explicat Gloſſa ibi communiter recepta.

Obſerva 1. Quando ℞. 1. dictum eſt, quòd neglecto trimeſtri jus providendi devolvatur ad Superiorem proximum, intelligitur cum gradatione, ut ſi is etiam ſit negligens, proviſio gradatim devolvatur ſucceſſivè ad alium Superiorem, donec perveniatur ad Papam, *Arg. cap. Quanquam de Elect. in* 6.

Obſerva 2. Jus providendi in hoc caſu devolutionis eſſe ſolùm pro una vice. Unde ſi Superior elegerit vel providerit, ſed electio vel proviſio ab ipſo

ipſo facta ex quocunque caſu vel cauſa fuerit reprobata aut deſtituta effectu, aut proviſus noluerit conſentire, vel etiam poſt conſenſum denuò renunciàrit, poteſtas eligendi denuò relabitur ad eoſdem Electores, cum integro trimeſtri ab hac proviſione reprobata, vel diſſenſu, aut renunciatione; computando; Gl. *in cap. ſi Electio. de Elect. in* 6. ut in ſimili de eligentibus indignum, & ideò voce activâ privatis dicitur de Eligentibus *Sect.* 2. *q.* 1. *dub.* 7.

QUÆSTIO XXV.

Quæ ſit pœna, ſi Electores Electionem debito tempore Electo non intiment?

℞. Quòd Electio, quàm primùm commodè poteſt, ſit Electo intimanda vel præſentanda, dictum eſt *Sect.* 1. *q.* 6. §. 12. *dub.* 7. & *q.* 19. Quòd ſi Electores infra octo dies non præſentaverint vel intimaverint, illi, qui in hoc culpabiles fuerunt, quoad ſe totaliter excidunt à proſecutione proceſsûs, & prætereà ab omnibus beneficiis (quæ in Eccleſia, de cujus Electione agitur, obtinent) per triennium continuum, ex tunc inchoandum, eo ipſo ſunt ſuſpenſi: & ſi infra illud tempus propriâ temeritate, vel alio quæſito colore ſe ad ea ingeſſerint, illis ipſo jure perpetuò privati ſunt, *cap. Cupientes* 16. §. *cœterum. h. t. in* 6. de qua tamen pœna, an adhuc vigeat, vide *cit. q.* 19. Electo verò per hanc negligentiam nullum præjudicium infertur. *d.* §. *Cœterum.* neque enim debet alteri per alterum iniqua conditio inferri; *L. Non debet. ff. de R. J.*

Digitized by Google

Quænam ſint pœnæ eligentium indignum, vide de Eligendis. *q.* 1. *dub.* 7.

QUÆSTIO XXVI.

An gaudeat voce activâ, qui bona fide poſſidet beneficium, v.g. Canonicatum, cui tamen movetur lis in petitorio?

Alii quæſtionem ſic proponunt: An jus ſuffragii ſequatur poſſeſſionem, an proprietatem Juris? Vel; An jus eligendi competat ei, qui verè nactus non eſt quaſi-poſſeſſionem beneficii, ſed ſolùm poſſeſſionem cum bona fide?

℞. Bonâ fide poſſidens beneficium in Eccleſia electiva, gaudet voce activâ in electionibus, valetque ejus ſuffragium, dummodò ante electionem lis necdum fuerit conteſtata ſuper illius Jure eligendi.

Neque ſuffragium vel electio poſteà impugnari poteſt, etſi is, qui votum bonâ fide dedit, ſuccumbat in cauſa ſibi ſuper hoc jure Canonicatûs & eligendi mota, adeoque verè in petitorio quoad quaſi-proprietatem illud Jus non habuerit. Ita Leurenius *Fori Benefic. tom.* 2. *q.* 242. cum Fagnano, Pirhing, Layman &c.

Colligitur *ex cap. Cùm olim. de Elect. & arg. cap. conſultationibus de Jure patron.* Ratio: Poſſeſſor bonæ fidei poteſt percipere fructus rei poſſeſſæ ante litem ſuper proprietate conteſtatam, *L. Bonæ fidei. ff. de acquirendo rer. domin.* Sed electio eſt quaſi-fructus Juris beneficialis, ſicut etiam præſentatio eſt quaſi-fructus Juris patronatûs: ergo poſſeſ-

Digitized by Google

poſſeſſor beneficii vel Canonicatûs poteſt hunc quaſi-fructum percipere, & electioni cohabitare.

Unde ſi cum poſſeſſione tali concurrat alius quidam aſſerens Canonicatum ad ſe de jure ſpectare, & conſequenter jus eligendi ſibi competere excluſo iſto prior ille poſſeſſor eſt admittendus, dummodò conſtet illum bonâ fide eſſe in poſſeſſione: & hoc ideò, ne ſi prætendens proprietatem præferatur, poſſeſſor ejiciatur è poſſeſſione ſua ſine Judicis auctoritate contra *cap. In literis. de reſtit. ſpoliat.* aut ne incerta ſit miniſtrorum Eccleſiæ inſtitutio, aut ne hæc inſtitutio diu differatur cum Eccleſiæ detrimento.

In dubio poſſeſſor præſumitur eſſe in bona fide, donec contrarium probetur, *arg. L. omni modo. 30. v. Nam ſi nullam. C. de Inoffic. teſtam. & L. cùm quidam. 24. ff. de Legatis. II.*

Quòd ſi Capitulares talem poſſeſſorem admittant, ad electionem cum proteſtatione, ut ſuffragium ejus non valeat, ſi reipſa quaſi-proprietatem beneficii non habuerit, inutiliter proteſtantur, neque hæc proteſtatio eſt tam efficax, ut poſſeſſori noceat, niſi ipſemet expreſsè proteſtationi conſentiat, non volendo ſuo voto arrogare valorem, niſi ſibi reipſa beneficii quaſi-proprietas competat, *Gl. in cap. Cumana. de Elect. & Electi poteſt.* Si ſolùm taceat, non cenſetur eo ipſo conſentire, quia taciturnitas non habetur pro conſenſu, quando agitur de incommodo vel præjudicio tacentis.

Quòd ſi tamen Electores dubitent de poſſeſſione, vel bona fide poſſeſſoris, proteſtatio dicta non carebit effectu, adeoque ſi poſteà innoteſcat,

Digitized by Google

illum reipſa fuiſſe deſtitutum quaſi-proprietate beneficii, ſuffragium hoc declarabitur nullum. Layman & alii *in d. cap. Cumana.* Ita Leurenius.

QUÆSTIO XXVII.

An Electores præcisè ratione privationis vocis paſſivæ nondum declaratæ per ſententiam, teneantur privatum excludere ab electione?

℟. Quòd non teneantur, imò nec poſſint excludere *poſitivè per vim*, dictum eſt *Sect.* 1. *q.* 26. *in fin.* ubi etiam inſinuatum eſt, quòd talem poſſint excludere negativè abſque violentia, hoc eſt, ipſum ſimpliciter non eligere: Hìc quæritur, an teneantur negativè excludere? Ad quod Leurenius *ſupra tom.* 2. *q.* 287. Reſpondet, per ſe loquendo Electores non teneri, eo quòd talis privatio cenſeatur illis occulta, cùm eiſdem de ea non conſtet iuridicè: quin etiam peccabunt contra juſtitiam vel charitatem, ſi prætextu talis delicti adhuc occulti, illud manifeſtando, illum non eligant. Ita ille citans Paſſerinum.

Sed contra eſt: Quando ex officio alicui incumbit inquirere de idoneitate, capacitate & habilitate vel dignitate perſonæ, tenetur is revelare, quantum ſcit, & quantum neceſſe eſt: Sed Electoribus ex officio incumbit inquirere de idoneitate, habilitate vel dignitate perſonæ eligendæ: ergo tenetur revelare quantum ſcit, & quantum neceſſe eſt ad impediendam ejus electionem.

Unde

Digitized by Google

Unde licèt fortè alii non teneantur revelare delicta proximi occulta, quæ privatâ ſcientiâ illis innotuerunt, ſecùs tamen dicendum eſt de iis, qui ex officio tenentur in delicta, vel dignitatem aut indignitatem perſonæ inquirere.

SECTIO TERTIA.

De Eligendis & Electis.

QUÆSTIO I.

An & quomodo debeat Eligendus eſſe poſitivè dignus Prælatura, ad quam eligitur?

℞. Ad nullam dignitatem vel beneficium, ſive ſit ſimplex, ſive duplex, ſive curatum, ſive non curatum, poteſt eligi poſitivè indignus: eſt certum apud omnes: Ratio: Dignitates & beneficia dantur propter officia, atqui poſitivè indignus vel planè non poteſt præſtare officia, vel non ſine ſcandalo, indecentiâ & periculo gravium errorum, ergò poſitivè indigno non poſſunt conferri dignitas vel beneficia. Accedit, quòd per poſitivè indignos Eccleſiæ malè adminiſtrentur, adeoque grave damnum patiantur; hinc Infer. ad dignitates Eccleſiaſticas & beneficia eligendos eſſe ſolos Clericos, eoſque idoneos, qui DEO velint & poſſint gratum exhibere famulatum, *c. grave 29. de prabendis.* Vallenſis *lib. 3. Paratitla*

tilæ Juris Canonici tit. 7. §. 3. n. 1. Dicitur hîc *perſona idonea*, quæ prædita eſt morum gravitate, ætatis maturitate, & literarum ſcientia. Ita Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi. p. 1. cap. 2. n. 3.* & *de offic. & poteſt Epiſcopi p. 1. per totum.* ubi graphicè qualitates promovendorum in Epiſcopos depingit. Addit Vallenſis *loc. cit.* §. 4. *n.* 1. quòd in eligendo & promovendo ad beneficia, & multò magìs ad dignitates Epiſcopales vel Abbatiales, debeat abeſſe impedimentum Canonicum, adeſſe natales legitimi & aliæ qualitates, quas ad quadraginta ſeptem accumulat Cæſar Lambertinus: de quibus in contextu.

Dub. 1. *Contra quam virtutem ſit eligere indignum?*

℞. Eſt contra fidelitatem, contra juſtitiam legalem diſtributivam & commutativam. Ita ferme Sanchez *Lib. 2. Conſil. Moral. cap. 1. dub. 36. & 41.* Card. de Lugo, *de J. & J. diſp. 34. ſect. 2. n. 9. & Sect. 4. n. 40.* Contra *fidelitatem* eſt, quia Electores (præcipuè, qui repræſentant integras Provincias vel Diœceſes) fide data obſtringuntur ad procurandam Reipublicæ & Eccleſiæ bonam gubernationem, quæ vel maximè impeditur eligendo Paſtores indignos. Contra *Juſtitiam Legalem* eſt, quia hæc Electores Sede vacante obligat, ut ſtudeant bono communi ac publico, quod tamen promotione indignorum proximæ exponitur ruinæ. Contra *Diſtributivam* eſt, quia Elector ex parte ſua diſtribuit honores & gradus Eccleſiaſticos ſine reſpectu meritorum, & quærit dignitatem viro, non virum dignitati. Contra *Commutativam*

eſt,

eſt, quia eligens indignum abutitur ſua poteſtate & officio in grave Eccleſiarum detrimentum.

Dub. 2. *Quantam Electores debeant adhibere diligentiam ad inveſtigandam Eligendi dignitatem?*

℞. Mediocrem, talem ſcilicet, qualem debent adhibere Viri diligentes in curandis rebus propriis magni momenti. Pellizzarius *in Man. Regul. to. 2. tr. 9. c. 2. Sect. 2.* Neque enim debemus exigere diligentiam ſummam, ubi deeſt ſufficiens ratio qualis hìc non affertur.

Dub. 3. *An quodvis peccatum mortale faciat eligendum indignum dignitate Eccleſiaſticâ?*

℞. 1. Si peccatum ſit præteritum, & maximè ſi pœnitentiâ ſit deletum, per ſe non facit Eligendum indignum gradu Eccleſiaſtico: multi enim fuerunt tam Pontifices, quàm Abbates & Epiſcopi, qui ſanctè & laudabiliter rexerunt ſuas Eccleſias, fueruntque iis digniſſimi, qui tamen antecedenter cum Petro peccârunt graviſſimè. Dixi: *Per ſe:* quia per accidens tales etiam peractâ pœnitentiâ erunt à dignitate excludendi, ſi nimirum periculum ſit relapsûs vel timeretur ſcandalum, aut murmur grave in populo.

℞. 2. Peccatum mortale actuale, quod non eſt publicum, nec notorium, non reddit eligendum indignum dignitate vel beneficio Eccleſiaſtico, dummodò is ſit aliàs integræ famæ, & benè morigeratus. Ratio: mores magìs ſunt penſandi ab ordinario operandi modo, quàm ab uno tantum vel altero actu: ergo conſtitutus in uno peccato mortali actuali occulto adhuc poteſt ſimpliciter dici habens morum probitatem,

℞. 3. Probabiliùs incurritur mortale ad beneficia etiam ſimplicia eligendo eum, qui frequenter eſt in peccato mortali. Card. de Lugo *de J. & J. diſp. 35. Sect. 1. n. 1. circa finem*, contra Sanchez *lib. 2. Conſil. mor. cap. 1. dub. 2. n. 7.* Ratio: qui habet morem ſive conſuetudinem graviter peccandi, non poteſt dici dignus beneficio vel dignitate Eccleſiaſticâ: eſt enim malè morigeratus: ſed qui frequenter eſt in peccato mortali, is habet morem peccandi graviter, nec eſt dicendus præditus morum gravitate: ergo non poteſt eſſe dignus beneficio vel dignitate Eccleſiaſticâ: Subſumo: atqui eſt mortale eligere illum, qui eſt poſitivè indignus, ergò.

Dub. 4. *An non detur cauſa excuſans, ut ad dignitatem Epiſcopalem vel Abbatialem, aut beneficium parochiale eligatur indignus?*

℞. Datur, ſed non niſi unica: ſi nimirum dignus inveniri nequeat; præſtat enim habere aliquem Paſtorem, quàm nullum: & ex hoc capite excuſantur nonnullæ Electiones, in quibus Electi fuerunt indigni, vel ſaltem minùs digni, quia ſcilicet non poteſt ſemper deprehendi, quiſnam ſit dignior.

Dubium 5. *An Elector, vel quivis alius poſſit revelare delicta occulta Eligendi, ut ſic ejus Electionem impediat?*

℞. Quivis poteſt: ſed ſoli Electores *immediatè*, alii autem *mediatè* tantùm & in defectum Eligentium tenentur revelare: *dummodò delicti notitia non ſit hauſta ex confeſſione.* Ratio: quando delictum proximi vergit in detrimentum tertii

rtii (quale eſt hæreſis, proditio patriæ &c.)
lo ſit occultum, poteſt revelari, ut rectè docet
lavarrus *in Enchir. cap.* 18. *n.* 31. Atqui delicta
leo-Electi ex genere ſuo ſunt ſcandaloſa, nociva
cclesiæ, & præbent ruinam proximi: ergo poſſ-
nt ante electionem revelari. Ad hoc tamen, ut
cta obligatio oriatur, requiritur; ut Elector
dear verè imminere Electionem illius indigni, &
ericulum ſit in morâ. 2. Ut ſciat eum communi-
ti fore certò pernicioſum. 3. Ut Electionem
on poſſit aliâ viâ impedire. 4. Ut abſit paſſio,
revelatio fiat purè ex zelo boni communis. Do-
itus Laynenſ. *in praxi Regularium Tom.* 2. *p.* 1.
act. 4. *q.* 24.

℞. 1. Quando indignitas eſt talis, quæ ſecum
ah in capacitatem juris (v. g. ſi ſubſit ſtrictè
regularitas, cenſura, defectus ætatis, aut
dinis requiſiti) Electio paſſiva eſt ipſo jure nul-
. Ratio: ſi talis electio eſſet ſolùm annullanda,
ſe valeret, ergo Electus vi illius acquireret jus
dignitatem vel beneficium: ergo ſupponere-
r in Electo habilitas ad acquirendam dignitatem
l beneficium: ſed incapax ad acquirendum non
teſt eſſe habilis ad acquirendum. ergo.

℞. 2. Quando indignitas oritur ex defectu
entiæ, debet obſervari, quantus ſit iſte defectus:
nim Electus eſſet omnino illiteratus, ut nec la-
nè ſcribere, nec legere ſciret, eſſet absque diſpen-
tione Papæ omnino irrita; quia Electus ille eſſet
npliciter incapax adminiſtrandi Eccleſiam vel
ſerviendi in beneficio. An verò titulus reva-
aretur ſine novâ collatione, quando Electus ex

Digitized by Google

poſt literas addiſcit, controverti poteſt in utramque partem ; veriſimilis eſt ſententia Negativa ; quia beneficium Eccleſiaſticum vel dignitas non poteſt ſine inſtitutione Canonicâ obtineri *cap. 1. de R. I. in 6.* ubi auctore Vallenſi *in jus Canon. lib. 3. Tit. 7. §. 1. n. 3.* Nomen *inſtitutionis* ſumitur generaliter, ut comprehendat quamlibet proviſionem vel modum acquirendi beneficium, ſive ſit Electio ſpecialiter dicta, cum confirmatione ſequenti, ſive poſtulatio cum admiſſione ; ſive nominatio ac præſentatio Patroni cum inſtitutione ſecutâ ; ſive collatio libera ; ſive proviſio Papæ ; ſive permutatio ; atqui Electus omnino illiteratus nunquam fuiſſet Canonicè inſtitutus : ergo non poſſet hoc beneficium vel dignitatem obtinere ſine novâ collatione vel Electione ; huc etiam videtur facere *cap. 18. de R. J. in 6.* ibi : *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit* : Quodſi Electus non ſit omninò illiteratus, Electio etiam non eſt tantùm irritabilis. Ratio ; Si omnes tales Electiones dicerentur irritæ, multæ orientur anxietates conſcientiarum & cauſæ turbationum, cùm quivis facilè poſſet arripere anſam turbandi alterum in poſſeſſione ſuæ dignitatis, vel beneficii, quaſi non eſſet ſufficienter literatus. Prætereà, quando Electus ſcit aliqua, licet non ſciat omnia ſibi neceſſaria, jam non eſt tantum periculum damni Eccleſiæ, ſubditis vel Parochianis inferendi. Excipe ab hucuſque dictis, niſi ex inſtitutione, fundatione vel decreto Pontificis alicujus requiretur certus gradus in jure vel Theologiâ, prout Tridentina ſynodus multis beneficiis annexuit,

xult, tunc enim juxta multos abſentia hujus gradûs faceret Eligendum incapacem, adeóque ſi nihilominus eligeretur, Electio foret invalida.

℞. 3. Quando indignitas Electi oritur ex pravis moribus, aliquando facit Electionem *irritam*, aliquando ſolùm *irritabilem*: Tunc facit *irritam*, quando peccata ſecum trahunt cenſuram, irregularitatem, vel infamiam, quæ Electum faciant beneficii vel dignitatis incapacem: ſequitur ex ℞. 2. In aliis caſibus mores pravi faciunt Electionem ad ſummum ſolùm *irritabilem*: poteſt enim in uno genere peccaminoſus, in alio adhuc eſſe utilis: Et licet Eccleſia talibus non favere, ſed punire velit; cùm tamen hoc nondum reperiatur expreſſum, quòd Electio ſit ipſo jure nulla, hinc nec à nobis id eſt aſtruendum, ne pœnalia extendamus, Contra cap. *Odia de R. J. in* 6.

℞. 4. Electio digni prætermiſſo digniore eſt in utroque jure valida, *cap.* 19. §. *his igitur & c.* 2. *de Elect.* Si enim Electio talis impugnari poſſet ex hoc ſolo capite, quòd non fuerit Electus dignior, innumeris litibus daretur locus. Electores tamen peccant, ſi talem dignum prætermiſſo magis digno ſcienter eligant, ut dicetur mox infra *q.* 2.

Dub. 7. *Quænam ſint pœnæ eligentium indignum.*

℞. Prima pœna eſt, quòd poteſtate eligendi pro nunc priventur, *cùm in cunctis* §. *fin. cap. Cùm Vinnienſis* 25. & *c. ſcriptum eſt* 40. *h. t.* Hæc pœna etiam ad Poſtulantes indignum cum defectu indiſpenſabili, extenditur ut inſinuatur *p.* 2. *q.* 2. & 19. Quid ſit dicendum de compromiſſariis eligentium indig-

Digitized by Google

indignum, explicatum eſt, *Sect. I. q. 7. dub.* 12.

Porrò hæc pœna incurritur *ipſo jure*; nam *d. c. cùm in cunctis*. Dicitur: *Eligendi tunc poteſtate privatos ſe noverint.* Quòd vero *d. c. ſcriptum eſt*; dicatur, quaſi in futuro: *meritò debent eligendi ſeu poſtulandi poteſtate privari* non probat pœnam eſſe ſolùm ſententiæ *ferendæ*: cùm enim jura juribus ſint concordanda, hinc, ne priori textui *c. cùm in Cunctis* fiat aliqua contradictio, juxta gloſſam in poſteriori textuli *Privari*, ſignificat ipſum factum, ut nimirum tales poſteà ortâ aliqua lite, controverſia vel exceptione, debeant per judicis ſententiam denunciari vel declarari, quòd ſint privati.

Eadem pœna ſolùm habet locum, quando ſubſecuta fuit communis electio indigni. Unde non incurritur propter ſolum ſuffragium, in ſcrutinio pro perſona indigna præſtitum, etſi hoc ſuffragium ſcienter datum ſit peccaminoſum, ut patet per textum expreſſum, *c. Perpetuo. 7. h. t. in 6.* Eadem pœna afficit ſolos eos, qui ſcienter eligunt indignum. Hoc eſt, laborantem Defectu Canonico; ſecus eſt, ſi indignitas fuerit ignorata, *cap. innotuit* 20. & *cap. Cum Vintonienſis. 25. h. t.* Licet autem juxta *cap* 47. *de R. J. in* 6. præſumatur ignorantia, ubi ſcientia non probatur hoc tamen locum non habet, ſi quis ex officio ſcire & indagare fuerit obligatus, *Arg. cap. Quamvis* 16. *de R. I.* Cùm ergo Electores ex officio obligati fuerint inquirere de qualitatibus eligendi, non præſumuntur hujus indignitatem ignoraſſe, ſed ignorantiam

am ſuam probare debent, ſi ex titulo ignorantiæ etant excuſationem. Poteſt hæc probatio fieri el per proprium juramentum, vel per publicam amam, quòd nimirum Electus fuerit publicè pro gitimo & habili reputatus. Eadem pœna eſt ſo- im *pro unà proximâ vice*, ut patet ex *d. cap. Cùm intonienſis*. Unde infertur I. quòd Eligentes ſci- nter indignum non ſint privati poteſtate eligendi er totam illam Prælaturæ vacationem, ſed dunta- at pro prima electione, quæ occurrit, ſive ea ha- uerit effectum, ſive non; unde ſi Electus proximam lectionem non acceptarit, aut denuo fuerit mor- ius, aut electio proxima ob vitium aliquod fue- t reſciſſa, dicti privati recuperant jus ſuum ad quentem Electionem concurrendi. Laym. *in d. cùm Vintonienſis n.* 4. Infertur II. Si eligentes dignum, non obſtante, quòd exciderint pro ìc vice jure votandi, ab aliis vocalibus innocen- bus ad proximam Electionem admittantur, poſ- int illorum vota valere, ita ut deinceps non poſ- it repelli ab aliâ novâ ſive tertiâ electione, ſi illa termedia ſecunda non ſortiretur ſuum effectum r textum *d. c. Vintonienſis*. Ibi: *Nos igitur atten- ntes quòd iſti poſt primam Electionem admiſerant, os* (qui dicebantur privati poteſtate eligendi, eò iòd ſcienter elegiſſent indignum) *ad celebran- m ſecundam, & quòd decretum Concilii memora-* (Lateranenſis nimirum) *decrevit hujuſmodi æſumptores unâ vice duntaxat eligendi poteſtate ivatos, quoniam electio, quam coram nobis celebra- volebant, non jam ſecunda, ſed tertia concurre- t, ad eligendum illos cenſuimus admittendos.*

Ita

Ita. ibi. Infertur III. quòd ergo ſit in poteſtate aliorum vocalium innocentium etiam pauciſſimorum alios nocentes ad actum novæ proximæ Electionis vel admittendi, vel ab eo per viam exceptionis repellendi, & quidem ita, ut ſtatim valeat electio, à cæteris innocentibus legitimè facta, & non ſit neceſſarium exſpectare aliam ſententiam, vel declarationem ſuper nocentium privatione, ut ſatis colligitur *ex cap. Bonæ memoriæ 23. & cap. dudum 22. h.t.* Infertur IV. poſt promulgatam Electionem communem de perſonâ indigna, à majore Capituli parte factam, poſſunt alii innocentes, quamvis numero pauciores, ſi in aliam perſonam dignam conſenſerint, ſtatim, & quaſi eodem electionis contextu, etiam abſque novo ſcrutinio electionem ſuam communem de perſonâ digna formare, aut ſi maluerint, etiam ex intervallo hoc facere repetito tamen ſcrutinio. DD. & gl. *in cap. Congregato 53. v. poſtmodum de Elect.*

Altera pœna eſt *ſuſpenſio*: nam Eligentes ſcienter indignum in Epiſcopum vel ſuperiorem Epiſcopo, ſunt *ipſo jure* per triennium ſuſpenſi à beneficiis Ecclaſiaſticis *cap. Cùm in cunctis 7. §. Clerici & c. per inquiſitionem 76. h.t.* Ubi additur vel potiùs infertur, quòd tales durante hac ſuſpenſione non poſſint ad dignitatem Eccleſiaſticam eligi vel aſſumi. Hoc tamen ſolùm intellige de beneficiis (& non officiis teſte Gl. & Hoſtienſi *in c. cùm in cunctis de Elect. & Electi poteſt*) quæ quis obtinuit in illa ipſa Eccleſia, quam ſic eligendo ſpecialiter offendit, non de cæteris beneficiis, ut exprimitur *cap. ſi compromiſſarius 37. §. reſtringitur eodem in 6.* Hæc

pœ-

læc pœna afficit ſolos clericos contradiſtinctos ab
:piſcopis & Cardinalibus, *d. cap. cùm in cunctis*
. Clerici. Nec ab ea ſunt immunes Canonici Ca-
hedrales: licet enim hi aliàs in odioſis non veniant
omine Clerici, *c. ſtatutum 22. h. t. in 6.* Quia
amen *d. Cùm in cunctis.* Expreſſè agit de Ele-
tione Epiſcoporum (quæ de jure competit Ca-
onicis Cathedralibus) hinc iſti, ſi contrafaciant,
on erunt à ſuſpenſione liberi: ſecus eſt de ipſis
piſcopis, ſi & ipſi ad talem electionem indigni
oncurrerent: nam Epiſcopi in materia ſuſpen-
onis & interdicti non veniunt ſub generali No-
iine Clericorum *d. c. ſi Compromiſſarius §. hujuſ-*
odi h. t. in 6. & cap. t. de ſent. excommun. in 6.
lem dici ſolet de Cardinalibus eligentibus indig-
um Papam.

Hæc pœna triennalis ſuſpenſionis habet ſolùm
cum in Electionibus Epiſcoporum, vel his ma-
rum, & non in Electionibus inferiorum Præla-
rum; ut eſt expreſſum *d. c. ſi Compromiſſarius §.*
juſmodi. Et ſunt aliqui, qui etiam pœnam pri-
tionis vocis activæ ſolùm admittant in Electio-
bus iſtis altioribus Epiſcoporum: verum Com-
unior ſententia iſtam privationem vocis activæ
tendit ad eos, qui etiam ad inferiores Prælaturas
gunt indignum; quia, licet fortè *in d. c. Cum in*
nctis. Videretur non ſufficiens diſtinctio fieri
ter ambas has pœnas (de quo tamen adhuc alii
bitant) hoc tamen fit conſiderando alia jura:
cap. dudum 22. h. t. dum inſinuatur aliquid de
vatione vocis activæ ob electionem indigni
ebatur de Electione ad Præpoſituram: & *d. cap.*
cum

cùm in cunctis. Fit mentio tam de Electione Epiſcoporum, quam aliorum inferiorum, & poſtea ſimpliciter additur pœna privationis contra eos, qui ſcienter eligunt indignum: Dum verò *d. c. ſi Compromiſſarius*, fit aliqua limitatio hujus pœnæ. Sola pœna ſuſpenſionis reſtringitur ad Electionem Epiſcoporum: de privatione verò facultatis eligendi reſtringenda, nulla fit mentio.

Hæ pœnæ ſolent non tantùm de Eligentibus, ſed & poſtulantibus indignum intelligi, ut patet *ex cap.* 1. *de poſtulatione Prælatorum*, ubi exprimuntur poſtulantes indignum, *& cap.* 25. *&* 40. *de Elect. & Elect. poteſt*: aliiſque juribus allegatis, ubi de Eligentibus indignum fit mentio. Privatio tamen vocis activæ poſtulantibus indignum impoſita juxta quoſdam eſt ſolùm ſententiæ ferendæ. Vide *p. 2. q. 2.*

QUÆSTIO II.

An ſufficiat eligere poſitivè dignum relicto magis digno?

℞. Electores ad dignitates Eccleſiaſticas, uti & Collatores beneficiorum Curatorum, de facto ſemper obligantur ſub mortali eligere digniorem relicto minùs digno, dummodo ſit ſpes veniendi ad effectum. Conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *De Reform. cap.* 1. Ubi ſic legitur, *Omnes verò & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcunque jus, quacunque ratione à Sede Apoſtolica habent, aut alioquin operam ſuam præſtant, nihil in iis pro præſenti temporum ratione innovando hortatur*

& monet, ut inprimis meminerint, nihil ſe ad
Ei gloriam & populorum ſalutem utiliùs poſſe fa-
-e, quàm ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ guber-
ndæ idoneos promoveri ſtudeant, eoſque alienis
catis communicantes, mortaliter peccare, niſi
os digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicave-
t, non quidem precibus vel humano affectu, aut
bientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus
ritis, præfici diligenter curaverint. Ita Triden-
a Synodus. Unde autem vel qua ratione pro-
ur hæc obligatio, controvertitur inter DD. ut
ere eſt apud Card. de Lugo. *de J. & J. diſp.* 35.
ſ 2. *à n.* 13. qui *n.* 18. hanc ſubnectit rationem,
od diſpenſator publicus (qualis eſt Elector ad
nitates Eccleſiaſticas, vel Collator beneficii)
one officii ſui habeat obligationem naturalem
nſulendi bono communitatis modo meliori,
o poteſt: atqui non ſatìs conſuleretur bono
nmunitatis eligendo minùs dignos. Ergo.

Dubium 1. *An ſint excuſandi, qui ſolùm ſe-*
mel aut bis prætulerant minùs dignum di-
gniori?

Excuſavit eos Reginaldus *fori pœnitent. to.* 2.
30. *tract.* 3. *cap.* 15. *n.* 179. *in fine.* cum aliis
buſdam, contra quos ℞. Non ſunt excuſandi.
tio: Nemini licet vel ſemel alienis peccatis com-
nicare atqui in Electione minùs dignum præ-
e magìs digno eſt communicare alienis pecca-
ut habet textus allegatus Tridentini. Ergo.

Dub. 2. *An nunquam poſſit eligi minùs dignus*
relicto digniore?

℞. Poteſt in aliquibus caſibus eligi: Poteſt enim evenire, quòd dignior non poſſit eligi, vel is reſervetur ad aliam dignitatem, aut ſimilis cauſa interveniat, quas ad ſequentes revocat Card. de Lugo *de J. & J. diſp. 35. Sect. 3.* Si digniori detur etiam dignitas Eccleſiaſtica, quæ fortè in parvâ quantitate ſit tenuior, quàm illa, quæ datur minùs digno: tunc enim cùm dignior jam ſit proviſus, nec alius magìs dignus ſupponatur adeſſe, poterit minùs digno etiam dari votum ad regimen alicujus Eccleſiæ. II. Quando exceſſus dignitatis vel idoneitatis, aut meritorum in illo qui præteritur, modicus eſt ſupra illum, qui eligitur, non eſt Electoribus movendus ſcrupulus magnus. Ratio: quando Electus in modico ſuperatur ab alio, non poteſt rationabiliter plùs timeri, quàm quòd illaturus ſit Eccleſiæ damnum modicum: atqui Eccleſiam exponere periculo damni modici, non eſt peccatum mortale, ergo nec eligere minùs dignum, qui modico exceſſu ſuperatur ab altero. Quòd autem ante ſacram Synaxin etiam parum cibi ſumere ſit mortale, non obſtat, nam in hoc caſu violatur lex gravis, quæ ſimpliciter præcipit, ut Corpus Chriſti Euchariſticum ſit primus cibus ad indicandum, quòd ipſe Chriſtus ſit prima animæ refectio: Electio autem minùs digni ſolùm prohibetur propter periculum damni Eccleſiæ inferendi, quod non cenſetur grave, quando exceſſus idoneitatis non eſt notabilis. III. Quando dignitates ſunt tales, quæ ex ſtatuto vel fundatione non poſſunt obtineri, niſi à perſonis oriundis ex certa patria, vel certis quali-

catibus

ibus veſtitis; tunc enim, ſi talis perſona adſit, æ ſaltem ſit poſitivè digna, debet ea præferri s externis: eſto dignioribus. IV. Poteſt mis dignus eligi ad Prælaturam modò vacantem, ando magis dignus reſervatur de induſtriâ ad ım Prælaturam, quæ brevi vacatura creditur. Si Prælatura vel dignitas minor exigat majon induſtriam, quàm Prælatura vel dignitas ma-, poteſt in Electione ad Prælaturam vel digniem majorem præferri minùs dignus. VI. teſt præferri minùs doctus, vel minùs dignus, ando rationbiliter timetur, quòd doctior vel ;nior reſidentiam modicam ob cumulum negorum habiturus ſit: aut quando prævidetur, òd ille, qui de ſe eſt dignior, ſuſcepturus ſit ;nitatem tantùm ad tempus, quam proinde am cum tempore renuntiaturus eſt: non enim pedit Eccleſiis frequens mutatio, vel rara reſintia Rectorum.

VII. Quando Collator vel Elector certo ſcit quem eſſe dignum, *De altero verò nec ſcit certò dignum*, nec digniorem, judicat tamen probiliter eſſe digniorem, poteſt præferre illum, em certò ſcit eſſe dignum, non obſtante judi- probabili de alterius dignitate majori, quia jor certitudo de dignitate primi æquivalet mai dignitati alterius, non ita certò cognitæ. Di- *De altero verò nec certò ſcit eſſe dignum:* Si m certò ſciret, & hunc eſſe dignum, & ha-et inſuper judicium probabile illum eſſe diiorem, deberet utique iſtum præferre alteri, n iſte pro ſe habeat plures rationes & motiva,

Digitized by Google

ut eligatur; neque alter haberet aliquid, quod æquivaleat, vel præponderet huic judicio probabili.

VIII. Ad vitandam Electionem poſitivè indigni, alioqui eligendi, poſſum negare ſuffragium digniori, cui illud nihil proderit, & eligere eum, qui, licet ſit minùs, tamen eſt verè dignus: imò, ſi nullus poſſit inveniri poſitivè dignus, & adſint duo indigni, quorum unus eſt magìs indigus, quàm alter, poſſem juxta Card. de Lugo *loc. cit. n. 29. V. conveniunt itaque communiter.* Dare ſuffragium minùs indigno, etſi ſit poſitivè indignus. Ratio: non teneor eligere digniorem, niſi ſit poſſibile talem eligere, atqui in poſitâ hypotheſi non eſt poſſibile digniorem, vel etiam tantùm poſitivè dignum eligere: ergo. Imò utiliter gero negotium Eccleſiæ, quando laboro, ut removeatur magìs indignus. Unde ad evitandam electionem indigni non ſolùm licitè *poſſim*. Sed & *tenear* præferre minùs dignum digniori, Card. de Lugo *loc. cit. n.* 34. Ratio: Elector, tanquam miniſter vel officialis publicus, tenetur conſulere bono communitatis; atqui non conſuleret, ſi non præferret (quantum ſibi eſt poſſibile) minùs indignum magìs indigno, vel poſitivè dignum poſitivè indigno, ergo ad hoc tenetur. Quando indigni Electio non poteſt ampliùs impediri, eo quòd ſcilicet jam tot ſuffragia aliorum habeat, ut etiam meo denegato ſit dignitatem conſecuturus, licitè do ipſi meum ſuffragium prætermiſſo digniore: quia multùm refert

ad

pacificam gubernationem, quòd Prælatus vel
piſcopus communi conſenſu eligatur.

QUÆSTIO III.

Quis cenſeatur magis dignus? an ſanctior: an doctior: an prudentior, an potentior?

℞. In genere ſtatui nequit certa regula, ſed o diverſis circumſtantiis quandoque præferenis eſt ſanctior, quandoque doctior, quandoic prudentior, vel etiam potentior. Ratio: il- debet præferri, qui ſperatur Eccleſiæ magis ilis: atqui doctior ſæpe poteſt Eccleſiæ magis ſe utilis, quàm ſanctior: & potentior magis iàm doctior. Ergò. Et hinc excuſandi veniunt ectores, dum eligunt in Epiſcopum perſonam, iæ quidem de ſe non eſſet in tanto gradu digna, io alii, poteſt tamen ob majorem potentiam meis reſiſtere adverſariis.

QUÆSTIO IV.

n & Qualis oriatur obligatio reſtituendi ex Electione perſonæ indignæ, vel minùs dignæ relicta digniore?

§. I.

e Indigno Electo, acceptante dignitatem *An & qualiter teneatur reſtituere?*

℞. 1. Si quis ſeipſum reputet indignum, ab aliis tamen viris prudentibus, & omni exceptione majoribus, quibus eſt bene notus, habeatur pro digno, poteſt Electioni conſentire, & dignitatem acceptare abſque onere reſtitutionis, niſi fortè excipias caſum valde rarum, in quo quis ſciret ſe habere defectum aliquem aut vitium, vel inclinationem occultam, quæ cùm tali dignitate moraliter eſſet incompoſſibilis, quin prorumpat foras cum aliorum ſcandalo ac damno. Adde, ſi quis has ipſas cauſas, ob quas ſe indignum reputat, viris conſcientioſis fideliter detegiſſet, & nihilominùs judicaretur adhuc idoneus, poſſet ſuum ſenſum aliorum judicio ſubjicere, & electioni conſentire. Sic enim ſequitur prudens judicium, facitque quod ex parte ſuâ prudenter facere poteſt. Neque dicas: Nullus alius poteſt me æque noſſe, ac ego ipſe. ℞. Verum hoc eſſet, ſi in te abeſſet periculum timiditatis nimiæ, aut ſiniſtri affectûs, at cùm homo in iis, quæ ſeipſum concernunt, ſit nimiis paſſionibus, affectibus & inclinationibus ſubjectus, hinc eſt difficillimum ſe ipſum rectè agnoſcere: Unde Card. de Lugo *de J. & J. diſp.* 35. *ſect.* 6. §. 1. *n.* 89. judicat rarò contingere, quòd aliquis non poſſit ſe ſubmittere judicio eligentium.

℞. 2. Sciens ſe eſſe indignum, & nihilominùs obtinens dignitatem, ad quam eſt inſufficiens, tenetur reparare omnia damna, quæ ex detentione dignitatis patitur Eccleſia vel communitas: eſt enim poſſeſſor malæ fidei & ſic damna infert cum injuriâ formali. Tenetur inſuper renunciare digni-

gnitati vel Eccleſiæ, cui adminiſtrandæ eſt in-
ſſiciens; quia aliàs Eccleſia damnum pateretur
ntinuò. An non ſufficiat ſibi ſubſtituere vica-
ım temporalem, donec ſe magis habilitet, di-
tur mox dub. 2.

Dubium 1. *An indignus teneatur compenſare lucrum ceſſans, quod dignus & dignior communitati aut Eccleſiæ acquiſiviſſet, ſi dignitatem obtinuiſſet?*

℞. Tenetur: quia eſt ex delicto cauſa, quòd cclesia non habeat in bonis ſuis illud lucrum ceſ-ıns, quod habuiſſet ſi delictum indigni non inter-eniſſet: ergo tenetur reſtituere.

Dubium 2. *An ſufficiat, ſi indignus ſubſtituat ſibi vicarium temporalem, donec ſe magis habilitet?*

℞. Quando indignitas eſt talis, quæ faciat Ele-tionem irritam ipſo jure (vide *q. 1. dub. 6.*) on ſufficit ſubſtitutio vicarii. Ratio: Electio illa b initio fuit nulla; ergo ſine nova Electione vel Collatione Electus non poteſt quietari in conſcien-ia; atqui ſubſtitutio vicarii non eſt nova Electio el Collatio dignitatis: ergo non poteſt in con-cientiâ quietare Electum, nec illi tribuere jus per-ipiendi fructus. Econtra quando indignitas ex arte Electi non inducit in capacitatem juris, nec acit Electionem irritam, non eſt ratio negandi, uòd ad percipiendos fructus ſufficiat ſubſtituere icarium aptum ad præſtandum debita ſervitia. Ratio: Electio iſta ab initio fuit valida, ergo *n*on ſt ratio Electum, antequàm Electio caſſetur, in-quietandi in conſcientiâ, vel privandi fructibus

 perce-

perceptis. Amplia, ut, ſi vicarius ille eſſet perſona legitimè qualificata, & tamen præter ſpem occaſione illius decederet Eccleſiæ lucrum, vel emergeret damnum, non teneatur Electus ſimilia compenſare. Ratio; ſi ipſe beneficiatus eſſet immediatè perſona digna, & præter ſpem inferret fortuitò aliquod damnum, non teneretur compenſare (cum ad caſus extraordinarios & fortuitos ſe non obligârit) ergo nec tenebitur, ſi Vicarius ſuus tale damnum præter ſpem & fortuitò intulerit.

Dubium 3. *An ipſo jure inhabilis, aut ipſo jure privatus voce paſſivâ teneatur in conſcientiâ ante ſententiam declaratoriam non conſentire Electioni vel Confirmationi, aut, ſi conſenſerit, & ita digitatem obtinuerit, teneatur renunciare?*

℞. Sub disjunctione: Si indignitas ſit talis, quæ faciat ipſum inidoneum omnino ad adminiſtrationem, tenetur renunciare, ut colligitur ex *dub. 2.* ubi tali denegatur poteſtas ſubſtituendi Vicarium. Si vero de ſe abſque damno adminiſtrare poſſet, ſed ex ſolo jure poſitivo per legem pœnalem fuiſſet privatus voce paſſivâ, juxta multos non tenetur ante ſententiam Criminis declaratoriam, Electionem vel confirmationem reſpuere, aut Prælaturæ renunciare; & hoc conſequenter docent, qui generaliter admittunt, quòd lex pœnalis latæ ſententiæ non inferat eo ipſo executionem, neque obliget ante ſententiam declaratoriam criminis, ut docent Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 30. & lib. 2. Summa in Decal. cap. 39. n. 32.* Layman *lib. 1. Theol. Moral. tr. 4. cap. 15.*

Sa

Sa *V. Fiſcus.* Diana *p. 1. tr. 19. reſol. 24.* Molina *To. 1. tr. 2. Diſp. 96.* Imò ſemper requiri ſententiam criminis declaratoriam, etſi lex, ipſo facto imponens pœnam, utatur particulis valde expreſſivis, v. g. *abſque declaratione* ; *ante omnem declarationem* ; *absque ullo ſuperioris decreto, miniſterio vel ſententia &c.* Tenent multi cum Lezana & Leſſio *Lib. 2. de J. & I. cap. 29. n. 63.* Intelligentes prædictas particulas ſolùm de declaratione *pœnæ*, non *criminis*: quòd nimirum neceſſe quidem non ſit; declarari reum eſſe obnoxium huic pœnæ, ſit tamen neceſſarium declarari ipſum commiſiſſe hoc crimen, quod pœnæ eſt obnoxium ; vide prædictos DD.

§. II.

De Obligatione Eligentium & Cooperantium ad Electionem indigni.

Dub. 1. *An & Quomodò Eligentes indignum contrahant obligationem reſtituendi.*

℞. Illi, qui primò dant ſua vota, tenentur reſtituere eouſque, donec compleant numerum majoris partis: illi enim ſunt cauſa efficax damnorum: de reliquis videndum eſt, an non ſuo diſſenſu & contradicendo poſſint aliis perſuadere, ut ſententiam ſuam mutent. Si non poſſint perſuadere, & tamen ſuffragium ſuum ſcienter pro indigno addant, peccant quidem contra juſtitiam, at non ſubeunt onus compenſandi damnum; non enim ſunt efficax cauſa damni: cùm cauſa ſufficiens, & quidem inimpedibilis ab aliis jam ſit poſita. Si poſſint perſuade-

ſuadere, & tamen ipſi ſuffragium pro indigno ſcienter ferant, imò ſolùm diſſimulent ſuum votum dando tertio, tenentur compenſare damnum, ſi non ut poſitivè conſentientes, ſaltem ut muti, ſeu non obſtantes, tenetur enim quilibet Elector ex officio ſuo arcere talia damna, quantum poteſt. In dubio an poſſis impedire, vel an prior aut poſterior ſuffragium dederis, juxta nonnullos manes in poſſeſſione tuarum facultatum, & liber ab obligatione reſtituendi: Alii magis piè obligant non quidem ad damnum totum, ſed tamen ad partem pro ratâ dubii compenſandam. Vide Card. de Lugo *de J. & I. Diſp.* 19. *Sect.* 1. *n.* 22.

Dub. 2. *Ego quidem inter priores dedi ſuffragium, ſed etſi hoc non feciſſem, tamen alii ſubſequentes in tanto numero dediſſent, ut indignus accepturus fuiſſet majora: ſum nè immunis ab onere reſtitutionis?*

℞. Negativè: quia tu cum aliis es adhuc verè cauſa efficiens damni: hinc multùm intereſt, an quis primo, an poſtremo loco det ſuffragium: ex prioribus tenentur reſtituere tot, quod ſufficiunt ad faciendam majorem partem votorum, non poſteriores.

Dub. 3. *Quomodo teneantur reſtituere, Electores. De quibus conſtat ad electionem efficaciter influxerint? an in ſolidum ad compenſandum damnum totum, an ſolùm ad partem pro rata influxûs?*

℞. Quivis Elector in defectum aliorum tenetur in ſolidum, ita tamen, ut poſteà detur ei regreſſus ad alios Coëligentes ad ſibi refundendum, quantum

tum quiſque pro ſe debuiſſet reſtituere. Colligitur ex regulâ generali, quam aliqui ſic formant: Cauſa damni partialis partialitate cauſæ, ſed totalis totalitate effectûs, hoc eſt, quæ ſola ſine concurſu aliorum damnum non cauſaret, ſed & viciſſim ſine illius concurſu reliquæ cauſæ non cauſarent totum damnum, tenetur compenſare totum damnum in ſolidum in defectum aliorum. Eruta eſt hæc regula. *Ex L. vulgaris* 21. §. *Si duo pluresvè ff. De furtis.* Ibi: *Si duo pluresvè unum lignum furati ſunt, quod ſinguli tollere non potuerint, dicendum eſt furti in ſolidum teneri, quamvis id contrectare, nec tollere ſolus poſſet; & ita utimur: neque enim poteſt dicere, pro parte feciſſe furtum ſingulos: ſed totius rei univerſos; Sic fiet ſingulos furti teneri.*

Dub. 4. *An & Quomodo cooperantes extranei ad Electionem indigni, vel impedientes Electionem digni, teneantur reſtituere?*

℞. 1. Cooperans ad Electionem indigni ſine vi vel fraude, tamen cum advertentia ad indignitatem Electi, vel majorem dignitatem prætermiſſi, tenetur ſolùm & toties reſtituere, quoties ipſi Electores. Ratio: Cooperans eſt ſolûm cauſa ſecundaria, Obligata in defectum cauſæ primariæ; ergo ſuam obligationem reſtituendi trahit à cauſa primaria: ergo, ſi hæc nullam obligationem contraxerit, nec illa aliquam contrahet: & viciſſim, ubi iſta oneratur, etiam illa in defectum hujus erit onerata.

℞. 2. Cooperans cum vi vel fraude tenetur in primis reſtituere toties, quoties ipſe Electus indignus,

dignus, vel minùs indignus tenebatur. Secundò è poteſt evenire, quòd obligetur, etſi Electores non ſint obligati, ſi nimirum fraude hos deceperit, ut judicent perſonam eligendam eſſe dignam, cùm ſit indigna: vel, ſi vi eos coëgerit, cui ſine notabili damno reſiſtere nequiverant.

℞. 3. Cooperans ſine vi & fraude; & ſine advertentia ad dignitatem majorem prætermiſſi vel indignitatem Electi, non eſt onerandus obligatione reſtituendi: cenſetur enim damnum, ſi quod ſequatur, planè fortuitum: ad caſus autem fortuitos regulariter non datur obligatio.

℞. 4. Impediens dignum, ne eligatur ad Prælaturam, ad quam aliàs eligendus erat, ſi faciat ſine vi vel fraude, & ſine rationabili cauſa, poteſt aliquando peccare contra charitatem, pietatem, gratitudinem, ſimileſque virtutes, non tamen in effectu peccabit contra juſtitiam commutativam, adeoque nec reſtitutionis obligationi ſubjacebit: Secùs eſt, ſi impediat vi vel fraude: tunc enim contrahet obligationem reſtituendi impedito, non quidem ad æqualitatem arithmeticam, quantum is ex dignitate reipsâ habita percepiſſet utilitatis, ſed juxta quantitatem Spei, quam habuit ad dignitatem conſequendam: hinc, ſi impeditus etiam ſecluſis hujuſmodi fraudibus dignitatem conſecuturus non fuiſſet, quia nimirum Electores ex ſe jam firmiter decreverant eligere alium, ita ut dictis fraudibus vel minis non fuerint motij, nec in propoſito roborati, non oritur obligatio reſtituendi aliquid *ratione dignitatis non obtentæ*, ſic enim læſo in effectu non correſpondet fraudibus poſitis. Dixi: *Ratione* dig-

dignitatis non obtenta; ſi enim impedito denigrata fuiſſet fama, deberet quoad hoc ipſi ſatis fieri.

℞. 5. Quando Cooperans ad Electionem, vel intercedens pro altero judicavit ipſum dignum, cujus tamen contrarium experitur, tenetur ab intercedendo abſtinere: ſi dignitas nondum obtenta, vel Electio non perfecta ſit: imò, ſi jam interceſſit & prævidet ſuam interceſſionem fore efficacem, tenetur directè vel indirectè revocare, intercedendo ſcilicet pro alio digniore; aliàs ex tunc malâ fide eſſet cauſa Electionis indebitæ, adeoque eaſdem incurreret obligationes, quas ipſe indebitè eligens; cum hâc ſolùm differentiâ, quòd indebitè eligens ſaltem poſt ipſum Electum, malâ fide Electioni conſentientem, obligetur principaliter: intercedens autem vel cooperans ſecundariò in defectum eligentis, niſi interceſſor falsò laudaſſet hanc perſonam,& Elector prudenter ipſi credidiſſet, tunc enim Elector non peccaret, conſequenter nec teneretur reſtituere.

℞. 6. Si cooperans vel intercedens pro aliquo ſit ejus inhabilitatem expertus modò, poſtquàm Electio conſummata & confirmata eſt, benefaceret,ſi moneret electum, ut ſe magìs qualificet, vel dignitati reſignat, non tamen videtur ſpecialiter ad hoc obligari, quia non eſt Electi Confeſſarius: & inhabilitas antecedenter non fuit prævisa, conſequenter ſe habet,ſicut caſus fortuitus, quem non tenetur præſtare.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

An digniori prætermiſſo ſit aliquid reſtituendum?

℞. 1. Quando dignior fuit vi vel fraude impeditus, ne eligatur, oritur obligatio ipſi reſtituendi, patet ex §. 2. *dub.* 2. ℞. 4.

℞. 2. Quando magis dignus abſque vi vel fraude, non Electus vel prætermiſſus, priùs non habuit jus in: vel ad dignitatem, non naſcitur obligatio ipſi reſtituendi. Quia ubi eſt jus ſtrictum ibi contraveniendo non fit injuria ſtricta. Quòd verò Electores etiam ex juſtitia teneantur eligere magis dignum non oritur ex jure, quod haberet magis dignus, ſed ex jure quod habet Eccleſia, ut ſibi meliori modo de bonis Miniſtris & Paſtoribus provideatur.

℞. 3. In iis omnibus caſibus oritur obligatio reſtituendi digniori prætermiſſo, in quibus ipſe ante habuit jus ſtrictum: vel ad dignitatem. Si tunc enim injuria ſtrictè dicta infertur, quæ poſtulat reſtitutionem. Quod fit in caſibus ſequentibus.

I. Si ad dignitatem canonicè Electus ſit, ſed à Superiore injuſtè repulſus confirmatione denegatâ: ſi ex hoc Electores tranſirent ad Electionem ſecundam, ipſo prætermiſſo fieret ei injuria ſtricta inducens obligationem reſtituendi. II. Quando in caſu devolutionis quiſpiam à ſuperiore eſt denominatus, ſed Capitulum illum renuens acceptare, eligit alium. III. Si quis abſens fuiſſet electus ad Decanatum vel Præpoſituram, & per alium ſubſtitutum miſſus in poſſeſſionem, poſteà adveniens non accep-

acceptaretur. Plures caſus reperiuntur in beneficiorum collatione, ſed brevitatis causâ prætereuntur.

§. IV.

Quo ordine ſubeant obligationem reſtituendi illi, qui ad Electionem indigni concurrunt?

℞. 1. Si damnum inferatur per prodigas donationes, vel alienationes bonorum Eccleſiæ, ab Electo factas, tenetur ante omnes, & primo loco reſtituere is, qui ex re alienata aliquid poſſidet; res enim clamat ad Dominum ſuum: & Adminiſtrator vel Rector, aut Paſtor Eccleſiæ non poteſt res ſuæ Eccleſiæ prodigaliter alienare. Si res illa fuit malâ fide abſumpta, debet abſumens ejus valorem unà cum augmento, fructibus & intereſſe reſtituere. Si res illa fuerit diviſa in plures poſſeſſores, tenentur ſinguli partes, quas acceperunt, contribuere ad reſtituendum; vel, ſi unus in æqui valenti reſtituerit totum, tenentur reliqui huic refundere, quantum quiſque pro ſe debuiſſet reſtituere. Si res fuerit abſumpta bonâ fide à poſſeſſoribus, ſed ii abſumendo pepercerint bonis ſuis vel facti ſint locupletiores, tenentur reſtituere, quantum facti ſunt locupletiores, ne ditentur cum injuria Eccleſiarum. Si res fuerit alienata ad extraneos ſub contractu oneroſo, ſed tamen cum damno Eccleſiarum, quando intervenerunt debitæ ſolennitates, neuter tenetur reſtituere; tunc enim, niſi quis de induſtria dolo induxerit Paſtorem Eccleſiæ ad ineundum contractum, videtur damnum datum eſſe fortui-

fortuitum: ſiquidem inter ſolemnitates, ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum requiſitas, exigitur, ut à Prælato cum Capitulo vel Clero ſuper re alienanda fiat tractatus prævius, an expediat rem alienari, *c. ſine exceptione XII. q. 2.* Item, ut Capitulum, ſaltem pro majori parte conſentiat expreſſè in alienationem, *c. ut ſuper 8. de rebus Eccleſiæ alienandis vel non. c. quantò de his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli*: Stantibus autem iſtis non præſumitur damnum datum eſſe de induſtria. Si debitæ ſolemnitates ſint omiſſæ, poteſt Eccleſia repetere rem ſuam; nam, ſi quid in ſolemnitate ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum requiſita, ſit omiſſum, alienatio eſt irrita ipſo jure, etſi ex juſtâ causâ facta. *c. ult. de rebus Eccl. alienandis vel non.* Quòdſi ſubſiſtat alienatio (quia ſcilicet facta eſt tam ex cauſa juſta, quàm ſub debita ſolemnitate) ſed nihilominùs Eccleſia reperiatur graviter læſa, poterit hæc petere reſtitutionem in integrum, *c. ad noſtram 11. eodem.* Adeoque tenetur is: in quem res Eccleſiæ eſt alienata, eandem reſtituere. Circa refuſionem, pretii nota, quando alienatio fuit valida: debet Eccleſia refundere pretium; quodſi illud non ſit applicatum Eccleſiæ, debet nihilominùs Eccleſia refundere, ne contractus cum Eccleſia fiat nimis difficilis, & homines à contractibus ſimilibus ineundis plus æquo deterreantur: habet tamen Eccleſia regreſſum ad eos, qui pretium acceptum dilapidaverunt: Quando alienatio fuit invalida, poteſt Eccleſia immediatè rem alienatam repetere: nec tenetur ſollicita eſſe de pretio refundendo, niſi illud fuerit ſibi applicatum; nam Dominus

nus non tenetur rem ſuam emere: Si verò pretium ſit applicatum ſibi, tenebitur refundere tantum, quantum accepit, ne Eccleſia diteſcat ex rebus alienis ſine titulo ad illas.

℞. 2. Quando damnum Eccleſiæ eſt purè nocivum abſque lucro tertii, tenetur primò reſtituere ipſe Electus indignus, qui culpâ ſuâ damnum intulit, quia ipſe eſt immediata cauſa phyſica vel moralis: in defectum ejus tenentur Electores, qui ſcienter indignum elegerunt, quia illi ſunt cauſæ ſecundariæ, remotæ, & minùs principales, vide tamen infra *q.* 7.

QUÆSTIO V.

An ſaltem minùs dignus Electus prætermiſſo digniore poſſit electioni conſentire?

Poteſt quoque minùs dignus, dummodò non ſit poſitivè indignus, nec adhibeat fraudes vel vim, ſuffragia pro ſe petere, ut Card. de Lugo *l. c. n.* 90. ſpecificat in hoc caſu: Si plures eſſent competitores ejuſdem dignitatis, quorum unus eſt dignior te, alii vel minùs, vel ſolùm æquè digni ac tu: in hac hypotheſi potes petere, ut ſi Electores ex aliqua cauſa nolint aſſumere digniorem, te potiùs præ aliis aſſumant. Imò nec eſt neceſſe, Electoribus hanc intentionem ſub prædicta conditione enucleatè exponere: ſufficit enim, quòd non petas abſolutè, ſed ſolùm ut tibi fiat gratia, ubi licitè fieri poteſt.

℞. 1. Poſitivè indignus non poteſt conſentire, nec dignitatem acceptare; quia eſt in periculo proximo damnificandi Eccleſiam.

℞. 2. Minùs dignus Electus præ magis digno, poteſt Electioni conſentire, dummodò non induxerit Electores, ut injuſtè præterirent magìs dignum. Sotus *lib. 3. de juſt. q. 6. a. 2.* Sanch. *lib. 2. conſil. moral. cap. 1. dub. 1. n. 2.* Diana *p. 2. tr. 5. miſcell. reſol.* 110. Card. Lugo *de J. & J. diſp. 35. n. 93.* contra alios. Ratio: talis Electus, Electioni conſentiens, & dignitatem vel Prælaturam Eccleſiaſticam acceptans, non cooperatur injuſtitiæ, quâ magìs dignus excluditur, ut ſuppono; ſed ſolùm, poſtquàm injuſtitia ab Electoribus plenè poſita eſt, conſentit in aliquid, ad quod alter nondum habebat jus in re; ſicut ergo, ſi quis tibi vendat rem ſecundò, quam alteri jam priùs vendiderat, dummodò tu non induxeris ad ſecundò vendendum, validè & licitè accéptas, ſi tibi res tradatur, & accipis perfectius jus, quàm prior emptor, ſic in præſenti minùs, tamen poſitivè, dignus, conſentiendo Electioni de ſua perſona factæ, accipit jus perfectius, quàm magìs dignus non Electus.

QUÆSTIO VI.

An ſine culpa poſſit eligi, qui de præſenti eſt inidoneus, ſed ſperatur progreſſu temporis futurus valdè idoneus?

℞. Sub disjunctione: Si inidoneitas conſtat in defectu Canonico, reddente Electionem nullam (v. g. Electus non habuerit legitimam ætatem) non poteſt eligi abſque diſpenſatione, ut ex ſe patet. Quòd ſi Electus quis fuerit, hoc defectu occultato

etſi

etſi poſteà ætatem legitimam acquirat, Electio ob hoc non convaleſcit; quia quod ab initio nullum eſt, tractu temporis non convaleſcit.

Debet ergo ſaltem occultam diſpenſationem ab eo, qui habet facultatem diſpenſandi, in talibus juribus, & ſupplet defectus commiſſos, ſimulque confirmationem in dignitate tantiſper detenta, procurare. Videtur etiam Electus juvari poſſe Regulâ Cancellariæ Apoſtolicæ *de Triennali Poſſeſſore*, quæ in Decreto St. D. N. D. Clementis XI. *die* 24. *Nov*, 1700. *condito*, & 14. *Dec. ejuſdem anni publicato* eſt trigeſima ſexta, tenoris ſequentis: *Item ſtatuit & ordinavit item D. N. quòd ſi quis quæcunque beneficia Eccleſiaſtica, qualiacunque ſint, abſque ſimoniaco ingreſſu, ex quovis titulo Apoſtolicâ, vel Ordinariâ collatione, aut electione & electionis hujuſmodi confirmatione, ſeu præſentatione, & inſtitutione illorum, ad quos beneficiorum hujuſmodi collatio, proviſio, electio, & præſentatio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinet, per triennium pacificè poſſederit (dummodò in beneficiis hujuſmodi, ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ex reſervatione generali in Corpore Juris clauſa reſervata fuerint, ſe non intruſerit) ſuper eiſdem beneficiis* (Nomen beneficii in hac favorabili regula latiſſimè explicando, ut comprehendat Officia Eccleſiaſtica, & conſequenter etiam Dignitates, ut ſentiunt Doctores communiter) *taliter poſſeſſis moleſtari nequeat, nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipſis ſic poſſeſſis factas, irritas & inanes cenſeri debere decrevit, antiquas lites ſuper illis motas penitus extinguendo.*

Si indignitas conſiſtat in defectu, non irritante

Electionem, quia ſcilicet Electus non eſt ſufficienter inſtructus in ſcientiis neceſſariis, & notitiâ jurium &c. Speretur autem fore, ut progreſſu temporis ſe magìs, imò plenè perficiat, poteſt interdum fieri, ut is pacatâ republicâ eligatur: dummodò officium commodè per Vicarium geri poſſit, & aliæ juſtæ cauſæ acceſſerint; ſecùs eſt, quando Reſpublica eſt turbata, & præſentem opem Epiſcopi vel Prælati exigit. Leſſius *lib. 2. de J. & J. cap. 32. dub. 3. n. 14.*

QUÆSTIO VII.

Si Electus bona fide judicet ſe eſſe dignum ac ſufficientem, Elector verò ſciat vel ſcire poſſit contrarium, quis teneatur reſarcire damna, ab Electo inculpabiliter illata?

℟. Non Electus, ſed Electores tenentur reſarcire. Ratio: Qui damnum cum culpa Theologica intulit, tenetur illud reſarcire ſub culpa Theologica, atqui Electores ſoli in data hypotheſi, tanquam cauſæ morales, intulerunt damnum cum culpa Theologica; ergo.

QUÆSTIO VIII.

Quot vota debeat habere Electus, quando concurrit dignus cum indigno?

℟. Si in una & eadem Electione major pars eligat indignum ſcienter, minor verò pars dignum, præfertur pars minor, & electio, ab eâ facta, debet confirmari, adeoque in hac hypotheſi electus non debet neceſſariò habere majora & saniora: eſt expreſſum *c. Dudum 22. h. t.*

Quæ-

QUÆSTIO IX.

An Electores poſſint eligere indignum, vel ſaltem minùs dignum ſcienter, quando intentantur illis minæ graves, ſi renuant?

℟. 1. Quandò metus incutitur *in contemptum Eccleſiæ,* non excuſantur Electores, conſentiendo vel cedendo; nullus enim metus poteſt excuſare à contemptu Eccleſiæ.

℟. 2. Quando metus incutitur ſolùm *ex contemptu Eccleſiæ*, tenente ſe ex parte minas intentantis, quia ſcilicet iſte contemnit quidem Eccleſiam, non tamen propterea intendit, ut Electores per hanc indigni Electionem profiteantur ſe ſimul contemnere, poſſunt Electores excuſari à peccato, & obligatione reſtituendi, ſi malum, quod timere debent, ſit majus vel æquale illi, quod ſequi prævidetur ex Electione indigni. Ratio: Elector non tenetur eligere dignum, niſi is poſſit moraliter eligi, neque enim in materia juſtitiæ quiſquam tenetur ad moraliter impoſſibile; atqui in data hypotheſi dignus, moraliter loquendo, non poteſt eligi. Ergo.

QUÆSTIO X.

Quæ Qualitates in ſpecie requirantur in Eligendo, ut ejus Electio ſit valida & licita?

℟. Poſſunt hæc revocari ad capita ſequentia, 1. ut eligendus in Abbatem ſit profeſſus religionem,

nem. 2. Habeat legitimam ætatem. 3. Habeat debitos Ordines. 4. Sit liber ab excommunicatione, 5. à ſuſpenſione, 6. ab interdicto, 7. ab irregularitate, 8. ſit in bona fama, 9. ſit ab hæreſi immunis, 10. non ſit pœnitentiatus, 11. ſit de legitimo thoro. 12. Non ſit bigamus. 13. Non ſit corpore vitiatus. 14. Non mutilaverit ſe ipſum. 15. Non ſit dæmoniacus vel maleficiatus. 16. Non Epilepticus, vertiginoſus, paralyticus, vel apoplecticus, aut alias infirmus, 17. non mente alienatus, 18. non androgimus, 19. non Simoniacus, 20. non Schiſmaticus, 21. non Apoſtata, 22. non aleator publicus, cujus Electio paſſiva eſt etiam ipſo jure nulla. *c. inter dilectos. de exceſſ. Prælat.* Trident. *Seſſ. 22. de reform. c.* 1. & *Seſſ. 24. cap.* 12.

§. 1.

De Profeſſione religioſa Eligendi in Abbatem, An & Quomodò debeat eſſe profeſſus?

℞. Eligendus in Abbatem debet eſſe profeſſus illam religionem, in- & pro- quâ Electio eſt facienda, ita quidem, ut non ſufficiat profeſſio implicita, ſed debeat eſſe expreſſa. Prima pars, quòd debeat eſſe profeſſus aliquam religionem, eſt expreſſum *c. Cùm cauſam. 2. h. t.* ex ratione ibi expreſſa: *Cùm ſecundùm legem divinam non ſit in bove arandum & aſino, nec quiſquam debeat veſtem induere de lanâ & lino contextam.* Nempe diſpar conditio hominum non videtur bene combinabilis ad conſti-

conſtituendum unum corpus Monaſterii. Videmus quidem in Gallia & cæteris regnis paſſim in Prælaturis Regularium inveniri Abbates, ut vocant, *Commendatarios*, nullam profeſſos vitam regularem vel religioſam: potiùs Oeconomi ſunt illi, quàm Abbates veri. Unde etiam Poſſeſſiones Religioſorum in ſimilibus Monaſteriis commendatis non debent emitti in manibus Commmendatarii. ſed vel Generalis, vel Patris-Abbatis, aut Prioris loci, tanquam Monaſterii illius Abbatem regularem repræſentantis, ut ordinant Statuta S. & Canonici Ordinis Præmonſtratenſis. *diſt.* 1.*c.*17.*n.*21. Secunda pars, quòd debeat eſſe profeſſus illam religionem, in qua eſt eligendus, conſtat ex *Clement.* 1.*h.t.* ibi; *Cùm rationi non congruat, ut homines diſparis profeſſionis vel habitûs ſimul in eiſdem Monaſteriis ſocientur; prohibemus, ne Religioſus aliquis in Abbatem vel Prælatum alterius Religionis vel habitûs de cætero eligatur: quòdſi ſecùs actum extiterit, ſit eo ipſo irritum & inane.*

Ipſius DEI ad Moyſen effatum eſt: *Eum conſtitues* (Regem) *quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, non poteris alterius generis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus,* Deut. 17. v. 15.

Nec obſtat, quòd Romanus Pontifex, plerumque nullum profeſſus Ordinem religioſum, ſit ſupremum caput & Generalis omnium Religionum, ut proinde Religioſi ex vi voti obedientiæ teneantur obedire Romano Pontifici, æquè ac aliis Prælatis Ordinis teſte Sayro *in clavi regia lib.*6.*c.*10. *n.*17. Non ergo abſurdum eſt aliquem non Reli-

gioſum vel profeſſum alterius Ordinis eſſe caput & Superiorem Ordinis.

℞. Aliud eſt eſſe Superiorem Generaliſſimum, aliud Specialem. Non eſt abſurdum, ſi Generaliſſimus ſuperior ſit diverſæ profeſſionis, imò nec poteſt eſſe, ut ſit ejuſdem profeſſionis cum omnibus Ordinibus, alioqui non unum, ſed tot capita ſuprema formanda forent, quot eſſent Ordines: quod ipſum eſſet inordinatè intervertere omnem Ordinem, & Eccleſiam Catholicam velle non eſſe unam, quia ſic non poſſet eſſe ſub uno capite. At Superiorem ſpecialem eſſe diverſæ profeſſionis nemo non apprehenderet tanquam paradoxum. Infer. per *d. Clement.* 1. *h.t.* corrigi aliquatenus *c. Nullus Religioſus.* 28. *eod. in* 6. in quo videtur permiſſum, ut Religioſus eligatur in Abbatem ſuæ vel alterius Religionis.

Huc facit, quod pro Canonico Ordine Præmonſtratenſi decrevit Innocentius II. *Anno* 1135. *in bullâ incip.* Sacer Ordo veſter, ibi: *Perſonam de alio Ordine nulla Eccleſiarum veſtrarum ſibi eligat in Paſtorem, nec veſtri Ordinis aliqua in Abbatem Monaſterii alterius Ordinis, niſi de auctoritate Romanæ Eccleſiæ ordinetur.*

Tertia pars, quòd eligendus debeat eſſe *expreſsè* profeſſus, ut Electio ſecus facta ſit irrita, conſtat ex *cit. cap. Nullus Religioſus:* quod ſic loquitur: *Nullus Religioſus ad Abbatiam ſeu Prælaturam ſuæ vel alterius Religionis de cætero eligatur, niſi anteà fuerit Ordinem regularem expreſsè profeſſus: quòd ſi ſecus actum fuerit, eo ipſo irritum habeatur.* Ita ibi, ubi mox ſubjungitur: quòd

quòd ſolùm tacitè profeſſi, imò adhuc Novitii poſſint eligi, in Epiſcopos: an verò ſolùm tacitè profeſſus non poſſit eligere activè, vide *Sect.* 2. *q.* 2.

Dubium. *Quantum temporis requiratur à Profeſſione eſſe tranſactum, ut quis in Prælatum Religionis poſſit eligi?*

℞. In Monialibus Conſilium Tridentinum *Seſſ.* 25. *de Regular. cap.* 7. requirit à profeſſione annos octo, aut ad minimum quinque. Pro viris nec in Tridentino, nec in reliquo jure communi reperitur aliquod certum tempus ſtatutum; Unde viri (niſi aliud ferant ſpecialia ordinis ſtatuta) poſſunt ſtatim à Profeſſione in Prælatos Ordinis eligi, dummodò in obſervantiis Ordinis ſufficienter ſint inſtructi, & reliquis qualitatibus requiſitis competenter imbuti. Si talis Electus in obſervantiis Ordinis debitam inſtructionem necdum haberet, aut præſumeretur in ipſo hærere aliqua ambitio, Electio eſſet irritanda à Superiore vi officii, non irrita ipſo jure. Leurenius *Fori Benefic. Tom.* 2. *q.* 299. cum Suarez & Paſſerino.

§. II.

De ætate Eligendorum?

℞. 1. Eligendus ad perſonatus & dignitates Epiſcopatu inferiores, ex jure novo, ſi cura animarum non ſit illis annexa, debet habere ætatis annos viginti duos, Concil. Tridentinum *Seſſ.* 24. *De Reform. cap.* 12. Ubi poſt declarationes *in remiſſionibus lit.* 5. *d.* notatur S. Congregationem Cardi-

 nalium

nalium cenſuiſſe ætatem viginti duorum annorum debere eſſe completam, eo quòd S. Synodus dicat adſciſcendum ad talem dignitatem non debere eſſe minorem annis viginti duobus, contrarium tamen doceri ab Emmanuele Sa *v. beneficium n. 31.* Azorio *inſtit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 5. q. 3:* Henriq. & Zerola. In iiſdem remiſſionibus lit. y. additur congregationem cenſuiſſe hic etiam comprehendi dignitates in Eccleſiis Collegiatis; contrarium tamen doceri, ab aliis.

℞. 2. Eligendus ad dignitates habentes annexam curam animarum, debet vigeſimum quintum annum, ſaltem inchoâſſe, Concil. Trid. *loc. cit. & c. cùm in cunctis 7. §. inferiora h. t.* Ex quo Infer, cùm dignitas Abbatialis & Prælaturæ Regulares curam animarum hàbeant imbibitam eligendum vigeſimum quintum ætatis annum inchoâſſe neceſſe eſt. Ita Antonius à Spiritu S. *in Directorio Regularium, tr. 5. Diſp. 4. n. 76.*

℞. 3. Eligendus ad Epiſcopatum complêſſe debet annos triginta. *Cap. cum in cunctis 7. h. t.*

Nec obſtat *Gl. in c. un. v. compleverit de ætat. & qualit. Ordin. in 6.* Ubi vult ſufficere annum trigeſimum eſſe inchoatum, nam teſte Wagnereck *in d. cap. cùm in Cunctis* Gregorius XIV. *in conſtitutione publicata 15. Maji. 1591.* Declaravit contrarium & verbum: *Exegerit,* quo Pontifex in eodem *cap. cùm in cunctis.* Utitur, idem ſatis clarè indicat. Quoad ſenium nullus ſenex prohibetur eligi: dummodò non ſit redditus impotens ad exequendum officium. *c. niſi cùm pridem 10. de renunciatione.*

§. III

§. III.

De Ordinibus Eligendi in Abbatem vel Epiſcopum, Decanum aut Præpoſitum.

14. Ex jure recentiori communi eligendus obligatur ad ſuſcipiendum Sacerdotium. Patet ex *c. ſicut XXI. q. 2.* Ibi: *Unaquæque Eccleſia unum tantùm habebit Sacerdotem, qui eam caſtè & ſincerè regat.* Idem conſtat *ex cap. ut Abbates 1. de ætat. & qualit. & Ord. præficiendorum.* Vi tamen iſtius juris communis non debet neceſſariò eſſe Sacerdos *actu* ſed ſufficit, quòd habeat ætatem ad Sacerdotium requiſitam, & ad minus primâ tonſurâ ſit initiatus. Ratio: *d. c. ut Abbates,* præcipitur, ut Abbates, Decani & Præpoſiti, qui Presbyteri non ſunt. Presbyteri fiant: Infero: ergo hoc jure poteſt quis eſſe Abbas, Decanus vel Præpoſitus, etſi actu Presbyter non ſit, dummodò deinceps fiat. Hæc obligatio ſuſcipiendi Sacerdotium debet infra annum adimpleri. *Cap. Licet* 14. *de Elect. in* 6. quod adeò verum eſt, ut ſi Electus præſcripto tempore Sacerdotium non ſuſcipiat, jure ſuo planè cadat, *d. c. Ut Abbates, & cap. cùm in cunctis* 7. *§. inferiora h. t.* Circa quæ duo capitula reperitur aliqua differentia, nam ſummarium *cap. cùm in cunctis.* Admittit excuſationem, ſi ex cauſa legitima ordo requiſitus proximis temporibus non ſuſcipiatur.

At *c. ut Abbátes.* Videtur id reſpuere, dicit enim: *Quòdſi aliqua juſta cauſa prohibentè Preſbyteri aut Diaconi eſſe non potuerint, Prælationes*

amit-

amittant. Videntur ambo concordari dicendo, quòd prius admittat excuſationem ſolùm in hypotheſi, quâ Electus non ſuſcipit ordinem Presbyteratûs *proximis temporibus*; hoc eſt, ſi ſolùm ad aliquod tempus non adeò notabile differatur: Poſterius non admittat, ſi vel *nunquam*, vel non niſi *longo poſt tempore* ordo requiſitus poſſit ſuſcipi. Quodnam verò tempus cenſeatur ſatis longum, arbitrio prudentum eſt definiendum. Dixi ſemper, dicta procedere *ex jure communi*: ſi enim aliqua Eccleſia Cathedralis vel Collegiata, aut Religioſus Ordo ſtatuta haberet ſpecialia, (maxime, quæ ſint à Sede Apoſtolica approbata) ut vel eligendus ſit neceſſariò Sacerdos actu, vel profeſſus converſus poſſit eligi in ſuperiorem, valebit id ſolùm pro ſuis Capitularibus & Religioſis, unde etiam olim Abbates, ut Antonius Hilarion &c. non erant Clerici. Cenſent aliqui, quòd eligandi in Generales vel Provinciales debeant attigiſſe ætatem ad Epiſcopatum requiſitam, ſcilicet annos triginta exactos; verùm id potius eſſe decentiæ, quàm neceſſitatis ex eo eruitur, quòd lex tradens neceſſariam formam ad aliquid agendum, cenſeatur odioſa, conſequenter non debeat extendi ultra expreſſa: atqui nullibi legitur expreſſum in Canonibus, quòd Generalis vel Provincialis eligendus debeat ætatem habere Epiſcopalem. Ergo.

Dub. I. *An ex diſpenſatione promotus ad Sacerdotium ante annum vigeſimum quintum poſſit eligi in Abbatem, Decanum vel Præpoſitum?*

℞. Ex jure communi non poteſt eligi; Ratio: diſpen-

diſpenſatus in uno non eſt diſpenſatus in altero; cùm diſpenſatio tanquam ſtricti juris non ſit extendenda: deberet ergo talis poſtulari. Nec obſtat, quod per diſpenſationem promotus ad Ordines Sacros acquirat vocem activam, ut dictum *Sect. 2. q. 2. dub. un.* nam Jura in eligente non requirunt ætatem pro Subdiaconatu: ſed ipſum Subdiaconatum: at in eligendo requirunt determinatè ætatem nimirum in Epiſcopo trigeſimum annum completum, in Decanatu, & aliis curam animarum annexam habentibus, vigeſimum quintum inchoatum, *c. cùm in cunctis. 7. & §. inferiora. de Elect.*

Dub. 2. *Si non Sacerdos poſt Canonicam Electionem de ſe factam fiat irregularis abſque culpa ſua v. g. perderet oculum, aut ſaltem viſum ex infirmitate, aut à latronibus præſcinderetur ipſi manus, ut ad ulteriores Ordines non poſſit provehi, an talis in vim* d. c. ut Abbates. *Dignitate ſua, ad quam eſt electus, ſit privandus.*

℞. Negativè: quia non debet afflicto addi afflictio *c. 1. & 4. de cleric. ægrot.* Et quia *c. ut Abbates*, tanquam odioſum non debet extendi ad juſtas cauſas, poſt Electionem modò emergentes, cùm ſatis ſit, ſi explicetur de caſu, quo cauſæ juſtæ Sacerdotium ſuſcipiendum impedientes, præceſſerunt Electionem.

§. IV.

Quomodò Eligendus debeat eſſe liber ab Excommunicatione?

℣. De-

℟. Debet Eligendus eſſe liber ab omni excommunicatione, *c.ſi celebrat.* 10. *c. poſtulaſtis.7. de clerico excommunicato depoſito vel interdicto miniſtrante*: tam ab eâ, quæ ab homine, quàm quæ à jure eſt lata; tam à publica, quàm occulta, probabiliùs tam à Scita ab eligendo, quàm à non ſcita ab eo; & ut electioni ſuæ licitè conſentiat, tam à denunciata, quàm non denunciata: licèt enim poſt Concilium Conſtantienſe non omnis excommunicatus ſit vitandus, omnis tamen excommunicatus manet incapax jurium ſpiritualium in dando, recipiendo, vel exequendo conſiſtentium.

Imò etſi innodatus excommunicatione minore non ſit inhabilis ad eligendum *activè* per dicta *de Eligentibus q. 3. Dub.* 1. Eſt tamen inhabilis, ut eligatur *paſſivè* in tantùm ut, ſi talis ſcienter fuerit electus, electio ejus ſit irritanda, *d. c. ſi celebrat.* 10. *de cleric. excomm.* Et ratio eſſe poteſt, quòd eligi *paſſivè* ſit magis in favorem Electi; Econtra eligere *activè* non ſit in favorem eligentis, ſed Electi, adeoque poteſtas eligendi activè faciliùs concedi poſſit minori excommunicatione ligato, quàm habilitas, ut eligatur paſſivè, de quo mox iterum. Et in hunc finem ſapienter à Præſide Capituli actui electionis ſolet præmitti abſolutio Generalis à cenſuris.

Dub. 1. *An liber ab Excommunicatione tempore Electionis, poſſit Electioni conſentire, & dignitatem acceptare, quando tempore acceptationis modò in excommunicationem incidit?*

℟. Poteſt acceptare ſaltem validè. Riccius 2.

p. præ-

p. praxis. reſol. 316. cum aliis contra alios. Ratio: nullibi reperitur jus prohibens acceptationem, quando habilitas adfuit tempore Electionis: ergo illa acceptatio conceſſa eſſe videtur, juxta regulam generalem: *Quod prohibitum non reperitur, conceſſum intelligitur, L. nec non §. quod ejus ff. in quibus cauſis majores.* Imò Sayrus *lib. 2. de cenſuris, cap. 5. n. 22.* Nequidem veniale agnoſcit in tali acceptatione per ſe ſumptâ, dum Electus non acceptat pro illo ſtatu, in quo eſt, & manebit excommunicatus, ſed pro illo, pro quo petit, & obtinere ſperat abſolutionem.

Quod concernit poſſeſſionem dignitatis, ad quam eſt Electus, ſi tempore excommunicationis eam accipiat, validè accipit, eo quòd iſta ſuſceptio poſſeſſionis fundetur in facto & non in jure: excommunicatis autem non ſit inhibitum exercere ea, quæ ſunt facti tantùm, dummodò non immiſceatur communio cum fidelibus. Exercitium tamen vel adminiſtrationem dignitatis ante obtentam abſolutionem non poteſt acquirere, eo quòd hæc adminiſtratio vel exercitium non poſſit haberi ſine communione fidelium, quæ poſt Conſtantienſe ex parte non excommunicatorum, manet inhibita. Excipe caſum neceſſitatis, ubi excommunicatus neceſſitatur ad exercitium ſuæ dignitatis in hypotheſi, quâ per ipſum non ſtat, quòd non abſolvatur.

Dubium 2. *Quomodò ſe geret Electus, cujus excommunicatio eſt occulta?*

℞. Tenetur ſe extricare & reſpuere Electionem, quantùm moraliter poteſt: Quòd ſi aliâ viâ onus ſupe-

Digitized by Google

ſuperioritatis declinare non poſſet, niſi manifeſtando ſuam cenſuram, cui eſt innodatus, ad hoc non eſt obligandus, quando ex manifeſtatione ſequeretur ipſi aliqua infamia; ſecus eſt, quando in caſu ſpeciali nulla infamia eſſet rationabiliter timenda. Idem dic cum proportione de aliis impedimentis occultis. v. g. irregularitate &c. Ubi ante actum Electionis à Præſide Capituli præmittitur abſolutio generalis, ſecurè procedit Electus acceptando Electionem abſque ulla manifeſtatione defectûs occulti, quando defectus per *abſolutionem* eſt tollibilis, ut ſunt cenſuræ: ſecus eſt de irregularitate, quæ tollitur per *diſpenſationem*, tunc enim non ſufficit ſola abſolutio.

Dub. 3. *An excommunicatus toleratus poſt Concilium Conſtantienſe nunquam poſſit eligi?*

℞. Sub diſjunctione: Si Electio facienda de tali perſona excommunicata principaliter cedat in favorem Electi, non poteſt eligi: quia Conſtitutio extravagans Martini V. *Ad evitandum*, quæ tolerantiam excommmunicatorum induxit, non intendit favere excommunicatis, ſed aliis fidelibus, quibus nimis difficile foret à tot excommunicatis abſtinere. Si verò Electio principaliter cedat in favorem Eccleſiæ viduatæ, puta, quia iſte excommunicatus creditur futurus valde utilis vel neceſſarius tali Eccleſiæ, poteſt validè & licitè eligi: quia dicta conſtitutio Martini V. permiſit fidelibus generaliter communicare cum excommunicatis toleratis, ſi communio non cedat principaliter in favorem excommunicati; atqui hoc hic fit. Ergo.

§. V.

§. V.

Quomodò Eligendus debeat eſſe liber à ſuſpenſione?

℞. Debet Eligendus eſſe liber à cenſura ſuſpenſionis, *cap. Cùm dilectus.* 8. *de conſuet.* Quod intellige de ſolis ſuſpenſis *nominatim declaratis* & *notoriis*, non de occultis & toleratis, ad *forum externum* ſequitur ex dictâ conſtitutione Martini V. vi cujus nemo à communione alicujus, à Sacramentorum adminiſtratione vel receptione, aut ab aliis quibuſcunque divinis, prætextu cujuſcunque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ (qualis eſt *ſuſpenſio*) à jure vel ab homine generaliter latæ, tenetur abſtinere, niſi ſit *notorius* vel *ſpecialiter denunciatus*. Dixi: *In Ordine ad forum externum:* Quòd enim in foro externo non poſſit cenſuratus talis liberè & inculpatè ſpiritualibus (à quibus aliàs per cenſuras arcetur) ſe intromiſcere aut conſentiendo acceptare, colligitur ex Tridentino, infra §. 7. allegando, in quo conceditur Epiſcopo facultas diſpenſandi pro foro conſcientiæ in omnibus irregularitatibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus: Ubi clarè ſupponitur has ſuſpenſiones etiam non notorios (utpote ex delicto *occulto* deſcendentes) ſtrinxiſſe in foro conſcientiæ, aliàs diſpenſatione vel abſolutione opus non fuiſſet. Nec ſuſpenſio quælibet, v. g. ab ordine tantùm, effectum præſentem inducit: ſed ſuſpenſio ab officio vel exercitio juriſdictionis ſpiritualis. Ratio: effectus iſte, utpote pœnalis & odioſus, non eſt extendendus; ergo ſuſpenſio

Digitized by Google

à ſolo ordine extenditur ad ſolos actus Ordinis, & non ad actus officii vel juriſdictionis: atqui Electio ſpectat non ad ordinem, ſed âd officium vel juriſdictionem, ut ſupra dictum, ergo. Quòdſi ſuſpenſio eſſet tantùm ad tempus certum, vel tantùm ſub certâ conditione, v.g. donec ſuſpenſione aſtrictus ſatisfecerit, adveniente tempore vel conditione abſque alia declaratione ſuſpenſio exſpirat ipſo facto, adeoque ſuſpenſus ex poſt iterum poteſt liberè eligi.

Excipe ab hucuſque dictis Regulares, introducentes mulieres quaſcunq; in ſua clauſtra; iſti enim non gaudent beneficio Conſtitutionis Martini V. *Ad Evitandum*, nam Pius V. in ſuâ conſtit. incip. *Regularium perſonarum*, ſancivit tales eſſe privatos omnibus officiis; inſuper reddidit eos inhabiles ad ad alia in futurum, idque ipſo facto abſque alia declaratione: ſubſumo: atqui ſuſpenſus ab officio omni habito, & inhabilis ad officia habenda non poteſt eligi in Abbatem, ergo. Hoc habet locum etiam in ſuſpenſo occulto & tolerato, teſte Rotâ Romanâ *deciſ.* 534.*n.*5.*part.* 1.*in recent.* nam ſententiæ latæ cum clauſula, ipſo facto abſque alia declaratione, ſtatim obtinent ſuum effectum, vide Sayrum *de cenſuris.lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 13.

§. VI.

Quomodò Eligendus debeat eſſe liber ab interdicto?

℟. Notoriè interdictus, aut, qui non ſervavit interdictum, celebrando v.g. in loco interdicto, non poteſt eligi, *c.* 1. *de poſtulat. Prælat.*

§. VII.

§. VII.

Quomodò debeat eſſe liber ab irregularitate?

℟. Debet Eligendus ſimpliciter ab irregularitate eſſe immunis, *cap. 16. qui. 18. §. 15. vero. de ſent. excom. in 6. c. niſi de renuntiat. c. 2. de cleric. ægrot.* Et hoc extende ad irregularitatem occultam ac toleratam, nam Concil. Trid. *Seſſ. 24. c. 6. de reform.* dando Epiſcopis pro foro conſcientiæ facultatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio voluntario & iis, quæ ad forum contentioſum ſunt deductæ, ſupponit irregularitates & ſuſpenſiones occultas ligâſſe; aliàs enim opus non eſſet diſpenſatione.

Nec prodeſt eligendo, quòd fortè invincibiliter ſuam irregularitatem neſciat; quia ignorantia excuſat quidem à peccato, non tamen confert habiltatem. Irregularitas ſuperveniens non obſtat, quo minùs irregularis, v. g. homicida occultus poſſit retinere dignitates, ad quas priùs fuit Electus, & quietè poſſedit. Vide Lezanam *in Summa qq. Reg. tom. 1. c. 18. n. 8.* ubi notat, quòd, quando tale homicidium, etiam voluntarium, eſt omnino occultum, hoc eſt, nec deductum, nec deducibile ad forum contentioſum, probabile ſit, ipſos Prælatos Ordinis poſſe cum talibus diſpenſare in ordine ad officia religionis.

§. VIII.

Quæ debeat inclareſcere famâ?

℟. Debet Eligendus eſſe in bona fama; neque enim lucere poteſt aliis in exedra regiminis, qui fa-

Digitized by Google

mæ Ecclypſin patitur. Unde infames paſſim tam ſacri Canones, quàm Juſtiniani Codex à dignitatibus & publicis officiis abarcet. *c.* 87. *de R. J. in* 6. & *L. un. C. de infamibus.* & *L.* 2. *C. de dignitatibus.* ne ſcil. cum infamibus ſubingrediatur vel ſcelus ipſum infamativum, vel contemptus erga Superiores & Magiſtratus, qui infames paſſim comitari ſolet.

Quod intellige tam de infamia juris, ut non dubitatur, quàm de infamia facti, ut ex generalitate textuum allegatorum ſatìs eruitur, ita tamen, ut infamia facti per ſe non debeat nocere, niſi ſit notabilis; nec ſola notorietas delicti ſufficiat, niſi ſit conjuncta ſententia Judicis declaratoria commiſſi criminis infamativi, ut monet Riccius 2. *p. praxis reſol.* 119. Poſſunt tamen infames tales, etiam in infamia declarata, & pro foro externo per proprios Prælatos diſpenſari ex Privilegio Eugenii IV. ut teſtater Pellizzarius in *Man. Regul. tom.* 9. *tr.* 9. *c.* 2. *Sect.* 3. *ſubſect.* 2. 151.

Dub. I. *An infames validè poſſint eligi?*

℞. Eſt probabile, quòd Electio de perſona infami ſit non tantùm illicita, ſed etiam ipſo jure nulla. Ratio: quia infamia juris vel facti inducit irregularitatem, ut patet ex *c. Euphemium. II. q.* 3. *c. qui in aliquo. diſt.* 51. *c. Omnipotens. de accuſat.* & docetur à D. Antonino 3. *p. tit.* 28. *c.* 6. §. 8. Tabienâ, *v. Infamia n.* 11. Angelo *eodem n.* 8. & *verb. irregularitas n.* 26. Navar. *in Enchir. c.* 27. *n.* 204. &c. apud & cum Sanch. *conſil. moral. lib.* 6. *c.* 3. *dub.* 5. *n.* 14. Subſumo: atqui Electio perſonæ irregularis eſt ipſo jure nulla. Ergo. Quod verum erit, quando infamia eſt gravis, denunciata &

conjuncta cenſuris: Si enim eſſet levis, non eſt judicandum, quòd poſſit effectum tam gravem operari, ut à Dignitatibus excludat. Unde Sanchez *loc. cit. n.* 18. in talibus Electionibus non vult, niſi veniale, agnoſcere.

Dubium 2. *An infamia ſuperveniens privet Electum dignitate jam poſſeſſâ?*

℞. Infamia *facti*, nec dignitate, nec officio obtentos privat. Patet ex *cap. ſuper his* 16 *de accuſat.* At infamia *Juris* (maximè orta ex hæreſi) juxta quoſdam, tam beneficiis, quàm dignitatibus obtentis privat, quod colligunt ex *L.* 1. §. *miles C. de his, qui notantur infamiâ*; ubi dicitur, infamiam ipſo facto privare militem militiâ. Alii contrà etiam de hæreticis admittunt, ipſos ante ſententiam Judicis condemnatoriam non eſſe privatos dignitatibus & beneficiis, donec condemnentur. Probant ex *cap. Ad abolendam.* § *præſenti. de hæreticis.* ubi de hæretico dicitur: *Totius Eccleſiaſtici Ordinis prærogativâ nudetur:* non verò: *ſit ipſo facto nudatus.* Nec obſtat *d. L.* 1. *C. de his, qui notantur infamia*: quia à militia temporali non oportet per omnia formare paritatem ad ſpiritualem; Eſt enim Eccleſia Mater magìs pia, quàm ut rigori militari ſe per omnia accommodet. Vide Sanch. *ſupra n.* 9. ubi docet, quòd, etſi quis ſequatur ſententiam primam, non tamen ſtatim poſſit inferre, quòd hæreticus vel infamis teneatur ex tempore reſignare Dignitatem, ſed poſſit exſpectare ſententiam declaratoriam, quæ adhuc requiritur, etſi lex dicat, delinquentem eſſe ipſo facto privatum dignitatibus vel beneficiis.

§. IX.

Quomodò Eligendus debeat eſſe liber ab hæreſi?

℞. Debet eſſe immunis ab hæreſi, non quidem purè interna (utpote, quæ ab Eccleſiaſtica vel alia humana poteſtate puniri nequit, conſequenter nec irregularitate vel incapacitate ad Dignitates feriri) bene tamen ab externa tam manifeſta, quàm occulta: imò debet eſſe immunis à receptatione, favore activo & defenſione hæreticorum. Eſt expreſſum *cap. Quicunque de hæret. in 6.*

Quòd autem hæreſis occulta ſubjaceat huic pœnæ, per conſequentias illativas eruitur ex bulla Cœnæ Domini & Decreto Alexandri VII. qui propoſitione tertiâ damnatâ indicat hæreſin occultam ſubjacere reſervationi Pontificis, & conſequenter inferri poteſt, quòd ſubjaceat etiam aliis pœnis.

Dubium 1. *An filii hæreticorum ſint eligibiles?*

℞. Filii nati, poſtquàm pater in hæreſin lapſus eſt; Imò etiam filii receptatorum aut fautorum hæreticorum uſque ad ſecundam generationem ſunt redditi inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica, officia publica, & conſequenter ad dignitates, *cap. 2. §. Hæretici. cap. ut commiſſi §. ult. V. eorumque filios & nepotes. de hæret. in 6.* Quod ipſum poſteà eſt limitatum in linea *paterna* uſque ad ſecundam generationem, hoc eſt, ad filios & Nepotes: in *materna* verò ad primam ſolam ſcilicet ad ſolos filios. *cap. ſtatutum. ib. 2. eodem in 6.* Sed & hoc ipſum ibi eſt expreſſum ſolùm de

Digitized by Google

de parentibus, qui ante mortem Eccleſiæ non ſunt reincorporati. ibi: *Hoc ſanè de filiis & Nepotibus hæreticorum credentium, & aliorum hujusmodi, qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur, intelligendum eſſe videtur: non autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ unitati, & pro culpa hujuſmodi ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe, quam ipſi vel jam perfecerunt, vel humiliter proſecutioni ejus inſiſtunt vel parati fuerint, ad recipiendam eandem.* Rationes hujus Conſtitutionis variæ à DD. aſſignantur, quas propter dubium ſequens ex Sanchez *lib. 2. in Decal. cap.* 27. delibare licebit.

Prima ratio eſt, quòd parentes, in crimine comprehenſi, præſumantur habere infectum ſanguinem, ita ut ex pravis animi moribus inficiatur quoque corpus, & corpus cenſeatur habere alios humores, aliter affectos, ratione criminum contractorum, ut fusè *n.* 10. probat ex authoritate SS. Gregorii, Auguſtini & aliorum, tum Theologorum, tum Juriſperitorum, ex quibus *n.* 12. eruit, quòd ex utriuſque parentis infectione tempore conceptionis infectio in prolem redundat, cùm uterque ad generationem concurrat; multò tamen efficacior ſit Patris infectio ad id prolis damnum, quia ſemen maternum multò minùs ad prolis generationem, quàm paternum concurrit: Cùm paternum ſecundùm omnes ſit cauſa efficiens, & principale agens, præbenſque totum ſuum eſſe; maternum verò ſit vel ſolùm cauſa materialis, vel potiſſimâ parte materialis, & ſecundùm modicum quid efficiens: und etiam in moralibus Nobilitas vel

 Igno-

Digitized by Google

Ignobilitas prolis derivatur à patre & non à matre. Accedit, quòd filiis, à parentibus hæreticis natis, per educationem ipſa hæreſis parentum quaſi ſimul implantetur & educetur. Secunda ratio eſt, quòd timeatur fore, ut filii mores parentum imitentur, ut eſt expreſſum *L. quiſquis §. filii C. ad L. Juliam Majeſtatis.* Tertia ratio eſt, ut ex filiorum pœna ſentiant parentes ſupplicium, illiuſque timore deterriti caveant hujuſmodi delicta. Ita Sanchez.

Petes 1. *An filii hæreticorum, concepti ante hæreſin parentum, ſubjaceant huic pœnæ?*

℞. Probabiliùs non ſubjacent. Ita Sanch. *loc. cit. n.* 14. cum aliis contra alios, Ratio 1. quia timor imitationis parentum, ex infecto ſanguine conſurgens, eſt potiſſima hujus & ſimilium pœnarum cauſa: at iſte timor non habet locum in filiis conceptis ante hæreſin parentum, cùm tunc nondum fuerit ſanguis infectus: vide ſupra rationem primam, Quòd ſi aliqua infectio timeatur ratione pravæ educationis illa eſt accidentaria, & poſt bonos mores Catholicos parentum, priùs Catholicorum tempore nativitatis imbibitos, faciliùs vincibilis.

Ratio 2. jura punientia filios ob delictum parentum ſunt valde rigida: ergo reſtringenda potiùs, quàm extendenda: ergo intelligenda de iis, qui propriè & formaliter ſunt delinquentium filii, at qui ante delictum parentum ſunt nati: non ſunt reipsâ formaliter delinquentium filii: ergo. Minor probatur ex *L. Si Senator. C. de dignitat.* ubi filius, conceptus ante dignitatem Senatoriam parentis, non dicitur filius Senatoris: Item ex *L. Emancipatum 7. in fine principii & §. 1. ff. de Senatoribus.*

ibi:

Ibi : *Nec enim propriè Senatoris Filius dicitur is, cujus Pater Senatu motus eſt, antequâm iſte naſceretur: ſed, ſi quis conceptus eſt, antequàm Pater ejus à Senatu moveatur, natus autem pòſt, magis eſt, ut quaſi Senatoris Filius intelligatur: tempus enim conceptionis ſpectandum pleriſque placuit.*

Nec obſtant rationes ab Adverſariis afferri ſolitæ; non enim 1. Eſt æquè timendum de Filiis, poſt ac ante delictum parentum natis, fore ut imitentur pravos mores genitorum, ut patet ex ratione prima hujus reſponſionis, 2. Etſi Parentes graviùs ſentiant ſupplicium, ſi etiam Filii ſui, ante delictum nati puniantur, tamen non debent proptereà quælibet aggravantia ſupplicium in innocentes filios detorqueri, quando ex parte horum non eſt æquale periculum. 3. Etſi jura ſubjicientia filios hæreticorum pœnis, loquantur indiſtinctè, indefinitè & illimitatè, debent tamen intelligi de Filiis hæreticorum non materialiter, ſed propriè & formaliter ſumptis, ne odia extendantur 4. Quòd *L. Senatoris Filium in fine ff. de Sanatoribus dicatur* : *Nec intereſt, an in Senatoria dignitate eum ſuſceperit, an ante dignitatem Senatoriam*: Eſt caſus ſpecialis, & fuit opus, ut exprimeretur Filius, ante illam dignitatem conceptus: loquitur enim in materia favorabili: at in odioſis, ubi nihil eſt expreſſum, non debent dici comprehendi Filii ante delictum geniti. Plura vide apud Sanchez *loc. cit.* quæ commodè reduci poſſunt ad allata, vel ſaltem ex iis ſolvi.

Petes 2. *An Filius incurrat pœnam inhabilitatis ad dignitates & ſimilia, quando fuit quidem*

conceptus ante delictum paternum, ſed tamen genitus poſt delictum?

℞. Negativè: ubi Ratio: Timor (qui eſt cauſa ſic puniendi filios) ne Filii imitentur pravos mores Parentum, potiſſimum fundatur in ſanguine infecto, transmiſſo ad Filios; atqui quando Parentes tempore Filii concepti adhuc immunes à delicto, ſanguis nondum cenſetur infectus: ergo. Deinde, ſi mater libera conceperit prolem, quam poſteà facta ancillà parturit, proles nata eſt ſimpliciter libera § *Sed etſi Inſtit de Ingenuis*, ergo etiam Filius conceptus à parentibus, à delicto immunibus, erit liber à pœnis, pro illo delicto taxatis.

Petes 3. *An Filius natus à Parentibus, conſtitutis in ſola hæreſi interna, ſubjaceat pœnæ inhabilitatis ad officia & dignitates, & ſimilibus?*

℞. Non ſubjacet: licet enim etiam ratione hæreſis internæ poſſit fieri aliqua redundantia in corpus, ut ſic ſanguis ad filium transfuſus inficiatur, jura tamen taxantia pœnam non ſpectant ſolam infectionem internam, niſi exteriùs fuerit etiam ſigno aliquo manifeſtata, ut per ſe poſſit innoteſcere aliis, licet fortè per accidens adhuc ſit occulta. Vide Sanchez *n.* 15.

Petes 4. *An dicta pœna concernat Filios non tantùm legitimos, ſed & illegitimos ac ſpurios?*

℞. Affirmativè: Zoëſius *in lib.* 5. *Decret. tit.* 7. *n.* 9. Sanchez *n.* 1. Suarez *Tom.* 5. *in* 3. *p. Diſp.* 43. *Sect.* 3. *n.* 2. contra alios quoſdam. Ratio; quia etiam illegitimi Filii ſunt portio ſanguinis paterni, & aliunde

aliùnde non debemus plus honoris tribuere luxuriæ, ex quâ proceduntillegitimi, quàm Caſtitati ſaltem matrimoniali, ex qua procedunt legitimi, ut monemur *ex §. ult. Auth. De reſtitutionibus & ea, quæ parit undecimo menſe poſt mortem viri.* Aliud foret, ſi Pater eſſet incertus, & Filius eſſet ſpurius, ſive vulgo quæſitus, ne in dubio, an hæreticus fuerit Pater, Filius cogatur graves pœnas ſubire.

Petes 5. *An Filii & Nepotes ſint liberi à pœnis & inhabilitate pro dignitatibus, quando parentes obeunt quidem ut Catholici ſed tamen ſunt traditi brachio ſæculari ob hæreſim ſuam puniendi?*

℞. Probabiliter Affirmativè: Navarrus *in Euchir. cap. 27. n. 205.* Emmanuel Sa *V. irregularitas, ubi de irregularitate ex defectu animæ n. 2.* Toletus *lib. 1. Summæ cap. 25. n. 8.* Contra Sanchez *loc. cit. n. 23.* Ratio: ut liberi cenſeantur immunes à pœnis *cap. ſtatutum,* taxatis plus non requiritur quàm ut conſtiterit, parentes eſſe emendatos, & Eccleſiæ reincorporatos: nec requiritur, ut hæretici pœnitentiam ſibi injunctam exequantur, ſed ut pœnitentiam vel perfecerint, vel ejus proſecutioni humiliter inſiſtant, vel parati ſint ad excipiendam eam; atqui hæc omnia verificantur de hæretico, qui hæreſin retractans traditus eſt ad comburendum: ergo. Minor patet 1. De pœnitentia; quia, ſi combuſtio ipſa non ſit pœnitentia, ſufficiens & Canonica, tamen comburendus eſt ſaltem paratus ad illam ſubeundam. 2. Eo ipſo, quòd ut Catholicus obeat, à cenſura neceſſariò abſolvendus eſt,

per

Per abſolutionem autem Eccleſiæ reincorporatur. Quòd verò Sanchez dicat, hanc reincorporationem debere eſſe ſolennem & Juridicam, qualis non videtur eſſe illa abſolutio.

℞. Eſſe ſatis ſolennem & Juridicam, quòd Eccleſia acceptet talem abſolutionem: ſi Sanchez majorem ſolennitatem velit exigere, deberet probare, in quo illa fundetur. Quòd addat talem traditum brachio ſæculari, quamvis convertatur, præſumi ſolùm ficté converti ex timore, ne vivus comburatur.

℞. In ſimilibus caſibus, in quibus quis vult mori & æternitatem atque tribunul extremi Judicis ſubire, non debemus eſſe proni ad præſumendum mala, cùm quivis præſumatur conſulere ſuæ ſaluti æternæ.

Petes 6° *An Filii ſint à pœnis liberi, quando Parentes ante obitum reſipuerunt per manifeſtam pœnitentiam, ſed ab hæreſi non fuerunt abſoluti?*

℞. Sub disjunctione: vel Parentes ob hæreſin ad judicium ſunt delati, vel non ſunt delati? ſi non ſint delati, non requiritur, ut judicum ſententiâ ante obitum ſint Eccleſiæ reincorporati, ſed ſatis eſt, ſi conſtet jam eos eſſe Catholicos & emendatos. Sanchez *n.* 28. Ratio: quia *cap. ſtatutum.* ſubjiciens pœnis Filios hæreticorum, petit disjunctivè, ut parentes probentur eſſe hæretici, vel tales diſceſſiſſe. Ergo. Si ſunt delati & per ſententiam Judicis declarati ut hæretici, non ſufficiet ſola pœnitentia, niſi acceſſerit ordinaria abſolutio: quia ſemel juridicè ſubjectus pœnis, vel declaratus ut hæredicus,

ticus, ſemper cenſetur eſſe talis, donec ſententia declaratoria vel condemnatoria denuò diſſolvatur: atqui per ſolam pœnitentiam delinquentis, ſententia Judicis non ſolvitur. Ergo. Ita ſententia benignior, quamvis contraria, indifferenter exigens abſolutionem, non careat fundamento: quòd nimirum *d.cap. ſtatutum* in omnibus hæreticis exigat reincorporationem, quæ non perficitur, niſi per abſolutionem, at Reſpondeo: Sicut poſt condemnationem vel declarationem hæreſis requiritur abſolutio vel reincorporatio coram hominibus, ſic in hæreſi non declarata videtur ſufficere reincorporatio coram hominibus; talis autem reincorporatio fit ſufficienter per pœnitentiam manifeſtam.

Petes 7. *An ut Filii incurrant pœnas, ſufficiat parentes fuiſſe & obiiſſe in hæreſi externa quidem ſed occulta?*

℞. Non ſufficit: Ratio: *Dict. cap. ſtatutum* exigit, ut parentes tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probentur: atqui exiſtentes in hæreſi occulta, non probantur eſſe vel deceſſiſſe in illa Ergo.

Petes 8. *An ad pœnam transfundendam in Filios ſufficiat, quomodocunque conſtet de hæreſi Parentum: an verò requiratur, hos eſſe per ſententiam declaratos?*

℞. Sufficit, quomodocunque notoriè conſtet, ſive per ſententiam judicis, ſive per propriam Parentum confeſſionem in judicio, ſive per evidentiam facti. Sanchez *n.* 28. Ratio: quia per tres prædictos modos poteſt probari, Parentes eſſe hæreticos, vel in hæreſi deceſſiſſe; ergo juxta *cap. ſtatutum* debet ſufficere. Subdit Sanchez cum

Emma-

Digitized by Google

Emmanuele Sa *V. Hæreſis n. 4.* quòd Filii Hæreticorum non incurrant pœnas, quando Parentes quidem ut hæretici publicè obierunt, ſed tamen abſque nota infamiæ v. g. in Regione tota hæreſi infecta: dat rationem: quando Parentes non ſunt condemnati vel declarati, ſed ſolâ facti evidentiâ hæretici Filii non incurrunt has pœnas ratione infamiæ facti; atqui quando Parentes hæretici obierunt in locis hæreticis, ceſſat infamia facti. Ergo.

Nec obſtat, quod in talibus Filiis debeat timeri, ne ſint imitatores paterni delicti, maximè cùm tunc jam ſit inſtillatus ſanguis infectus, inducens inclinationem ad ſimilia vitia: nam ſolus timor ad pœnas Eccleſiaſticas invehendas non ſufficit, niſi ſit in iis circumſtantiis, in quibus etiam ſolet forum Eccleſiaſticum pœnas has annectere; atqui forum Eccleſiaſticum non ſolet pœnas annectere, niſi quando intervenit infamia facti vel juris; ergo, ſi talis infamia non ſubſit, non debemus aſtruere has pœnas.

Petes 9. *Quando poſſit habere locum illud, quòd filii hæreticorum ſint ineligibiles, & ſubjecti pœnis prædictis uſque ad ſecundam generationem, ut dictum ſupra hoc dubio primo?*

℞. Tunc habet locum, quando Parentes perſiſtunt quidem in ſua hæreſi (prout ſæpe reperiuntur facere) at proles à juventute permittuut inſtrui in fide Catholica, tunc enim Proles ſic inſtructa ex rigore Canonum non rehabilitabitur ad omnes dignitates, niſi uſque ad ſecundam generationem à parente hæretico deductam.

Dub.

Dub. 2. *An hæreticus poſt publicam ſuæ hæreſis revocationem ſit eligibilis?*

℟. Negativè, *regulariter loquendo.* Vel enim priùs fuit Catholicus, & modò deſcivit ad hæreticos, vel fuit natus ab Acatholicis: ſi priùs fuerit Catholicus, & defecerit à fide, atque poſtliminiò reverſus ſit, ſemper erit de inconſtantia ſuſpectus, vel ſaltem timendus; conſequenter non apparet, quomodò ſatis tutò abſque ſcandalo valeat eligi. Si fuerit natus ab Acatholicis, & converſus ſuſceperit fidem Catholicam, ergo eſt in fide Neophytus. Sed Apoſtolus 1. *Timoth.* 3. *v.* 6. præcipit Epiſcopum debere eſſe non Neophytum; idemque conſtat ex *c. Quoniam. Et c. Sicut neophytus Diſt.* 48. Ergo.

Dixi: *Regulariter loquendo:* nam teſte Cornelio à Lapide *in* 1. *Timoth.* 3. *v.* 6. excipitur ab hac lege, ſi neophyti vita adeo ſit probata & exemplaris, ut de ejus aptitudine ad Epiſcopatum nullum ſit dubium: aut niſi divino prodigio neophytus deſignetur Epiſcopus, ut deſignatus fuit S. Ambroſius, & ſimiles.

Dub. 3. *An de hæreſi ſolum ſuſpectus, etſi non convictus, ſit eligibilis?*

℟. Debet eligendus ſe legitimè purgare, & ſic ſuſpicionem à ſe amovere. Quòd ſi id non poſſit, debet ab electione paſſiva excludi, ne Eccleſia ad quam eligendus eſſet, ſpiritualium damnorum periculo exponatur.

Quòd ſi accuſatus ſit de hæreſi, lite pendente non poteſt eligi, nec electus confirmari. Imò lite pendente promotus debet removeri, juxta quoſ-

quoſdamm DD.Jetſi reipsâ ſit innocens, ut dicitur *Sect. 4. q. 10. R. 4.*

Quòd ſi ſuſpectus de hæreſi, antequàm ſe à ſuſpicione purgârit, vitâ defungatur, non debet ad ejus filios detorqueri pœna inhabilitatis ad officia & dignitates; Sanchez *l. c. n. 29.* Contra Azor. *Inſtit. Moral. Tom. 2. Lib. 6. cap. 4. q. 3. verſ. ſi roges.* Ratio: Jus *cap. ſtatutum 15. de hæret. in 6.* Vult Filios incurrere inhabilitatem dictam, quorum Parentes eſſe hæreticos vel ut tales deceſſiſſe probatur: ſed qui ſolùm ſunt ſuſpecti, nondum probantur eſſe tales: Ergo. Quid quòd pœnalia iſta non debeant de facili ad Filios innocentes extendi,

Obſerva: Hucuſque dicta de hæreſi communiter extenduntur ad reos læſæ Majeſtatis humanæ, ut colligitur ex *L. Quisquis §. Filii. C. ad L. Juliam Majeſtatis.*

§. X.

An Pœnitentiatus poſſit eligi?

R. 1. Regulares cujuſvis Ordinis Religionis, Societatis & Inſtituti, quibus pro delictis ad Sanctæ Inquiſitionis Officium ſpectantibus aliquod pœnitentiæ genus impoſitum fuerit, (ſalutaribus pœnitentiis exceptis, de quibus vide *de Eligentibus q. 7.*) eo ipſo ad omnes Religionis ſuæ gradus & officia cenſentur inhabiles, ita ut nequidem expleto pœnitentiæ tempore ad illa promoveri valeant, niſi prius à Sanctiſſimo D. N. vel à S. Congregatione coram Sanctiſſimo habenda ſpecialem & expreſſam

preſſam rehabilitatis gratiam obtinuerint: aliàs promotio quælibet ſit nulla. Ita Urbanus VIII. *in Decreto edito feriâ V. die* 1. *Octobr.* 1626. Addit Pellizzarius *in Man. Regul. tom.* 2. *tr.* 7. *cap.* 6. *ſect.* 2. *n.* 69. quòd Regularis ſemel rehabilitatus poſſit deinde ſæpiùs eligi ad Dignitates varias; ut colligitur ex paritate illegitimi, qui ſemel diſpenſatus poteſt plura beneficia (dummodò non ſint incompatibilia) obtinere. Et hoc facilè conceditur, quando rehabilitatio & diſpenſatio facta eſt abſolutè, & ſimpliciter: ſecus enim foret, ſi Pontifex rehabilitationem ad præſentem vicem tantùm limitaret.

℞. 2. Circa Pœnitentes ſanxerunt Sacri Canones, ne tales ordinentur, *c. Maritum c. Ex pœnitentia. c. Illud. diſt.* 33. *c. Ut bigami.* 1. *de bigamis non ordinandis.* Et ratio eſt, quia tales putantur faciles ad relapſum; nec ſine populi offenſa videntur poſſe miniſtrare, aut alios redarguere, quod tamen Officium Sacerdotis & Paſtoris exigit. Secluſo ſcandalo publicè pœnitens, anteà jam promotus ad Ordines Minores vel Subdiaconatum, poteſt ulteriùs promoveri. Peractâ pœnitentiâ publicâ, dummodò non ſit ſolennis, pœnitens ordinari non prohibetur.

Ex Jure ordinario cum publicis pœnitentibus ſolus Pontifex, (teſte Toleto *Lib.* 1. *Summæ. cap.* 64. *n.* 7.) ex cauſa neceſſitatis vel utilitatis etiam Epiſcopus diſpenſat. Qui ſcienter abſque diſpenſatione ordinat Pœnitentes, per annum ipſo jure ſuſpenditur, & ordinatus deponi jubetur, *c. Nullus pœnitentem diſt.* 55.

Per *Pœnitentes* hìc & in ſimilibus materiis intelliguntur qui ſecundùm antiquos Canones pro gravi & publico delicto publicè & ſolenniter, hoc eſt, cum certa forma (qualis deſcribitur *cap. In Capite. 64. diſt.* 50.) pœnitentiam agebant.

Ex dictis formatur regula generalis, quomodò vel quando pœnitentes ad Dignitates ſint eligibiles: Quamdiu enim non ſunt promovibiles ad Ordines etiam non ſunt promovibiles ad dignitates: At quando pœnitentia eſt peracta, per ſe loquendo, erunt promovibiles, niſi timeatur ſcandalum, & murmur in populo, vel delictum, ob qnod pœnitentia eſt injuncta, induxerit irregularitatem vel infamiam, ob quam ſpecialis diſpenſatio petenda erit.

§. XI.

De Legitimitate Natalium ex parte Eligendi.

Quòd Eligendus de legitimo thoro eſſe debeat, Jus claris verbis exprimit, *c. cùm in cunctis, 7. de Elect. cap. Nimis de filiis Presbyterorum.* Imò *cap. Innotuit.* 20. *de Elect.* innuitur electionem factam de perſona illegitima eſſe nullam. Fundantur hæ Conſtitutiones in ipſa Lege Divina, arcente ſpurios ab Eccleſiæ regimine ad decimam uſque generationem, *Deut.* 23. *v.* 2. Ibi: *Non ingredietur Manzer, hoc eſt, de Scorto natus, in Eccleſiam Domini uſque ad decimam generationem.* Sed & iidem Jure Canonico, *c.* 10. *diſt.* 56.

nec

Digitized by Google

nec DEO amabiles, nec hominibus honorabiles eſſe dicuntur. Quid quòd in illegitimis timeantur exempla paterni ſceleris, *cap. 14. de filiis Presbyt.* Et vulgatum de ſimilibus fertur adagium: *Spurius, ſi bonus, caſu: ſi malus, natura accidit.*

Quòd Jephthe illegitimus DEI inſtinctu Judic. 11. à Galaaditibus in Principem electus fuerit, non probat idem attentandum eſſe in aliis regiminibus, præcipuè Eccleſiaſticis. DEUS enim, ſicut potuit illum ad Principatûs clavum evocare, ſic quoque potuit ejus animum tantis virtutum ſplendoribus exornare, ut natalium obſcuritatem plenè eliminaret, oſtendat illegitimus quiſpiam, ſe pari ſorte à DEO electum, & ſecurus eſſe poterit in quovis regiminis faſtigio tam acceptando, quàm debitè adminiſtrando. Neque exemplis, ſed Legibus judicari volumus, *L. Nemo. c. de Sentent. & Interlocut. coram Judic.* Neque Electores ſecurè inſiſtunt veſtigiis exemplorum, quæ *fortè* ex *accidenti* ſortita ſunt bonum exitum, adeoque in aliis occaſionibus poſſunt invehere exitium vel damnum.

Legimus filium Sacerdotis ad Cœnomanenſem Cathedram electum, & Pontificià auctoritate ad Epiſcopatum admiſſum, *c. Cœnomanenſem.* 13. *diſt.* 56. Sed hoc factum eſſe per diſpenſationem, & in poſterum nullatenus pro regula habendum, ipſe textus exprimit. Eodem modo intellige *c. Apoſtolica.* 12. *diſt.* 56. Et hæc Diſtinctio quinquageſima ſexta ferme tota eſt in eo, ut ex SS. Patribus probet vitia parentum non poſſe filiis

Z 2 obeſſe

obeſſe vel imputari: neque parentum, ſed propriam culpam unumquemque condemnari: aſt hoc verum eſt vel in ordine ad DEUM, ut inſinuat S. P. Auguſtinus *cit. lib. de bono Conjugii*, dicens: *Undecunque homines naſcantur, ſi parentum vitia non ſectentur, & DEUM rectè colant, honeſti & ſalvi erunt*: Vel eſt intelligendum de iis, ad quæ non ſunt ſpecialiter redditi inhabiles.

Admiſit Jus Civile *L. 6. in princ. ff. de Decurionibus.* Spurios & ex incetu natos ad Decurionatum, ex ratione: *non enim impedienda eſt Dignitas ejus, qui nihil admiſit.* Aſt valeat hoc pro foro ſuo. Pro Eccleſiaſtis Dignitatibus Jus Pontificium alios præſcribit Canones, ut ſub initium hujus Paragraphi eſt allegatum.

Dub. 1. *Quid in ſpecie ſentiendum de illegitimo Dignitatis Abbatialis candidato?*

℟. Licet Illegitimi per profeſſionem Religioſam habilitentur ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, *c. Niſi autem in Cœnobiiis.* 11. *diſt.* 56. etiam abſque ulteriori diſpenſatione, *c. Ut filii.* ʒ. *de Filiis Presbyt.* non tamen ideò redduntur habiles ad dignitates & officia, per textum expreſſum *d. c. Ut filii.*

Extendunt id DD. communiter ad caſum, quo illegitimitas eſſet planè occulta; ita tamen, ut ſi in illa hypotheſi ad Prælaturam quis cogeretur, & nequeat diſpenſationem priùs obtinere, poſſit eandem Prælaturam vel Dignitatem acceptare & retinere, quamdiu ſine ſua ſuorumque infamia aliter ſe juvare non poteſt; quia Jus conſer-

vandi

Digitized by Google

vandi famam eſt Naturale, & Jus irritans Electiones Illegitimorum eſt tantùm poſitivum Eccleſiaſticum, adeoque illud tanquam fortiùs huic prævalebit; adeò ut etiam acta talis Prælati valeant, conformiter ad *L. Barbarius Philippus. ff. de Officio Prætoris.*

Per *Dignitates* & *Officia*, ad quæ Illegitimus inhabilitatur, non intelliguntur quævis Officia vel beneficia manualia, nullam animarum curam habentia, ſed ſola illa, quæ viâ ordinariâ conferri debent in Capitulis per electionem Canonicam, & Superioris Confirmationem requirunt; aut quæ habent annexum perſonatum, vel curam animarum. Unde juxta Conſtit. 72. Sixti V. incip. *Ad Romanum ſpectat:* illegitimi non poſſunt fieri Abbates, Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, Cuſtodes, Miniſtri, Præpoſiti, Suppriores aut Vicarii alicujus Monaſterii ſive magni, ſive parvi, nec Officia cum honore & ſuperioritate conjuncta obtinere: quia prædicti omnes, & iis ſimiles habent curam animarum, vel perſonatum.

Probabiliùs etiam non poſſunt eſſe Viſitatores, Commiſſarii & Procuratores ad Capitulum Generale, quia Officia horum in effectu habentur pro Dignitatibus vel Perſonatibus.

Poſſunt tamen eſſe Sacriſtæ, Oeconomi, Procuratores temporalium, ſeu Proviſores aut Burſarii, Cellarii, Magiſtri Novitiorum, Confeſſarrii, & ſi quæ ſunt ſimilia Officia manualia ad nutum Superioris amovibilia.

Digitized by Google

Alii ſtatuunt hanc regulam, quòd Illegitimi poſſint habere omnia Officia *manualia*: Cenſeantur autem manualia, quæ non ſunt capita Conventuum, Sixtus V. *cit. conſtit.* dicit, quòd Illegitimi non arceantur *ab officiis oneris, veluti Lectoris, Confeſſarii, Studiorum ac ſacræ Theologiæ Magiſtri, Regentis, Prædicatoris verbi DEI, & cæteris hujuſmodi*: Niſi tamen ex uſu quorundam Monaſteriorum aliqua ex prædictis includerent præeminentiam ſuper alios, ut notat Lezana *tom.* 4. *v. Officia Religionum. n.* 5, aut niſi involvant veram juriſdictionem pro foro extra - Sacramentali: tunc enim Illegitimos eſſe excludendos, colligitur ex dictis.

Licèt autem Illegitimi careant voce *paſſivâ* ad Dignitates, iis tamen vocem *activam* non denegari patet ex ſæpe dicta Conſtitutione Sixti V. Et ratio eſt, quia vox activa non eſt Dignitas, nec Perſonatus cum juriſdictione conjunctus, ſed purus effectus Profeſſionis Religioſæ licitæ & validæ; atqui Illegitimi per ſe loquendo emittunt profeſſionem validam & licitam: Ergo.

Dub. 2. *Quid de Diſpenſatione cum illegitimis Regularibus facta vel facienda?*

℞. Etſi cum Illegitimis ad ſuſcipiendas Prælaturas de Jure communi diſpenſet ſolus Pontifex, adeò ut hæc facultas nequidem Epiſcopis competat (Nam Gregorius IX. ſcribens Archi-Epiſcopo Turonenſi ipſi inhibuit, ne abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione Illegitimos ad Dignitates & Perſonatus promoveat, *c. Nimis.* 18. *de Filiis Presbyt.*) hæc tamen facultas variis modis & vicibus

Digitized by Google

vicibus conceſſa reperitur Regularibus. Sic I. Eugenius IV. Anno 1436. in Bulla incip. *Regularem.* §. 17. conceſſit Benedictinis Congregationis S. Juſtinæ, ſeu Caſſinenſis: ut refert P. Auguſtinus à V. MARIA *in Privilegiis omnium Religioſorum, verb. Diſpenſatio. n.* 5.

II. Idem refertur conceſſum Ordini S. Hieronymi, aliiſque Religionibus Monachalibus; & ſpecialiter ab Eugenio IV. Ordini Ciſtercienſi. Fuit hoc extenſum ad Fratres Congregationis Vallis umbroſæ à Julio II. Et tandem ob mutuam Privilegiorum communicationem extenſum ad omnes Mendicantes.

III. Sixtus IV. *in Mari Magno Minorum* §. 14. *Anno* 1474. Conceſſit RR. FF. Ordinis Minorum: *Generali & Provincialibus Miniſtris dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus & illorum Vicariis, diſpenſandi cum dicti Ordinis Minorum Profeſſoribus defectum Natalium ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quovis alio nefario & illicito coitu provenientem patientibus, nec non cum his, qui ex quavis cauſa (præterquàm homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum) irregulares forent, poſtquàm Ordinem ipſum profeſſi fuerint, ut defectu ex irregularitate hujuſmodi non obſtante irregulares ipſi ad quoſcunque etiam ſacros Ordines promoveri, & in illis. etiam in Altaris Miniſterio miniſtrare, & tam ipſi irregulares, quàm defectum Natalium patientes prædicti ad quaſcunque adminiſtrationes & Officia dicti Ordinis eligi, recipi & aſſumi, illaque gerere & exercere liberè & licitè*

 valeant,

valeant, motu, ſcientiâ & authoritate prædictis concedimus.

IV. Idem Sixtus IV. eodem Anno *in Mari magno Prædicatorum*, §. 4. conceſſit idipſum RR. Patrum Prædicatorum Generali, Provincialibus, & Prioribus Conventualibus, eorumque Vicariis.

V. Idem Sixtus IV. eodem Anno *in Mari magno Eremitarum S. P. Auguſtini*. §. 44. conceſſit idipſum Generali & Provincialibus nominati Ordinis Eremitarum.

VI. Idem Sixtus IV. Anno 1476. idipſum conceſſit Generali RR. PP. Carmelitarum, in eorum *Mari magno*, §. 63.

VII. Idem Sixtus IV. in Bulla incip. *Dum ad univerſos*. 10. apud Cherubinum, §. 23. eodem Anno idipſum conceſſit Canonicis Regularibus S. P. Auguſtiui Congregationis Lateranenſis. Ita refert P. Auguſtinus à V. MARIA *loc. cit. n.* 7. 8. 9. 10. & 11.

Hæc & ſimilia Privilegia Sixtus V. in ſuâ Conſtit. incip. *Ad Romanum ſpectat Pontificem*: editâ 12. Calendas Novembris 1588. relatâ in Bullario Cherubini revocavit.

VIII. Gregorius XIV. Verùm in Conſtit. ſua, incip. *Circumſpecta Romani Pontificis providentia*: edita Idibus Martii, Anno 1590. dictam Sixtinam rurſus temperavit, & ferme ad priſtinos terminos reduxit: Ibi: *Volumus quoque ac ſtatuimus, licere Generali ac Provinciali ſingulorum Ordinum aut Congregationum, aut Hoſpitalium, ad quos dicta diſpenſatio ſpectat, juxta tenorem Privile-*

Digitized by Google

Privilegiorum & Indultorum Apoſtolicorum eis conceſſorum, quæ, dummodò uſu recepta, nec aliàs ſub ullis revocationibus comprehenſa ſint, ut præfertur, in hac parte revalidamus, cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis aut Provincialis cum Generali, Provinciali ſeu intermedio Capitulo, & non aliàs ſuffragantibus meritis dignos judicaverint, ad honores gradus, & dignitates obtinendas diſpenſari, ac diſpenſationes hujuſmodi pro tempore ita factas, & inde ſecuta quæcunque, ut anteà, valere & tenere, perinde ac ſi ſupradictæ Conſtitutiones (ſcil. binæ Sixti V.) *non emanâſſent.*

IX. Idem Gregorius XIV. in Bulla: *Illius qui.* Conceſſit Regularibns Clericis Miniſtrantibus infirmis, ut illorum Generalis, ſeu de illius licentia Præfecti inferiores aliorum locorum, ſeu Provinciales dictæ Congregationis, vel illorum Vicarii, poſſint diſpenſare cum ſuis Religioſis Profeſſis, ut non obſtante defectu Natalium poſſint ad Sacros Ordines, & ad quaſcunque adminiſtrationes Perſonatus, Præeminentias, & officia eligi & aſſumi. In quã conſtitutione, cùm non fiat mentio de recurſu habendo ad Capitulum Generale ſeu Provinciale aut aliud intermedium, hinc videntur antiqua Privilegia totaliter renovata,

X. Clemens VIII. Anno 1593. in Conſtit. ſua vigeſima ſecunda, relata à Cherubino, incipiente: *Decet.* Conceſſit Generali Clericorum Regularium S. Majoli Papienſis, aliàs de Somaſcha, ut poſſit diſpenſare cum ſuis Religioſis illegitimis, accedente voto ſeu ſuffragio Conſiliariorum à Capitulo Generali Deputatorum.

Digitized by Google

XI. Paulus V. ſimilem poteſtatem conceſſit, eiſdem Clericis Regularibus in ſua Conſtitutione, incipiente: *Adjunctis nobis*. Die 1. Decembr. 1606.

XII. Igem Paulùs V. eodem anno pridie nonas Septembris in Conſtit. incip. *Quantum Religio*: idipſum conceſſit inclytæ Societati JEſu. Ubi obſervant DD. hanc & præcedentem Bùllam eſſe conceſſam motu proprio, ex certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis abſque ulla reſtrictione.

Hucuſque Conſtitutiones Pontificum. Quia verò in his & ſimilibus Privilegiis omnes vel quaſi-omnes Ordines Religioſi communicant, & in iis inter illegitimitates manifeſtas atque occultas non fit diſtinctio, hinc DD. de hac facultate non volunt ampliùs dubitare; quamvis aliqui dicant, quòd Prælati inferiores ſine recurſu ad Generalem, Capitulum Generale; vel alium Superiorem in uſu talis facultatis nunquam fuerint. Pro illegitimitate *occulta* diſpenſanda ſpecialiter facit, quòd Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. de Ref. cap. 6.* Epiſcopis (& conſequenter etiam Prælatis Regularibus habentibus in ſuos ſubditos Religioſos poteſtatem quaſi-Epiſcopalem) conceſſerit facultatem diſpenſandi in irregularitate contracta ex delicto occulto: ubi minùs bene hæc conceſſio reſtringitur ad delictum proprium ejus, qui petit diſpenſari: quaſi verò ſolus ille eſſet diſpenſabilis qui ex delicto à ſe perſonaliter commiſſo contraxit irregularitatem, & conſequenter cùm illegitimi non ex propria, ſed Parentum culpa ſint irregulares, non videantur comprehendi ſub conceſſione à Tridentino factâ. Nam Tridentinum univerſaliter loquitur, dicendo: *Liceat*

Liceat Epiſcopis diſpenſare in omnibus irregularitatibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus; quòd æquè applicari poteſt ſive delictum ſit proprium ſive alienum, ut obſervavit P. Valerius Reginaldus Fori Pœnitentialis, *Lib.* 30.*tr.*2.*n.*29. *in fine*: qui exinde intulit, quòd Epiſcopus diſpenſare valeat in bigamia occulta, quamquis contraxit cognoſcendo uxorem ſuam, quam ignorabat adulterium commiſiſſe, & poſteà recompertâ vult facto divortio ordinari. Item in irregularitate ex defectu natalium, ut in Ordinibus bonâ fide ſuſceptis miniſtrare poſſitis, qui ob crimen occultum matris conjugatæ habebatur legitimus. Ita ille.

Non poteſt hæc diſpenſatio fieri à Superioribus Regularibus, *niſi accedente juſta cauſa*, quia Regulares ſunt inferiores jure communi, per quod illegitimi privantur voce paſſivâ: inferior autem in Lege Superioris ſine juſta cauſa diſpenſare non poteſt. Cenſetur eſſe *juſta cauſa*, primò, ut alii faciliùs convertantur, *c. Ipſa pietas. XXIII. q.*4. Secundò: Eccleſiæ utilitas vel neceſſitas: Tertio: evidens meritorum prærogativa in promovendo, *cap. tali Conjugio I. q.*7. Quartò ſi eventus rei ſit periculoſus, niſi promoveatur, *c. Requiritis. I. q.*7. §. *niſi rigor diſciplinæ.* Denique in dubio, an cauſa ſit juſta prudentum Judicio eſt ſtandum, vel meliùs recurrendum ad Sedem Apoſtolicam.

Debet tamen caveri, ne diſpenſatio cum illegitimo fiat vivente adhuc ipſius Patre, ſi is fuerit ex eadem Religione, ut eruitur ex Conſtitutione Gregorii XIV. incip. *Circumſpecta.* Ubi Pontifex expreſſè prohibet, ne filius illegitimus in Religione,

in

Digitized by Google

in qua Pater ſive ante,ſive poſt dicti filii nativitatem fuerat profeſſus, ipſo Patre vivente admittatur in membrum Ordinis: infero ergo multò minus ipſo Patre vivente poterit promoveri vel aſſumi in Caput Ordinis,aut ad dignitates evehi.

Dub. 3. *An illegitimus Filius alicujus Religioſi poſſit intuitu Privilegiorum ſimpliciter diſpenſari ad habendas Prælaturass, ſalsem poſt mortem Patris, ſi non in eodem, ſaltem in diverſo Monaſterio ejuſdem Religionis, in qua Pater ejus non tantùm Profeſſus,ſed & Prælatus fuit* ℞. DD. abeunt in varias vias.

Primò: Lezana *in Summa qq. Regular. Tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 60. *& Tom,* 3. *v. Illegitimi Regulares*]. *n.* 17. *in fine*, affirmativam ſuſtinet ut probabilem, quia Conſtitutio citata Gregorii XIV. Filium talem non arcet univerſaliter à Prælaturis in ea Religione, in qua ipſius Pater eſt,vel fuit Profeſſus; ſed ſolùm prohibet,ne id fiat Patre adhuc vivente: imò de Prælatura Patris planè abſtrahit & agit de ſola admiſſione ad Religionem. Ecce formalia: *Dummodò tamen filius illegitimus in Religione, in qua Pater ſive ante, ſive poſt nativitatem dicti filii profeſſus fuerit, ipſo Patre vivente non admittatur,quòd expreſſè prohibemus.* Concilium autem Tridentinum, dum *Seſſ.* 25. *de Reform,cap.* 15. videtur ſtatuere contrarium,vel loquitur ſolùm de Clericis ſæcularibus (quòd tanquam pœnale & odioſum eſt reſtringendum ad eoque ad Regulares non extendendum) vel poſito,quòd etiam ad Regulares extendatur, id tamen prohibet ſolùm de eadem Eccleſia vel Monaſterio, in qua vel quo

Pater

Pater eſt vel fuit Prælatus; unde vi hujus decreti non poteſt inferri, quòd nequidem ad aliud monaſterium ejuſdem Provinciæ vel Religionis talis filius poſſit diſpenſari.

Secundò: Miranda *Tom. 2. Manual. q. 2. a.* 10. ſequitur negativam, etiam reſpectu totius Ordinis, ut ad nullius monaſterii Prælaturam poſſit diſpenſari; eo quòd id ſit prohibitum pro ſæcularibus ſæcularium Clericorum filiis juxta Trid. *loc. cit.* eadem verò ratio militet in ſæcularibus & Regularibus, in vel pro una & pro altera Eccleſia.

Tertiò: Alii viâ mediâ volunt, quòd illegitimi vi privilegiorum non poſſint quidem aſſumi ad Prælaturas in eodem Conventu, Monaſterio, vel Provincia, in quibus omnes Religioſi facilè devenient in notitiam hujus illegitimitatis, ſecus ſit de toto Ordine, vel tali Provincia, quæ habeat loca valde diſſita, in quibus defectus dictus non facilè creditur manifeſtandus.

Prima ſententia in theoria non caret veri ſimilitudine, dummodò filius ille illegitimus non promoveatur in alio Monaſterio vivente adhuc Patre, ut notatum eſt ex Conſtitutione Gregorii XIV. ex qua etiam infertur hic dicta procedere non tantùm de illis illegitimis, qui poſt profeſſionem Patris, ſed & qui ante illam ſunt geniti. Pro praxi ſecuriori videtur ſecunda vel ad minus tertia ſententia adhibenda.

Aliqui volunt, dicta de promovibilitate aut diſpenſabilitate in eodem vel diverſo Monaſterio eſſe extendenda ad nepotem, ſive prolem legitimam filii illegitimi; eò quòd filio-

filiorum nomine etiam nepotes veniant, *L. Liberorum* 220. *ff. de V. S.* Verùm cùm hæc regula vel uſurpatio nominis filiorum pro nepotibus obtineat locum in ſolis favorabilibus, hinc alii non minùs probabiliter concedunt, quòd illi nepotes legitimi diſpenſatione non indigeant, ſed poſſint ſimpliciter promoveri ad Prælaturas etiam in iiſdem Eccleſiis, in quibus eorum avi erant Prælati; quod tamen practicare non videtur ſemper conſultum.

Dub. 4. *An diſpenſatus in ſeculo ad beneficia, ſit etiam ipſo facto diſpenſatus ad dignitates Regulares, ſi fortè poſteà Religionem profiteatur?*

℟. Si ſolùm ad beneficia ſimplicia vel alia minora ſit diſpenſatus, vi illius ad Prælaturas vel dignitates majores non eſt diſpenſatus: Si verò ad beneficia qualiacunque ſit diſpenſatus, erit etiam ad dignitates vel Prælaturas Regulares habilitatus. Ita Pellizzarius *in Manual. Regul. Tom.* 2. *tr.* 9. *cap.* 2. *Sect.* 3. *n.* 144. Lezana *in Summa qq. Regul. Tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 61. Contra Bordonum. Faciliùs tamen conceditur, quòd viciſſim diſpenſatus ad Dignitates Regulares non ſit diſpenſatus ad ſæculares, eo quòd privilegia, vi quorum talis diſpenſatio conceditur, in favorem Religionis tantùm ſint inducta.

Dub. 5. *An Religioſi illegitimi per ſolam Profeſſionem abſque ulteriori diſpenſatione habilitentur, ut poſſint eſſe Vicarii Epiſcopi?*

℟. Negativè. Sanchez *in Decal. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 16. Sayrus *in theſauro caſuum Tom.* 1. *Lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 3. Ratio: Vicariatus iſte vel eſt Dignitas

vel

Digitized by Google

vel pro Dignitate reputatur : atqui ſola profeſſio illegitimum non facit habilem ad Dignitates. Ergo.

Dubium 6. *An Religioſus illegitimus virtute Privilegiorum Religioſis Ordinibus competentium poſſit diſpenſari ad Dignitates & Parochias ſæculares?*

℞. Non poteſt. Sanchez & Sayrus *l. c.* & jam inſinuatum eſt ſupra *Dub.* 2. Ratio: Privilegia illa ſunt inducta in favorem ſolius Religionis, ergo non debent liberè ad quaſvis Dignitates ſæculares extendi. Confirmatur: Beneficia curata ſæcularia menſurantur Jure Communi, atqui ex Jure communi illegitimi ad beneficia curata ſine diſpenſatione Pontificia non ſunt capaces; ergo.

Dub. 7. *An illegitimus abſque diſpenſatione poſſit eſſe Præſes Capituli Generalis vel Provincialis?*

℞. Non poteſt. Lezana *Tom.* 4. *Summæ*, *verb. Præſes Capituli. num.* 4. ex ratione quòd Præſidis Officium ſit quædam Dignitas, cùm Præſes dictus agat Vicarium Superioris Generalis vel Provincialis vel ſaltem referat ſpeciem Dignitatis, ut ad has valeat reduci: atqui illegitimus ſine diſpenſatione non eſt capax Dignitatum: ergo.

Dub. 8. *Quouſque ſe extendat diſpenſatio, quam Religioſus illegitimus obtinet in Religione?*

℞. De hoc Lezana *in Summa Tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 61. Sic diſcurrit: *Diſpenſatus in Religione propter privilegia adducta, ad officia & dignitates, non poteſt extra Ordinem illa habere, quia prædicta privilegia ſunt ſolùm in favorem Religionis. Nec*

diſpen-

diſpenſatus ad dignitatem inferiorem poteſt cenſeri diſpenſatus ad ſuperiorem, quia permiſſio minoris non eſt permiſſio majoris. Secus videtur dicendum de diſpenſato ad majorem dignitatem: talis enim eo ipſo cenſetur diſpenſatus ad minorem; quòd ſolùm credo eſſe verum, quando minor dignitas continetur ſub majori, ut Prioratus ſub Provincialatu, & Provincialatus ſub Generalatu. Hæc cum proportione extende ad non Religioſos ſive Sæculares diſpenſatos.

Dub. 9. *Quid ſentiendum de Diſpenſatione, quam facit Pontifex cum illegitimo?*

℟. Quòd Pontifex cum illegitimis diſpenſare valeat, non oportet dubitare. Nam inhabilitas illegitimi provenit à Jure poſitivo, in quo Pontifex Romanus vel tanquam Legislator, vel tanquam Legislatoris Succeſſor (adeoque paris cum Legislatore ipſo auctoritatis) diſpenſare valet. Cùm verò diſpenſatio iſta duplices effectus, *Eccleſiaſticos* in ordine ad beneficia, Ordines Sacros & Dignitates, & *Civiles* in ordine ad temporalia & ſucceſſiones in bonis hæreditariis, habere poſſit, hinc dupliciter eſt reſpondendum.

Quoad *Spiritualia* ſcil. Ordines Sacros, beneficia vel Eccleſiaſticas dignitates poteſt Pontifex Romanus habilitare omnes illegitimos Chriſtianos in toto mundo, tam ſæculares, quàm Regulares. Nam Pontifex quoad ſpiritualia in iis, quæ ſunt Juris poſitivi Eccleſiaſtici ſupremam habet poteſtatem. Non ſolet tamen hâc poteſtate extraordinariâ uti (niſi aliter exprimat) quando de Jure Statutario vel conſuetudine alicubi ſpecialiter requi-

requireretur, ut Paſtor ſive Rector Eccleſiæ ſit legitimè natus. Et ideo notant DD. ex *c.* 7. *de Elect. & Electi poteſt.* quòd legitimati à ſuo natalium defectu, niſi aliter in diſpenſatione exprimatur, adhuc arceantur ab Epiſcopatibus & à Prætorio Rotæ Romanæ.

Quòdſi Pontifex exprimat ſe diſpenſare cum illegitimo ex quocunque coitu nato, valet id indifferenter pro omni illegitimitate, exceptâ ſolâ illâ, quâ quis ex coitu matris cum filio, vel patris cum filia, aut monialis cum fratre natus eſſet: hæc enim diſpenſationem reddunt difficiliorem.

Quoad *effectus Civiles*, ſcilicet, in ordine ad temporalia & ſucceſſionem in bonis parentum, non operatur diſpenſatio vel legitimatio à Pontifice facta, niſi legitimatus politico dominio & temporali Pontificis juriſdictioni ſit ſubjectus, teſte Haunoldo *de J. & J. tom.* 1. *tr.* 4. *c.* 3. *Controv.* 1. *n.* 142. Vel, niſi legitimatus ſeipſum Juriſdictioni temporali Pontificis ſubjiciat: niſi Reipublicæ neceſſitas exigat, legitimatum à Pontifice (etſi ejus dominio politico non ſit ſubjectus) haberi pro legitimo, etiam quoad effectus civiles: vel, niſi Pontifex diſpenſet in radice Matrimonii; tunc enim proles habebitur pro legitimâ quoad omnes effectus.

Dub. 10. *An Legati Apoſtolici aliquam habeant diſpenſandi facultatum cum illegitimo ad Dignitates.*

℞. Legati Apoſtolici magnam habent facultatem reſtituendi ſpurios legitimis natalibus, quæ facultas illis teſte Azorio *Inſtit. Moral. p.* 2. *lib.* 5. *c.* 30. *q.* 1. his verbis concedi ſolet: *Concedimus, ut ſuper na-*

talium, etiamſi ex adulterio, inceſtu, vel nefario aut quocunque illicitò coitu procreati fuerint, defectibus diſpenſare, ut quæcunque quotcunque, qualiacunque beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, ſæcularia & Regularia invicem compatibilia, etiamſi ſæcularia, Canonicatus, Dignitates & præbendæ; etſi è nobili genere procreati fuerint, etiam majores & principales perſonatus, vel officia, in Cathedralibus, Metropolitanis vel Collegiatis Eccleſiis, & in illis, in quibus dictorum patientium defectum natalium Patres Beneficia obtinuerint; dumtamen illis immediatè non ſuccedant, & quòd de natalium defectibus hujuſmodi nullam in quibuſcunque literis & gratiis ſibi concedendis mentionem facere teneatur, indulgere valeas. Circa quod cum Azor *loc. cit.* ſequentia obſerva:

I. Spurius per Legatum natalibus legitimis reſtitutus, & factus habilis ad dignitates non poteſt fieri Epiſcopus, ut ex *cap. Innotuit. de Elect. & Electi poteſt.* colligit Hoſtienſis.

II. Legato diſpenſatus ad omnes Ordines & beneficia Eccleſiaſtica, poteſt vi hujus legitimationis etiam beneficium curatum obtinere.

III. An illegitimus à Legato diſpenſatus ad beneficia ſimplicia, poſſit eo ipſo habere Canonicatum in Eccleſia Cathedrali, in utramque partem diſputatur. Azor *loc. cit. q. 4.* teſtatur affirmativam communi conſenſu eſſe receptam, quem conſule.

Dub. 11. *An Prælati Regulares habeant aliquam facultatem diſpenſandi cum illegitimis externis, qui non ſunt ſubditi Religioſi?*

℞. Regulariter & viâ ordinariâ nullum habent.

Ratio:

Ratio: nullum privilegium, etſi favorabile, debet ultra proprietatem, & uſum verborum extendi ad perſonas nec literaliter nec virtualiter expreſſas: atqui nullibi in Privilegiis Regularium communiter concedi ſolitis exprimitur facultas diſpenſandi cum ſæcularibus illegitimis, ergo. Vide P. Gobat *Operum Moralium part.* 1. *tr.* 8. *caſ.* 18. *n.* 720.

Dub. 12. *An & qualem diſpenſandi facultatem habeant Epiſcopi?*

℞. Quando illegitimitas eſt manifeſta, ex Jure communi Epiſcopi non habent facultatem diſpenſandi vel ad Ordines ſacros, vel ad dignitates Eccleſiaſticas, ut patet ex dictis *dub.* 2. *ſub initium.* Poſſunt tamen iidem diſpenſare in illegitimitate occulta, ut explicatum eſt *d. dub.* 2. *poſt num. XVI.*

Dub. 13. *An vel quæ perſonæ Laicæ habeant facultatem illegitimè natos legitimandi?*

℞. Quòd Perſonæ Laicæ habeant facultatem legitimandi, patet ex *c. Per Venerabilem.* 13. *Qui filii ſint legitimi,* & *Nov.* 89. *c.* 9. quibus locis ſimpliciter conceditur, quòd per Reſcriptum Principis poſſit fieri legitimatio. Poteſt autem legitimare omnis, penes quem eſt ſumma poteſtas, vel cui hæc poteſtas per Privilegium eſt Communicata. Unde hanc poteſtatem ſequentes obtinent.

I. Imperator in toto Imperio.

II. Vicarii Imperii, utpote qui Imperio vacante omnia poſſunt, quæ Imperator, feudis Principum duntaxat exceptis, ut colligitur ex *Aur. Bull. c.* 5. §. 1.

III. Electores, Principes, cœterique Imperii Ordines, Legitimatio tamen extra eorum territorium ab his concedi non poteſt; niſi fortè aliquis

Princeps vel Imperii Status ſpeciale Privilegium ab Imperatore obtinuiſſet vi cujus per univerſum Imperium legitimare poſſet.

IV. Comites Palatini, ſi id ipſis in Diplomate ſit expreſſum, aliàs non poterunt legitimare. Lymnæus *lib. 4. Juris publici, c. 4. n. 73.* Vi hujus poteſtatis poteſt Princeps proprios liberos legitimare, *arg. L. 3. C. de naturalibus liberis.* Quoad alios, ſi Princeps utatur poteſtate *ordinariâ*, legitimabit ſolùm liberos naturales, *Nov. 74. & Nov. 89. c. 9.* Si *extraordinariâ*, legitimabit qualeſcunque ex quacunque prohibita conjunctione natos. Et hanc poteſtatem extraordinariam quandoque ab Imperatore etiam Comitibus Palatinis concedi, teſtatur de ſeipſo Strickius. Quinam ſit effectus Legitimationis à perſona Laica conceſſæ, aperietur Dub. ſeq.

Dub. 14. *Quot modis Legitimatio poſſit fieri?*

℞. Tres modi in Jure qua ſcripto, qua non ſcripto & conſuetudinario partim vigente, partim obſoleto reperiuntur; nempe 1. per ſubſequens matrimonium: 2. Per Reſcriptum Principis: 3. Per oblationem Curiæ de ſingulis breviter.

Primus Legitimandi modus per ſubſequens Matrimonium.

Per ſubſequens matrimonium legitimari proles illegitimè natas, liquidi eſt Juris. Hæc Legitimatio introducta fuit, Jure Civili, *L. 5. 10. & 11. C. de natural. liber.* per quam corrigitur *L. 7. eod.* ubi Juſtinus voluit hanc legitimationem valere ſolum pro caſibus præteris & non futuris. Eandem poſtmodùm Canones approbavere, *c. conqueſtus. & c. Tanta eſt vis. Qui filii ſint legitimi.*

Iſte

Iſte legitimandi modus eſt tam potens, ut filius illegitimus etiam per matrimonium mediatum legitimetur: v.g. Si Titius ſolutus ſolutam Cajam à ſe impragnatam non ducat, ſed Dolabellam. Dolabellâ verò mortuâ modò matrimonium ineat cum dicta Caja: ex tunc legitimabitur filius iſtius Cajæ anteà jam natus, ut colligunt DD. communiter ex *Nov.* 74. *c.* 2. §. *Si verò*. Et ratio eſt, quia Jura admittentia legitimationem per ſubſequeus matrimonium non diſtinguunt inter matrimonia mediata & immediata, ergo nec nos diſtinguere debemus, *arg. L.* 1. §. 4. *ff. de Officio præfecti Urbis. L.* 3. *in fine ff. de Officio Præſidis. L. de pretio. ff. de Publiciana in rem actione. c. Ut ſolitæ de Majorit. & Obed.* nam ubi Lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Requiritur *primò* ut matrimonium hâc virtute potiatur, ut proles legitimanda fuerit *naturalis*, hoc eſt, procreata ex ſoluto & ſoluta, *d. c. Conqueſtus*. Unde non legitimatur per ſubſequens matrimonium proles ſpuria, hoc eſt, concepta & nata ex adulterio, ſive eo tempore, quo inter patrem & matrem matrimonium conſiſtere non poterat, *c. Tanta eſt vis.* 6 *Qui filii ſint legitimi.* Sufficit tamen matrimonium potuiſſe conſiſtere alterutro tempore, nimirum ſive tempore prolis conceptæ, ſive ejus nativitatis, ſive intermedio. Hinc ſi ſolutus peccet cum ſoluta, etſi proles naſcatur poſtquàm vel ille, vel illa matrimonium cum tertio vel tertia de præſenti contraxit, proles tamen prior manet per matrimonium legitimabilis. Similiter, ſi conjugatus peccet cum ſoluta, vel conjugata cum ſoluto, aut conjugatus cum conjugata, ſed ante-

quàm proles exinde concepta naſcatur, ſolvatur utriuſque parentis conjugium, manet proles legitimabilis, ſi ſe mutuò ducant. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 7. *n.* 19. An per ſubſequens matrimonium legitimetur proles ſuſcepta ex adulterio, quando alteruter parentum invincibiliter judicavit ſe committere ſolám fornicationem, (quia ſcilicet putabat ſe ſolutum cum ſoluta habere commercium, quæ tamen reipsâ erat conjugata) controvertitur. Veriſimilius eſt non legitimari, quia *d. c. Tanta eſt vis.* generaliter dicitur, quòd ſi vir vivente uxore aliam cognoſcat, filius inde ſuſceptus ſemper ſit ſpurius, nec facit mentionem, an mulier cognita ſciverit conditionem viri, nec ne.

Requiritur *Secundò*, ut ſubſequens matrimonium fuerit ratum, & non merè putativum ob latens aliquod impedimentum dirimens, teſtibus Molinâ *de J. & J. tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 172. Zoëſio *in Decretal. ad tit. Qui filii ſint legitimi. n.* 13. Engel *ibid. n.* 9. &c. quia quod de jure nullum eſt, nullum ſortitur effectum, *arg. L.* 4. §. 6. *ff. de re judicata*; Secus eſt de ipſis prolibus natis ex matrimonio putatitio, hoc eſt tali, quod publicè bonâ fide utriuſque vel ſaltem unius ex conjugibus ſine contradictione fuit contractum: tales enim proles etſi matrimonium, ex quo ſunt natæ, ob ſuum impedimentum poſteà per Judicem Eccleſiaſticum diſſolvatur, manent legitimæ, *cap. cùm inter.* 2. *cap. Perlatum eſt.* 8. *cap. Pervenit.* 11. *Qui filii ſint legitimati.*

Requi-

Requiritur *Tertiò*, ut filii legitimandi & pater conſentiant: nam inter cœteros hujus legitimationis effectus eſt, quòd legitimatus in patriam poteſtatem transferatur, §. *ult. Inſt. de Nuptiis. L.* 10. *C. de Naturalibus Liberis*. invitus autem nemo poteſt in patriam poteſtatem redigi, *L. ult. ff. de his, qui ſunt, vel alieni juris.*

Effectus hujus Legitimationis ſunt I. Quòd hoc modo legitimati habeantur, ac ſi ex legitimo matrimonio fuiſſent nati, *cap.* 6. *Qui filii ſint legitimi. Nov.* 12. *cap. fin. Nov.* 18. *cap.* 8. *&c.* Unde etiam illis dantur teſtimonia natalitia tanquam legitimis, quòd ex thoro legitimo & honeſtis parentibus ſint nati.

II. Quòd tranſeant in patriam poteſtatem. §. *ult. Inſt. de Nuptiis.*

III. Quòd recipiendi ſint in Collegia Opificum.

IV. Quòd patris etiam illuſtris, nobilitatem conſequantur, & inſignia familiæ deferre valeant.

V. Quòd parentibus, aliiſque conſanguineis unà cum liberis legitimè natis ex æquo ſuccedant ab inteſtato, idque tam in feudalibus quàm allodialibus *L.* 5. 6. 10. & 11. *C. de Naturalibus Liberis*, imò & in bonis aliorum agnatorum: cujus ratio à priori eſt, quòd matrimonium ſubſequens purget omne vitium antecedens, & retrotrahatur ad tempus conceptionis ac nativitatis filiorum, & perinde ſe habeat, acſi ante filiorum conceptionem ac nativitatem contractum fuiſſet; Unde omnia jura, quæ aliis liberis legitimis competunt, etiam legitimatis accreſcunt. Hinc ſi iſti prætereantur in teſtamento paterno, poſſunt illud rumpere, *arg.*

L. 8. *ff. de injuſto rupto, & irrito facto teſtamento:* aut ſi abſque cauſa juſta exhæredentur, habent querelam inofficioſi, *arg.* §. 2. *Inſt. de inoffic. teſtam.* Imò gaudent jure protimiſeos, ſive facultate retrahendi bona avita à parentibus vel aliis conſanguineis vendita.

VI. Quòd in utroque foro ſint capaces Officiorum, ac Dignitatum, etiam Epiſcopatuum, *cap.* 20. *de Elect. & Electi poteſt.* exceptâ ſolâ Dignitate Cardinalitiâ, ſic ſtatuente Sixto IV. *in Conſtit. ſua* 50. *incip. Poſtquàm. Anno* 1590. *publicata.* Hinc

Infer: Si filius illegitimus habuiſſet parentes tales, inter quos vel tempore ſuæ Conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio matrimonium validum conſiſtere poterat, ſi eligatur in Prælatum, poſtquàm parentes matrimonium inierunt (etſi hoc factum fuerit in articulo mortis, ita ut matrimonium manſerit ſolum ratum, & non ulteriùs conſummatum) poteſt abſque ulla diſpenſatione electioni conſentire, & Prælatum retinere, cùm ſimpliciter per matrimonium fuerit legitimatus, teſte Sayro, *Lib.* 6. *de Cenſuris, cap.* 10. & 30. Juxta quoſdam tamen peccat, ſine cauſa acceptando; Verùm cùm Sixtus V. *in Conſtit. ſua* 72. *incip. Ad Romanum.* Statuat expreſsè, illegitimos per ſubſequens matrimonium legitimari etiam *ad conſequendos gradus, honores, & Dignitates ſui Ordinis, æquo jure cum illis, qui ex matrimonio legitimo & conſtanti nati ſunt*; hinc difficile eſt oſtendere principium vel radicem, cur per ſe loquendo acceptatio dicta arguatur peccati.

Quòd

Quod ſi illegitimus dictus eligatur, antequàm Parentes matrimonium inierint? non poteſt electionem acceptare, dato etiam, quòd Parentes pro tunc ſponſalia de futuro jam contraxerint. Quia vis legitimandi proles non ſponſalibus de futuro, ſed ipſi matrimonio effectualiter & de præſenti validè contracto attribuitur: Imò Electus ille, etſi poſteà Parentes matrimonium de præſenti ineant, non poteſt dignitatem abſque nova electione retinere, etſi ſuperior vellet diſpenſare: quia electio fuit ab initio nulla, ergo ſolo tractu temporis non convaleſcit, *cap. Non firmatur. de R.I. in 6.* Neque ſuperior diſpenſando poteſt defectum priùs commiſſum ſupplere, niſi jus electionis ad ipſum fuerit devolutum, & ſic priùs electum invalide, ſecundò eligere vel nominare malit.

Secundus Legitimandi modus per Reſcriptum Principis.

Fit hæc legitimatio tunc, quando Princeps per Reſcriptum liberos illegitimos jubet eſſe legitimos & pro talibus haberi, *cap. 13. Qui Filii ſint legitimi. & Nov. 89. cap. 9.* Quinam verò legitimare poſſint, dictum eſt *Dub. 7.*

Ut Legitimatio per Reſcriptum Principis fiat, requiritur *Primò* de Jure communi ut Filius naturalis non poſſit per ſubſequens matrimonium legitimari. *Nov. 89. cap. 9.* Hodiè ſolet per Reſcriptum concedi legitimatio, etſi uterque parens ſuperſtes matrimonium poſſet contrahere.

Secundò requiritur, ut nulla alia proles legitima adſit; quia aliàs Princeps non præſumitur proli legitimæ velle præjudicare, *d. Nov.* 89. *cap.* 9. Hodie etiam liberis legitimis extantibus illegitimi per Principem poſſunt legitimari.

Tertiò requiritur, ut vel Pater ipſemet pro legitimatione prolium ſupplicet, vel filii mortuo parente probent ipſorum habuiſſe deſiderium legitimatiotionis liberorum, *d. cap.* 9. §. 1. Hodiè illegitimi ipſi, Patre ignorante vel mortuo, quandoque legitimationem à Principe efflagitant; quo caſu legitimatio tantùm ad legitimatum reſtringitur, & non in Patris aliorumvè præjudicium extenditur, niſi legitimatio à Principe ſit facta ex plenitudine poteſtatis.

Effectus Legitimationis per Reſcriptum Principis ſunt ſequentes.

I. Per Reſcriptum Papale legitimatus eſt capax Dignitatum, niſi de Jure ſtatutario; vel conſuetudine ſpeciali in aliquo promovendo requiratur nativitas legitima. Hinc talis legitimatus regulariter adhuc arcetur ab Epiſcopatibus, *cap.* 7. *de Elect. & Electi poteſt.* Quoad ſucceſſiones hæreditarias hoc reſcriptum Papale prodeſt ſolis ſubditis dominio temporali Pontificis; aut iis, qui ſe Pontifici in temporalibus ſubjiciunt; &c. ut inſinuatum *Dub.* 3.

II. Per reſcriptum Principis ſæcularis legitimatus

tus habilitatur ad opificia officia, dignitates Laicales &c. niſi ſpeciali conſuetudine, & ſtatuto ſit, receptum, ut quis reipsâ ex legitimo thoro ſit natus; prout Ordinatio Cameræ Imperialis *part.* 1. *tit.* 3. §. 2. Sancit de Aſſeſſoribus in Camera Imperiali. Excipiuntur etiam Ordines Sacri, Beneficia, & Dignitates Eccleſiaſticæ, ad quæ vel quas Legitimati à Principibus ſæcularibus non habilitantur; quia in ſæcularibus deficit poteſtas quoad ſpiritualia; Azor. *p.2.l.2.c.* 14. *q.* 5. Tannerus *Tom.* 4. *Diſp.* 8. *q.* 6. *dub.* 4. *n.* 87. Pirhing *ad tit. Qui Filii ſint legitimi. n.* 44.

Præterea tales legitimati ſuccedunt Patri in allodialibus, ſi legitimatio facta ſit ante legitimè genitos, aut legitimi Liberi deſint *Nov.* 89. *cap.* 9. §.1. Hoc tamen hodiè non ſemper attenditur, ut dictum ſupra in requiſito ſecundo. Neque iſta ſucceſſio impediri poteſt, per hoc, quòd Patre vivente & conſentiente legitimatio iſta facta ſit agnatis vel cognatis Patris non vocatis, quia Pater de bonis ſuis liberè poteſt diſponere, nec ad hoc conſenſu agnatorum vel cognatorum indiget, niſi quandoque ſpecialiter obſtarent pacta Familiæ. Ut mortuo patre Filius legitimus in ordine ad ſucceſſiones hæreditarias legitimetur, de rigore Juris neceſſarium eſſet prævié vocari & audiri ſucceſſores ab inteſtato, quibus jus ſuccedendi in bonis Patris defuncti acquiſitum eſt, teſte Azor *l.c.q.* 10. cum Pirhing *ibi, n.* 46. Iidem cenſent, quod ante legitimationem citandus ſit & audiendus is, qui eſt ſubſtitutus ſub illa conditione, ſi Pater primus hæres inſtitutus abſque liberis deceſſerit, eo quòd Princeps non cen-

cenſeatur tale privilegium concedere cum damno ſubſtituti.

An non Princeps de potentia ſua abſoluta filium naturalem vel ſpurium legitimare poſſit, etiamſi ex hoc legitima portio filiorum legitimorum & naturalium minuatur, dubitatur. Azor. *l.c. cap.* 15. *q.* 4. cum Pirhing *n.* 47. *&c.* Affirmant, dummodò, dum à Principe legitimatio petitur, facta ſit filiorum naturalium & legitimorum mentio, quia Pater, dum vivit, poteſt ob juſtas cauſas id petere, & conſequenter etiam Princeps poterit id concedere: ſecus, ſi non fiat illorum mentio.

In feudalibus ex ſola legitimatione per reſcriptum Principis acquiritur ſucceſſio, 2. *f.* 26. §. *Naturales*: ibi: *Naturales filii, licet poſteà fiant legitimi* (ſcil. per reſcriptum Principis, ut ex *Gl. margin. lit. B.* colligitur, quæ legitimatio per ſubſequens matrimonium in feudalibus ſucceſſionem concedit) *ad ſucceſſionem feudi nec ſoli, nec cum aliis admittuntur.* Ita ibi: Excipe niſi poſt legitimationem prolis, Pater feudum modò acquiſierit, aut ſpeciali privilegio etiam in ordine ad feuda legitimatio ſit facta, aut feudi dominus directus, proximioresque agnati conſenſerint. Neque taliter legitimati admittuntur ad Emphyteuſin Eccleſiaſticam, etſi admittantur ad Emphyteuſin ab alio privato conceſſam, teſte Julio Claro, §. *Emphyteuſis q.* 31 dicens id eſſe commune. Neque inſignia Familiæ ſibi applicare poſſunt, niſi ſpecialiter ad hoc ſint habilitati.

Tertius Legitimandi modus per Oblationem Curiæ.

Fit hæc legitimatio, quando Pater liberos naturales, vel defuncto Patre Liberi ſe ipſos Curiæ vel Ordini Decurionum offerunt, aut quando Pater Filios tales fœminis Conditionis Curialis in matrimonium tradit, §. *Fin. Inſt. de Nuptiis.* Ideò autem iſta legimatio fuit conceſſa, quia olim ferme omnes onera Curiæ fugiebant; hinc talibus privilegiis ſolebant allici. At cùm hodiè non ſit periculum, ne deſint, qui Officia Curialia prenſent, hinc iſta legitimatio ex uſu receſſit.

Dubium. 15. *Si ſuperior habens poteſtatem diſpenſandi ſcienter aſſumat illegitimum ad dignitatem, an ipſo facto cenſeatur cum ipſo diſpenſare?*

℞. Affirmativè, ſaltem pro foro interno; idque licèt hoc ſine cauſæ cognitione faceret. Ratio: quando aliquid fieri poteſt vel cum, vel ſine peccato, præſumitur factum eſſe ſub modo, quo eſt ſine peccato, *l, meritò. 51. ff. pro ſocio.* Atqui aſſumere illegitimos ſcienter ad dignitates abſque prævia diſpenſatione eſt peccatum, cum diſpenſatione non eſt peccatum: ergo præſumitur interveniſſe diſpenſatio ſaltem tacita.

Pro foro externo omnes Papâ inferiores nonniſi præviâ cauſæ cognitione diſpenſare debent, teſte Navarro *in Enchir. cap. 25. n. 74.* non item ipſe Papa, utpote qui non ita aſtringitur Juribus communibus ſicut alii Papâ inferiores.

Dub. 16. *Quid in ſupplica debeat exprimere illegitimus petens diſpenſari ad dignitates.*

℞. Debet exprimi qualitas illegitimitatis, & ſimul cauſæ ad diſpenſandum impulſivæ; diſpenſatio ſecus facta reputatur ſubreptitia. Nam diſpenſatio eſt Juris communis relaxatio, quæ ab ipſo Romano Pontifice non *ſolet*, ab aliis inferioribus ex privilegio aut commiſſione relaxantibus non *poteſt* fieri ſine cauſæ cognitione.

Unde non ſufficit, quòd Orator vel petens diſpenſationem dicat, ſe pati defectum natalium, ſed exprimere debet, an ſit Filius *naturalis tantum* hoc eſt, natus ex mare & fœmina ſolutis: an *nothus*, hoc eſt, natus ex adulterio, ſive ex viro conjugato, & quacunque alia concubina, aut ſoluta: an *ſpurius*, hoc eſt, incertum Patrem habens: ſive natus ex damnato coitu, hoc eſt, tali ob quem fœmina per leges humanas exteriori pœnâ afficitur: nam ſimplex coitus cum ſoluta ex Jure communi ſcripto non puniebatur pœnâ exteriori, *L.* 1.*C.ad L.Jul. de adult.* Si ſit *ſpurius ex damnato coitu*, exprimere debet, an ex *inceſtu*, ſive conſanguinea Patris, an ex *Sacrilegio* ſive Moniali aut perſona DEO conſecrata ſit natus; iſtæ enim ſunt ſpecies coitûs damnati, ut colligitur ex *Auth. Quibus modis naturales filii efficiuntur legitimi & ſui* §. *ult.Collat.* 6. Si ex adulterio, an ex *ſimplici*, an *duplici*, ſcil. tam Patre quàm Matre conjugatis. Si ex inceſtu, explicandi ſunt *gradus* in quibus Mater & Pater erant ad invicem conſanguinei vel affines. Si ex Sacrilegio, an hoc fuerit tantùm ex una, an ex utraque parte, ſcil. an ſola Mater, vel ſolus Pater, an uterque fuerit per-

Perſona Deo conſecrata; item an concurrerit adulterium vel inceſtus. Denique debet exprimi, an ſit Manzer, ut vocatur *c. Niſi cum pridem.* 10. *Circa medium. de renunc.* Hoc eſt, ut Gloſſa explicat: qui ex viro ſoluto & ſcorto natus eſt. Ratio horum omnium eſt, quia quando qualitates dictæ variantur, etiam diſpenſatio quandoque evadit facilior vel difficilior; adeoque ut cauſa ſufficienter cognoſcatur, debent exprimi.

Dub. 18. *An iſta expreſſio debeat fieri etiam coram Pontifice? & an non aliquando ipſe Pontifex ſuppleat?*

℞. Subdisjunctione: vel Pontifex diſpenſat ad inſtantiam alicujus vel ex motu proprio? *Si ad petitionem vel inſtantiam alicujus* Diſpenſatio reſtringitur ad ea, quæ ſunt à poſtulante propoſita, & conſequenter; ſi tctum impedimentum, ſive tota illegitimitas non ſit expreſſa, diſpenſatio illam totam non tollet; nec ſolet Pontifex (niſi aliud exprimat) quidquam ſupplere. Colligitur ex *cap. ſi is 2. de Filiis Presbyt. in 6.* ubi decernitur, quòd ſi illegitimus diſpenſatus per Sedem Apoſtolicam ad omnes Ordines & beneficia curata, poſtmodùm tacito natalium defectu ab eâdem Sede Sacra obtineat aliam diſpenſationem ad plura beneficia curata ſimul obtinenda, quòd inquam hæc ſecunda diſpenſatio tanquam ſubreptitia nullius ſit momenti, cùm non ſit veriſimile Sacram Sedem cum illo prædictum defectum patiente voluiſſe, ſi hoc fuiſſet expreſſum, in pluralitate beneficiorum diſpenſare. Ita ibi. Si verò Pontifex dicat ſe diſpenſare *motu proprio & ex certa ſcientia*, ſufficiet, ipſum addidiſſe

diſſe clauſulam generalem, *Non obſtantibus &c.* Etſi totum impedimentum in literis diſpenſatoriis non fuerit expreſſum. Ita Layman *ad d. cap. ſi iis.* Pro contraria parte Aſcanius Tamburinus *Tom. 1. de Jure Abbat. Diſp.* 15. *q.* 18. *n.* 4. allegatur.

§. XII.

An Bigamus poſſit eligi?

Monogamus dicitur unius uxoris vir: *Bigamus*, quaſi duarum (non ſimul, ſed ſaltem ſucceſſive) mulierum vir. Ipſa autē bigamia eſt multiplicatio nuptiarum, vel, eſt pluralitas conjugii ſive uxorum.

Communiter ſtatuitur Bigamia triplex: *Vera*, *Interpretativa*, *& ſimilitudinaria*: Bigamia *vera* eſt, quando quis matrimonium validè contrahit, & perfectè conſummat cum duabus; ita ut non ſufficiat matrimonium ratum, ut docent DD. conſtanter contra Magiſtrum ſententiarum *in* 4. *Diſt.* 27. Hinc non eſt Bigamus, qui duceret Caiam alteri priùs nuptam, ſed ab eo intactam relictam, *cap. debitum de bigamis*. Nec etiam is, qui cum duabus, aut cum una vidua habuiſſet copulam extra Matrimonium, Reginaldus *Fori pœnitent. Lib.* 30. *tr.* 2. *n.* 85. Neque is, qui habuiſſet copulam matrimonialem cum duabus, ſed nonniſi imperfectam.

Bigamia *Interpretativa* eſt, quando quis validè conſummat matrimonium cum vidua, vel quavis alia ab altero priùs vitiata, *cap. Maritum Diſt.* 33. *& cap. curandum. Diſt.* 34. vel quando quis ſuam uxorem, quam virginem duxerat, poſt adulterium ab ea commiſſum denuò cognoſcit, *cap. ſi Laici uxor. Diſt.* 34. Et quidem de vidua verum eſt, oriri bigamiam *interpretativam* ex parte mariti, ſecun-

ſive is eam duxerit ante- ſive poſt baptiſmum, *cap. ſi quis viduam Diſt.* 34. Illa tamen ipſa vidua ſecundò nubens non tantùm *interpretativè*, ſed etiam *verè* eſt bigama.

Porrò ad hanc Bigamiam non ſufficit, ſi quis ducat, corruptam à ſeipſo, DD. communiter *in cap. fin, de bigamis, & Gl. in cap. debitum. v. diviſit eodem.* Talis enim carnem ſuam non dividit in plures. Præterea matrimonium illud retrotrahitur ad tempus deflorationis, ac proinde fictione juris cenſetur eſſe virgo ducta, cùm ante deflorationem ſupponatur adhuc fuiſſe ab alio tertio intacta.

Denique vitium præcedens purgatur per matrimonium ſubſequens, *cap. Tanta eſt vis,* 6. *Qui Filii ſint legitimi.*

Licèt autem dicta Bigamia oriatur, ſi quis incorruptus ducat ab alio corruptam, non tamen viciſſim orietur, ſi quis corruptus, vel ſæpiùs, fornicatus ducat incorruptam, eò quòd vitium corruptionis in ordine ad irregularitatem inducendam ſpectetur ſolùm ex parte fœminæ, in quam velut terminum ad quem fertur conſenſus viri matrimonium contrahentis.

Deinde defectus virginitatis ex parte Sponſæ eſt major indecentia; & eſt quædam infamia, ducere ab alio corruptam, quæ infamia non habet locum, ſi fœmina non corrupta ducat virum corruptum.

Quòd autem Bigamia interpretativa etiam incurratur, quando quis ignarus duxit corruptam, vel quando maritus ignarus adulterii ſuæ uxoris eam poſteà cognoſcit, etiam dum uxor per vim oppreſſa eſt ab adultero; aut quando maritus reddidit uxori adulteræ debitum per cenſuras compulſus, eo

Digitized by Google

quòd ſcil. non potuerit adulterium plenè probare, patet ex eo, quòd in omnibus his eventibus non poſſit ſignificari conjunctio Chriſti unius cum Eccleſia una, cùm tamen defectus hujus ſignificationis ſit fundamentum bigamiæ, ut conſtat *ex cap. Nuper. 4. de bigamis non ordinandis.*

Aliud eſt in irregularitate ex homicidio, nam hæc oritur ex defectu lenitatis, qui non habetur in ignaro occiſionis: at defectus dictus ſignificationis (qui defectus Sacramenti Matrimonii dicitur) habetur, ſive ſcientia adſit, ſive abſit. Si Laicus vel Minoriſta unum Matrimonium invalidum contraxerit & conſummaverit cum vidua vel ab alio corrupta, probabiliùs non oritur impedimentum Bigamiæ interpretativæ, Navarrus *in Enchirid. cap.* 27 *n.* 295. cum aliis contra Suarez *de cenſuris Diſp.* 49. *Sect.* 3. *n.* 3. *& ſeqq.* Ratio: Non debet irregularitas aſtrui, niſi quæ in jure eſt expreſſa: atqui non reperitur expreſſum, quòd quis interpretativè fiat bigamus, ſi vel cum duabus contrahat matrimonium, cum una validè, cum altera invalidè, vel cùm duabus invalidè, ergo.

Quòd ſi utrumque vel alterutrum Matrimonium contractum ſit bonâ fide cum ignorantia invaliditatis, probabiliter irregularitas Bigamiæ *interpretativæ* non incurritur, Sanchez *de Matrim. Lib.* 7. *Diſp.* 84. *n.* 6. Contra Suarez *ſupra Sect.* 2. *n.* 8. Ratio: Hæc ſpecies Bigamiæ non ob defectum Sacramenti, ſed ob delictum incurritur, ubi autem eſt bona fides, ibi non eſt delictum. Eodem modo probabiliùs hæc Bigamia non incurritur, quando quis fictè & ſimulatè alterum matrimonium contraxiſſet.

Nec

Digitized by Google

Nec obſtat *cap. Nuper. 4. de bigamis*, cui ſententia contraria innititur, quia iſtud loquitur non de *Laico*, ſed de *ordinato*, qui terminus in odioſis ſupponit pro principalioribus, quales ſunt conſtituti in Ordinibus ſacris. Si contraria ſententia ſit in uſu, debet ea obſervari.

Bigamia *ſimilitudinaria* eſt, quando Majoribus Ordinibus initiatus, vel Religioſum Ordinem profeſſus, cum una etiam Virgine matrimonium (licet invalidè) contrahit & conſummat, *c. à nobis. de bigamis. c. Quotquot XXVII. q.* 1. Et ſic habent DD. communiter apud Sanchez *de Matrim. Lib. 7. diſp. 83. n. 5.* quidquid aliqui contradicant, volentes pro *Religioſi* bigamia *ſimilitudinaria* ſufficere, contraxiſſe matrimonium, etſi illud non ſit coſummatum. Vocatur hæc bigamia *ſimilitudinaria*, eò quòd habeat ſimilitudinem matrimonii duplicis, ſpiritualis ſcil. & carnalis: *Spiritualis* per votum ſolenne, quo quaſi contrahit cum Religione tanquam ſponſa; *Carnalis* autem propter celebratas (etſi invalidè) nuptias. Eſt veriſimile, non tamen certum, quòd tam Clericus in ſacris Ordinibus conſtitutus, quàm Religioſus profeſſus contrahendo nuptias incurrat bigamiam cum irregularitate, quia *d. cap. Quotquot.* indiſtinctè dicit: *Quotquot poſt Virginitatem pollicitam prævaricati ſunt (profeſſione contemptâ) inter bigamos haberi debebunt.* Ubi per *Profeſſionem*, DD. intelligunt tam illud votum, quod juxta communem aliquorum loquendi modum eſt annexum Ordinibus ſacris, quàm illud, quod fit in Religione, ſive ſit ſolenne, ſive ſimplex, dummodò

ſit matrimonii ſubſequentis dirimens, qualia ſunt vota ſimplicia Societatis JEſu. Denique

Nota: Si Religioſus poſt votum ſolemne contrahat cum aliqua virgine non Religioſa, ſolùm ille, & non illa incurrit bigamiam ſimilitudinariam; Et viciſſim, ſi Monialis contrahat cum Laico, ſola Monialis eidem ſubjacet, Lezana *in ſumm. qq. Regul. tom. 3. v. Bigamus. n.* 3. Neque enim debemus irregularitatem, vel impedimenta Canonica de facili aſtruere, niſi quatenùs eſt in jure expreſſum: atqui in primo caſu de Virgine, & in ſecundo de Laico nihil reperitur expreſſum: ergo.

Dub. 1. *An Bigamus ſit ad Dignitates eligibilis?*

℟. Nullus bigamus eſt eligibilis. Ratio: Nullus bigamus eſt promovibis ad Ordines ſacros, ergo à fortiori nullus eſt promovibilis ad Dignitates: hoc enim reputatur plus illo. Antecedens conſtat ex toto titulo, *de bigamis non ordinandis.* Item ex *cap.* 2. *& ſeqq. diſt.* 26. *cap. præcipimus. & ſeqq. diſt.* 34. Et in ſpecie de bigamis *Veris*, habetur *cap.* 1. *&* 2. *de bigamis.* imò in tot locis, in quot reperitur mentio *bigami* ſimpliciter: Iſte enim terminus ad minimum ſupponit pro principaliori, qui eſt Bigamus verus.

De *Interpretativo* conſtat ex *cap. de bigamis* 3. *eod.* prohibente, ne bigami Presbyteri, & *Viduarum Mariti*, nec viventibus, nec defunctis uxoribus ad Divinorum celebrationes admittantur.

De bigamo *Similitudinario* habetur *cap. Nuper.* 4. & *cap. à nobis,* 5. *eod.* quæ agunt de Clericis in majoribus conſtitutis, & nuptias celebrantibus.

Deſa-

Digitized by Google

Deſumitur quoque inhabilitas bigamorum ad Dignitates ex 1. *Timoth.* 3. ubi S. Paulus vult ad Epiſcopatum promoveri *unius uxoris virum.*

Dub. 2. *Quomodò Romanus Pontifex in Bigamiis poſſit diſpenſare?*

℟. Poteſt in omnibus Bigamiis ad omnes effectus diſpenſare, quidquid aliqui contradicant: Etſi enim *cap. Super eo. 2. de bigamis.* dicatur indiſtinctè, quòd cum Bigamis non liceat diſpenſare, eò quod ſit contra Apoſtolum 1. *Timoth. 3. v. 2.* non tamen eſt ſenſus, quaſi nunquam id fieri poſſit, ſed quod nonniſi ex cauſa juſta, ardua & rationabili ſit faciendum. Poteſt enim Pontifex quivis diſpenſare in omni jure Eccleſiaſtico, etiam ab Apoſtolis conſtituto, cùm moderni Pontifices æquali jure & auctoritate ligandi, ſolvendi, ac diſpenſandi cum ſuis Anteceſſoribus uſque ad S. Petrum gaudeant.

Dub. 3. *An habens ex Privilegio facultatem diſpenſandi cum Bigamo ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, poſſit etiam diſpenſare ad Prælaturas vel Dignitates?*

℟. Si in privilegio conceſſo ſit mentio ſola Ordinum ſuſcipiendorum, non poteſt: Quia diſpenſatio ad Prælaturas eſt planè diſparata à diſpenſatione ad Ordines, nec una in altera includitur vel neceſſariò cum altera conjungitur, ut patet in illegitimo, qui per Profeſſionem religioſam legitimatur ad ſacros Ordines: non tamen ad Dignitates. Secus eſt, ſi privilegium concedatur cum particula ampliativa, vel expreſſam mentionem faciendo de Dignitatibus, vel concedendo, vel irregularitatem bigamiæ poſſit *penitus* auferre. Bb 3 Dub.

Dub. 4. *An non bigamiæ irregularitas tollatur per profeſſonem in Religione approbata?*

℟. Inſpecta ſolo *jure communi* & privilegiis ordinariis non tollitur ipſo facto: Quia nullibi reperitur de hoc aliquid expreſſum, & ad ſummum per privilegia conceditur Superioribus poteſtas diſpenſandi, ut dicetur *dub. 6.* ergo ſignum eſt, quòd per profeſſionem bigamia nondum ſit ſublata.

Dub. 5. *An Epiſcopi habeant facultatem diſpenſandi in bigamia?*

℟. I. Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum bigamo vero, aut interpretativo ad ſuſcipiendos Ordines *majores*, vel in ſuſceptis miniſtrandum, colligitur ſatis clarè ex *cap. ſuper eo. 2.* & *cap. nuper. 4. de bigamis non ordinandis.* Toletus *Lib. 1. Summæ, cap. 68. n. 3. v. Tertia concluſio.*

℟. II. Eſt probabile Epiſcopum poſſe diſpenſare cum bigamo tam *interpetativo,* quàm *vero* ad Ordines *minores*; Wagnereck *in d. c. ſuper eo.* dicens, Canones prohibentes bigamos ſub anathemate, deferre habitum & tonſuram, *c. un. eod. in 6.* vel eos admitti ad Clerum, *c. ſi quis viduam. diſt. 34.* procedere ſolùm, quando nulla, nequidem Epiſcopi intervenit diſpenſatio. Toletus tamen ſupra *n. 4.* ait, quòd, cùm iſta ſint incerta, tutius ſit abſtinere à diſpenſando, etiam ad primam tantùm tònſuram, & multò magìs ad miniſtrandum in ſuſceptis: maximè cùm ſacra Congregatio Concilii *Seſſ. 23. c. 17.* ex mente Sixti V. *die 30. Jan. 1589.* declaraverit, Epiſcopum cum bigamo *vero* ad primam tonſuram & beneficium ſimplex diſpenſantem fuiſſe

fuiſſe ſuſpendendum à collatione Ordinum (ſcil. per modum *ſententiæ ferendæ*, ut docet Donatus *tom.2. prax. Regul. p. 1. tr. 5. q. 35. n. 16.* ex declaratione S. Congregationis & aliis DD.) diſpenſatum verò, ab exercitio Ordinum: Et prætereà collationem beneficii fuiſſe nullam, nec collatarium fructus feciſſe ſuos. Idem Toletus *n. 5.* ſubdit: eſſe probabile, quòd olim Epiſcopus potuerit diſpenſare cum bigamo *vero* & *interpretativo*, ut in Ordinibus Minoribus ante bigamiam contractam ſuſceptis poſſit miniſtrare, ex *c. Lector. 18. diſt. 34.* id tamen hodiè ſit ſublatum, per *c. un. de bigamis. in 6.*

℞. III. Diſpenſat Epiſcopus cum Presbytero, qui ſemel ductâ uxore (non tamen viduâ, *c. à nobis. 7. de bigamis*) longam egit pœnitentiam, ut miniſtret in ſuſceptis Ordinibus, *c. Sanè. 2. de Cler. conjug.* Item cum Diacono converſo, & contrito, qui poſt ſuſceptum Ordinem contraxit ſemel cum virgine, ut dimiſsâ uxore miniſtret in ſuſceptis, & ſi perfectæ fuerit converſationis. poſſit ad ulteriores promoveri, *c. 1. Qui Clerici vel voventes.* Item cum omnibus Subdiaconis & Religioſis ſibi ſubjectis poſt votum ſolemne nubentibus *Gl. in c. Quotquot. 27. q. 1.* Si tamen ſemel tantùm cum Virgine, non ſi ſæpiùs, aut cum vidua contraxerint. Item in omni bigamia procedente ex delicto occulto, juxta Conc. Trid. *Seſſ. 24. c. 6. de Reform.* An autem detur irregularitas bigamiæ procedens ex delicto, à quibuſdam controvertitur, de quo vide Cardin. Toletum *lib. 1. Summæ. c. 68. n. 1.* ubi ſtat pro affirmativa.

Dub. 6. *An Prælati Regulares habeant facultatem in bigamiis diſpenſandi?*

℟. 1. In bigamia *ſimilitudinaria* cum ſibi ſubdito poſſunt diſpenſare. Ratio: Prælati Regulares poſſunt in ſuos ſubditos Religioſos tantum, quantum Epiſcopi in ſuos ſubditos diœceſanos: atqui Epiſcopi cum ſuis ſubditis diœceſanis poſſunt diſpenſare in bigamia *ſimilitudinaria*, ut explicatum *dub. 5. n. III.* Ergo. Quando autem in conceſſa facultate diſpenſandi excipitur bigamia; intelligitur de *vera*, vel *interpretativa*, non de *ſimilitudinaria*. Quòd ſi bigamia illa non eſſet purè ſimilitudinaria, ſed ſimul interpretativa, v. g. ſi Religioſus duceret viduam, aut duo matrimonia ſucceſſivè contraheret & conſummaret; vi hujus Reſponſionis non poſſet cum ipſo Prælatus diſpenſare, Lezana *in Summa qq. Regular. tom. 3. v. Bigamus. n.* 6. adeoque conſulendæ ſunt Reſponſiones ſubſequentes.

℟. 2. In bigamia *vera* vel *interpretativa* non poſſunt Prælati diſpenſare, inſiſtendo ſolo *juri communi*; Nam ex juribus *dubio praced. n. I.* allegatis colligitur, quòd Pontifex hanc diſpenſationem ſibi ſoli reſervârit. Imò probati DD. cum Suarez *tom. 5. de Cenſur. diſp.* 49. *ſect.* 6. *n.* 16. Navarro *in Summa. cap.* 127. *n.* 197. & aliis cenſent, quòd nequidem virtute privilegiorum poſſint hoc facere; eò quòd in privilegiis reperiri ſolitis, cum irregularitate ex homicidio voluntario, & mutilatione membrorum, inveniatur etiam excepta irregularitas bigamiæ. Alii tamen non minùs probati cum Sayro *de Cenſuris. lib.* 6. *c.* 6. *de bigam. n.* 14. Dianâ *p.* 4. *reſol.* 63. *de irregul.* Lezanâ *V. Bigamia.* & aliis pluribus tenent contrarium. Atque pro hac ſententia Donatus *in prax. Reg. tr.* 5 *q.* 36. *à n.* 7. refert varia privilegia, quæ hic referre licet. I. Car-

Digitized by Google

I. Carthuſiani habent privilegium, vi cujus ipſorum Generalis poteſt cum ſuis ſubditis diſpenſare in omnibus irregularitatibus, nullâ exceptâ, pro foro conſcientiæ tamen ſolo, ac etiam in homicidio voluntario, citra Altaris Miniſterium, quod ob mutuam communicationem privilegiorum pertinet ad omnes alios Generales.

II. In Compendio P. Hieronymi Rodriquez. *V. Ordines Sacri.* habetur indefinitè, quòd Bigamus de longinquis partibus poſſit in Bigamia diſpenſari à Prælato, & ad Ordines promoveri.

III. Sixtus IV. conceſſit PP. Minoribus, ut quilibet eorum poſſit ſemel eligere Confeſſarium, & ab eo pœnitentiâ ſibi impoſitâ in Confeſſione abſolvi ab omnibus criminibus, exceſſibus, & cenſuris Eccleſiaſticis, & ab eodem diſpenſari in omnibus irregularitatibus, exceptis homicidio voluntario, & mutilatione membrorum. Ubi cùm exceptio non includat bigamiam, firmat regulam in oppoſitum, & facultatem in illa tanquam non excepta.

Quòd autem in aliis privilegiis Minorum fuerit Bigamia excepta, non obſtat, quia in allegata conceſſione Sixti IV. exceptio non ſe remittit vel fundat in aliis privilegiis, ſed procedit abſolutè.

IV. Martinus V. conceſſit, ut Prior Monaſterii S. Benedicti Valliſoleti, in foro conſcientiæ poſſit abſolvere Monachos ab omni excommunicatione, etſi talis eſſet, quam ipſe Summus Pontifex ſibi reſervare ſolet, & diſpenſare cum eis ſuper omni Irregularitate, etiam in caſibus Papæ reſervari ſolitis, v. g. in homicidio voluntario, truncatione membrorum, aut enormi ſanguinis effuſione,

dummodò hæc non ſint notoria. Hæc conceſſio poſtmodùm extenſa fuit ad omnes Priores & Abbates aliorum Monaſteriorum, ut patet ex tenore Bullæ in Conventu Valliſoletano aſſervatæ. Idem poſteà etiam conceſſum eſt PP. Ordinis S. Dominici à Julio II.

Nec obſtat, quòd in his conceſſionibus non fiat mentio bigamiæ, in generali autem conceſſione non veniant ea, quæ ſpeciali notâ digna ſunt, *cap. 8 1. de R. J. in 6.* Nam ℞ Sub diſtinctione. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſpeciali notâ digna ſunt, ſi in generali conceſſione exprimantur caſus majores, quàm non expreſſi N. ſi nihil exprimatur. C. in dictis conceſſionibus exprimitur irregularitas ex homicidio, quæ eſt multò major, quàm irregularitas ex bigamia; ei autem, cui licet, quod eſt plus, etiam, quod eſt minus, conceſſum intelligitur. Deinde in eadem conceſſione habentur termini ampliativi, ſive clauſula prægnans; *Etiam Papæ reſervatis*; quæ ex ſua natura comprehendit omnes caſus etiam magis dubitabiles.

V. Paulus III. *Die 12. Martii 1545. in Conſtit. incip. Exponi nobis nuper feciſtis.* Conceſſit Abbatibus, Prioribus, ac Præſidentibus Ordinis S. Benedicti Valliſoleti, ut ſingulis Annis primâ die Lunæ ſive Feria II. Quadrageſimæ, omnes & ſingulas perſonas utriuſque ſexûs dicti Ordinis, intra ſepta degentes, poſſint abſolvere ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, ac ſententiis, Cenſuris, & pœnis ab ipſis quoquo modo incurſis, & etiam à Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, nec non diſpenſare

cum

cum illis ſuper quibusvis irregularitatibus, per eos pro tempore quâvis occaſione contractis. Cenſetur hæc conceſſio extenſa ad omnes alios Superiores Ordinum in privilegiis communicantium. Neque Pontifex limitat ad homicidium voluntarium, vel caſuale, neque ad delictum publicum vel occultum, neque excipit bigamiam, ſed indiſtinctè dicit: *quavis occaſione & cauſâ contractis.* Nec conceſſio hæc adverſatur Tridentino, neque reperitur revocata; Nec Pontifex in ea diſtinguit, quòd diſpenſatio ſolùm facienda in foro conſcientiæ vel confeſſione, adeoque videtur, quòd illa die Prælati poſſint pœnas & irregularitates aufferre etiam extra Sacramentum pœnitentiæ. Neque conceſſio illa eſt tantùm pro una vice in vita, ſed pro ſingulis annis; ita tamen, ut Prælati condignam ſatisfactionem injungant.

An hæc ſententia ſecunda in praxi hodiè procedat aliorum judicio remittit, Lezana *in Summa qq. Regularium. Tom. 4. v. Irregularitas. n.* 72. Affirmat Rodriquez *in Compendio privileg. v. Ordines Sacri.* eò quòd reipsâ nihil videatur obſtare, etſi contraria ſententia ſit tutior. Ita ferme donatus ſupra.

§. XIII.

De corpore vitiatis eligendis vel non.

Nota: Corporis vitia communiter numerantur triplicia. 1. *ex debilitatione*, quando membrum quoddam eſt inefficax & mortuum. 2. *ex mutilatione*, quando quis uno membro caret. 3. *ex defor-*

Digitized by Google

deformitate quando vitium aliquod eſt in membris Principalibus inducens deformitatem. v. g. ſi quis oculos habeat lippos & lacrymantes, aut aliquam maculam in oculo; aut unum vel utrumque illorum deformiter prominentem; ſi partem auriculæ amiſerit; ſi naſum deformem vel contortum, aut cancro exeſum habeat; ſi facies ſit maculata, uſtulata, cicatricibus plena; ſi linguâ impeditus ac balbus; ſi manus habeat tremulas; ſi ſex aut quatuor digitos; ſi ſcabie deformi aut conſtanti ſit obſitus; ſi ſit gibboſus, claudus, nimis parvus &c.

℞. Non poſſunt eligi in Abbatem vel Prælatum Eccleſiæ, qùi ita corpore ſunt vitiati, ac tam deformes, ut ſine horrore notabili vel ſcandalo non poſſint ſervire Eccleſiæ. Ratio: Inhabilis ad unum connexorum eſt etiam inhabilis ad alterum, *Arg. Cap expoſuiſti. 6. juncta Gl. v. promoveri. De corpore vitiatis non ordinandis.*

Sed qui ſunt ita corpore vitiati, ut ſine notabili horrore vel ſcandalo non poſſint ſervire Eccleſiæ, ſunt inhabiles ad Sacros Ordines, *toto tit. de Corpore vitiatis non ordin.* Ergo etiam ſunt inhabiles ad Abbatiatus vel Prælaturas Eccleſiarum, quæ ſunt connexæ cum Sacris Ordinibus.

Si deformitas non ſit adeo notabilis, ſed ſolùm aliqua debilitas, & ſolùm impediens unum exercitium alicujus Ordinis, non prohibetur quis eligi, *Cap. Thomas. 7. in fin. eodem.* Debet tamen abſtinere ab iis actibus, quos non poteſt decenter exercere. Quænam ſit inſignis deformitas, reſpectu Clericorum determinandum eſt ab eorum Epiſcopis; at reſpectu Regularium ab eorum Superioribus, ut infra dicetur.

Dub.

Dub. I. *Quanam vitia communiter habeantur notabilia?*

℞. I. non eſt vitium notabile, nec irregularis, ſi quis amittat partem digiti etiam ad frangendam Hoſtiam neceſſarii, v.g. pollicis aut indicis, dummodò deformitas non ſit notabilis, etſi in duello, vel ex parte ſua oblato, vel ſibi oblatum acceptato illam partem amiſerit, *Cap. de Presbytero* I. *de corp. vitiat. non ordin.* Multò minùs eſt irregularis, qui caret ungulâ pollicis, dummodò in pollice ſit adhuc ſatis fortis ad frangendam Hoſtiam, *cap. Thomas.* 7. *eod.*

II. Qui haberet ſex digitos in pedibus, non eſt irregularis, hoc enim non parit deformitatem. Idem eſt de eo, qui haberet tot in una manu; Ubi tamen faciliùs poteſt contingere aliqua deformitas inductiva ſcandali.

III. Qui ex digitis unum vel alterum habet conjunctum, non eſt irregularis, dummodò ex hoc non oriatur impedimentum in uſu membr. Tabiena *V. corpore vitiatus. n.* 2. §. *primò.*

IV. Si quis ſine periculo vitæ, & uſus membrorum, (maximè ad tractandam SS. Euchariſtiam requiſitorum) aut deformitatis alterius ſuperfluos digitos reſecare, vel alterum altero diſproportionaliter longiorem amputare ad longitudinem congruam, aut conjunctos digitos diſcindere poſſet, non eſſet irregularis, idque ſive hoc faciat per ſe, ſive per alium, quia digiti non reputantur pro membris, quod ſaltem de ſuperfluis videtur concedendum. Cenſetur autem eſſe membrum propriè dictum ea corporis pars, quæ ad certum officium

cium eſt deputata,& diſtinctam habet operationem in corpore, v.g. oculus viſionem manus apprehenſionem,pes ambulationem &c. Pirhing, *de corpore vitiatis non ordinandis. n.1*.

V. Habens in oculo maculam vel albuginem debet recurrere ad Epiſcopum, qui judicare debet, an deformitas ſit notabilis, nec ne: Et ſi non videatur,poteſt ordinari; ſi notabilis, requiritur diſpenſatio Pontificia; ſi ſit dubia, ſtandum eſt dicto judicio Epiſcopi,*cap. Cùm de tua.2*.& Layman. *ibi n.2. de corpore vitiatis.* Ubi promovendo ad Epiſcopatum agitur,requiritur, ut Archi-Epiſcopus cum conſilio ſuffraganeorum ferat hoc judicium: aliàs diſpenſatio eſt invalida,ob transgreſſos limites poteſtatis ſibi commiſſæ, Pirhing. *l.c.n. 7. verſ. Colligitur 2.* Eſt autem macula notabilis, quæ ſine ſubtili inſpectione offert ſe videntium conſpectui.

VI. Irregularis eſt qui oculis orbatus eſt, *cap.fin. diſt. 55*. Quod eſt verum, tam quando oculus eſt planè erutus, quàm quando eſt viſu orbatus; ita ut ſi uterque oculus ſit planè excœcatus ante ſuſceptum Sacerdotium, videatur quodammodò jure naturali impeditus, cùm vix, aut nonniſi cum ſummo periculo valeat celebrare: niſi defectum oculorum materialium ſuppleat perſpicacia talentorum internorum in gradu excellenti. Unde ſi materialiter cœcus ſpiritualiter valde illuminatus petat promoveri,ut poſſit exercere Officium Prædicatoris, poteſt à Papa diſpenſari, ut Sacerdos & Epiſcopus fiat: Licèt enim non poſſit celebrare, poteſt tamen exci-

excipere Confeſſiones, prædicari, & juriſdictionalia exercere. Et ſic Robertum Waucop ſcotum cœcum diſpenſatum eſſe, ut Romæ fieret Sacerdos, ac paulò pòſt Archi-Epiſcopus Armachanus in Hybernia, & poſteà ſub Julio III. Legatus à latere teſtatur Surius *in Commentario rerum in Orbe geſtarum Anno* 1551. *mihi pag.* 344.

VII. Qui uno oculo caret penitus, ſive is ſit dexter, ſive ſiniſter, eſt irregularis; cùm ſit in membro notabili corporis vitiatus vel diminutus. Quod à fortiori eſt verum, ſi quis eſſet monoculus natus; quia hic ſine deformitate non poſſet exercere munus ſuum.

Qui caret ſolùm viſu unius oculi, alterum autem oculum habet ſanum & integrum; ſi oculus carens viſu ſit dexter, non eſt irregularis, Navarrus *in Man. cap.* 27. *n.* 198. *verſ. Quartò Dico.* Quia tunc ſine deformitate poteſt perficere Miſſam: Si dictus oculus ſit ſiniſter, & tamen ordinandus oculo dextro ſine ulla indecentia poſſet legere Canonem Miſſæ, poteſt ad Ordines admitti, & conſequenter etiam ad dignitates: Secùs eſt, ſi non poſſet legere, ſine indecentia, v. g. non ſine magna contorſione, ut ſe fermè debeat vertere verſùs populum, Sayrus *de Cenſuris Lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 8. Pirhing *l. c. n.* 6. qui putat tali aliqualiter ſuccurri poſſe Libri accommodatione. Quòd ſi defectus iſte accideret poſt ſuſceptos Ordines, per ſe non videtur inducere impedimentum à conſequendis dignitatibus.

VIII. Qui habet unum oculum groſſiorem altero,

tero, vel utrumqne prominentem, vel oculos diſtortos,aut carentes palpebris, aut lippientes, ſive perpetuò lacrymantes,non eſt irregularis, niſi lippitudo habeat acrem & putreſcentem deſtillationem, quæ aſpicientibus abſque ſubtili intuitu horrorem afferat,vel niſi prædicta notabilem deformitatem judicio Epiſcopi definiendam cauſent.

IX. *Defectus faciei & ejus partium, aurium, naſûs, linguæ, labiorum & dentium.* Si facies ſit multis cicatricibus obſita, os, nares, aures, vel labra diſtorta, nimis magna, vel nimis parva, debet judicio Epiſcopi determinari, an deformitas ſit magna vel parva.

Color fuſcus vel niger in vultu,& color croceus ex morbo Regio proveniens non inducit irregularitatem ; Si tamen quis eſſet planè Æthiops, deberet in partibus Europæis ſtare judiciol Epiſcopi, an velit ipſum ad Ordines Sacros recipere.

Morbus Mentàgræ, qui valde horridus,incurabilis,& apparens eſt,totamque faciem fœdo furfure & ſcabie occupat,ſoloque oſculo inficit, ob nimiam deformitatem irregularitatem inducit. Qui caret naribus,aut labiis, aut habet ea valde corroſa, cancro, ita ut ore cibum vel liquida vix continere queat, eſt irregularis: non item, qui ſolis dentibns caret.quia hi in jure non reputantur membra corporis.

Surdus utrâque aure eſt irregularis; non item unà tantùm vel ſolùm Surdaſter. Privatus utrâque aure,vel unâ tantùm,aut parte notabili auriculæ,eſt irregularis, cùm ſit membro corporis vitiatus vel mutilatus ; & licèt Cartilago exterior

aurium

aurium non ſit membrum, ejus tamen carentia inducit irregularitatem ob deformitatem, niſi illa capillis tegeretur, Pirhing *l. c.*

Quod procedit, quando eam perdidit dando operam rei illicitæ, vel in duello, vel quando ſponte ſibi eam præſcidit, aut à Miniſtris juſtitiæ in pœnam delicti eſt eâ privatus: ſecùs eſt, ſi quis ab hoſtibus, vel ob morbum de conſenſu Medici ſit iis privatus, quia nimirum conceperunt aliquam inflammationem, ob quam neceſſe fuerat eas reſecare. Imò ſi à cancro eſſet una auricula corroſa, & poſſet per capillitium bene tegi, ut deformitas non appareat, videtur etiam ceſſare irregularitas, paritate deſumptâ ſupra ex *n. V.* ubi dictum, quòd ſi albugo poſſit ita celari, ut non pariat deformitatem, etiam non incurratur irregularitas: ergo nec incurretur, ſi auricula cancro corroſa poſſit capillitio plenè tegi.

Qui planè eſt Mutus, aut linguæ uſum perdidit, v. g. ex apoplexia; aut lingua caret, v. g. quia ipſi eſt exciſa, etſi hoc ab hoſtibus factum ſit, eſt irregularis etiam jure naturali, quamdiu uſum linguæ non receperit, quia ipſi Ordinis executio eſt impoſſibilis: Qui verò eſt ſolùm blæſus, hoc eſt, linguæ impeditæ, ut inter pronunciandum aliquas literas vel planè excludat, vel malè proferat, ordinariè non eſt irregularis, niſi impedimentum iſtud eſſet tam magnum, ut non niſi cum magno conatu & difficultate poſſit vocem proferre.

X. *Defectus Capitis:* Qui tantâ capitis debilitate laborat, ut non poſſit perficere Sacrum capite nudo, poſſit autem capillitio ficto, ſpectabit ad Epiſcopum, an ſit concedenda licentia, ne

ne: & quidem ſi capillitium ſit ita formatum, ut ab aſpicientibus habeantur pro naturali, poſſent aliqualiter ſcrupuli deponi.

Qui pateretur vertiginem capitis tantam, ut nequeat ſtare ad Altare, niſi jugiter Altari innitatur, non poſſet ordinari ſine diſpenſatione, ordinatus tamen ſaltem privatim poſſet fungi ſuo officio. Gobat *Operum Moral. tr. 8. caſu. 17. n. 674.*

XI. *Defectus in manibus:* De his quatenùs defectus provenire poſſent ratione digitorum vide *n. I. uſque ad III.* Hìc adde: Cui cum medietate palmæ digiti duo etiam ſine ſua culpa à prædone abſciſſi ſunt, eſt irregularis, quia nec ſecurè propter debilitatem, nec decenter propter deformitatem celebrare poteſt, *cap. 2. de Cleric. ægrot.*

Qui dextrum pollicem habet ob curvitatem aliquando breviorem, ut eo poſſit quidem frangere S. Hoſtiam, ſed non præbere communicaturis ſine inconcinnitate vel periculo lapsûs è manibus; ſi aſpiret ad beneficium curatum, debet hunc defectum detegere Epiſcopo Ordinanti, & ſtare ejus judicio, maximè cùm diſtribuere S. Communionem manu ſiniſtrâ non videatur fieri poſſe ſine murmuratione vel peturbatione communicantium; ſecùs eſt, ſi aſpiret ad beneficium tale, cui onus diſtribuendi S. Euchariſtiam non incumbit. Gobat *cit. caſu.* 17. *append.* 1.

Habens manus adeò tremulas, ut periculum ſit in tenendo calice, eſt irregularis: quando autem hoc periculum ſubſit, judicabit Epiſcopus. Et hoc quidem procedit de eo, qui habet hunc tremorem ante ſuſceptionem Ordinum; an etiam

non

Digitized by Google

non poſſit aliquando admitti ad celebrationem, quando iſte tremor poſt ſuſceptum Sacerdotium modò ortus eſt, vide infra *dub. 4. regula ſecunda.*

Cùm enim Paſtori incumbat ſaltem aliquoties celebrare in omnibus caſibus videtur arceri à Dignitatibus, in quibus arcetur à celebrationne.

Qui ex quadam membrorum contractura poteſt omnia peragere ad Sacrificium ſpectantia, exceptâ ſolâ elevatione Hoſtiæ & Calicis, debet exſpectare judicium Ordinarii. Quòd ſi aliquam manum non poſſit elevare ſupra pectus, vel ſi una manus ſit tam debilis, ut eâ nihil poſſit apprehendere; vel ſi nequeat pollicem dextræ manûs jungere indici, & ſic cogeretur Hoſtiam frangere aliis digitis, eſſet habendus pro irregulari, & quidem ut Gobat ſupra *n.* 678. ait: ex jure naturali, eò quòd talis ſine magnis irreverentiis nequeat tractare Sacram Hoſtiam.

XII. *Defectus in pedibus.* Qui cruribus & pedibus caret, aut ſaltem eſt unipes, ut nullo modo poſſit accedere ad Altare; aut ſi nullo modò poſſit pedibus ſuis inſiſtere, eſt irregularis quaſi jure naturali.

Si inſiſtere pedibus poſſit, ſed Altaris gradus per ſe aſcendere nequeat, eſt irregularis, *cap. Nullus Epiſcopus. de coſecr. diſt.* 1. Si claudus ſit natus, vel ſine culpa ſua ſic factus, dummodò defectus ille non pariat notabilem deformitatem, & ſine baculo, aut ligneo pede poſſis ad Altare accedere, poteſt cum cauſa diſpenſari. Si veſtes diſtorſionem commodè tegere poſſint, tegent etiam vel potiùs impedient irregularitatem.

XIII. An gibboſitas, ſtatura nimis magna vel nimis parva inducat deformitatem notabilem, relinquitur determinandum Judicio Epiſcopi.

XIV. Monſtroſitas inducit irregularitatem, utpote quâ ſtante Ordines exerceri nequeunt ſine deformitate vel indecentia.

XV. An proles, quibus matres gravidæ ex vehementi imaginatione impreſſerunt aliqua ſigna, incurrant aliquam irregularitatem, non poteſt unâ regulâ determinari: Si enim macula vel ſigna non ſint notabilia, maximè ſi veſtibus tegantur, non eſt, quòd ordinandum vel promovendum dicantur impedire; ſecùs eſt. Si ſint valdè notabilia, & hærentia in facie. In dubio recurrendum eſt ad judicium Epiſcopi.

Dub. 2. *An judicium de notabilitate deformitatis ſpectet unicè ad Epiſcopos, ita ut non ſufficiat judicium Confeſſarii, vel Prælati Regularis?*

Reſpondet Navarrus *in Man. cap. 27. n. 200.* requiri judicium Epiſcopi, & aliorum non ſufficere. Angelus *in Summa v. corpore vitiatus. n. 5.* Tabiena, *eodem. n. 3. §. ſecundò.* & alii tenent quoad Regulares exemptos contrarium apud Pirhing *de corpore vitiatis ordinandis vel non. n. 7. verſ. hinc colligitur* 1. ita tamen, ut Epiſcopus ordinans non debeat admittere tale arbitramentum Prælati Regularis, niſi Prælatus ſit talis, qui poſſit dare liberè dimiſſorias ad recipiendos Ordines: Talis enim habet juriſdictionem quaſi-Epiſcopalem, ad quam magis, quàm ad Characterem Ordinis Epiſcopalis hoc judicium pertinet. Ratio autem, cur non ſufficiat judicium Abbatis, vel

ſaltem

ſaltem hoc non debeat admitti, eſt, quia non huic, ſed Epiſcopo incumbit collatio Ordinum, nunquam autem debet artifex inferior, judicare de materia, circa quam Superior operatur, vel formam inducit, ut ait Sylveſter apud Sayrum *de Cenſuris, Lib. 6. cap. 7. n. 16. in fine.*

Dub. 3. *Si quis ob vitium corporis ſit inhabilis ad exercitium ſolarum functionum Sacerdotalium, an propterea ſit prohibendus ſimpliciter à Dignitatibus vel ſuſceptione aliorum Ordinum v. g. Diaconatûs & Subdiaconatûs?*

℞. 1. A Dignitate Abbatiali, & ſimili, cui eſt annexum Sacerdotium, eſt arcendus. Ratio: qui eſt inhabilis ad unum connexorum, eſt etiam inhabilis ad alterum, *arg. cap. Expoſuiſti. 6. de corpore vitiatis ordinandis vel non*: atqui talis vitiatus eſt inhabilis ad Sacerdotium, quod eſt unum connexorum: ergo etiam eſt inhabilis ad dignitates Abbatiales vel ſimiles, quæ ſunt alterum connexorum.

℞. 2. Quando vitium adfuit ante Ordines ſuſceptos, impedit etiam ab aliis Ordinibus. Hinc qui nullos adhuc Ordines ſuſceperat, etiam ad nullos eſt promovendus: Si ſolos Minores vel Subdiaconatum ad altiores non poteſt promoveri, dummodò corporis vitium verè impediat celebrationem Miſſæ, licèt miniſteriis aliorum Ordinum non obſit. Pirhing ſupra *n.* 10. Ratio: alii Ordinum gradus & miniſteria ad Miſſæ Sacrificium tanquam finem ultimum, & complementum eorum referuntur, ut colligitur ex *c. ult. d. tit.* ergo deficiente fine, etiam illa antecedentia non debent ſine diſpenſatione ſuſcipi.

Dub. 4. *Quid juris, ſi vitium corporis ſuperveniat poſt Ordines ſuſceptos? an talis ſit ad dignitates promovibilis, vel permittendus ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtret?*

℞. 1. Quando vitium impedit actum principalem, v. g. celebrationem Miſſæ, vel alium actum, qui Prælato futuro incumbit neceſſariò exercendus, patiens tale vitium non eſt promovibilis ad dignitates; Neque enim quis poteſt eſſe in officio, cujus functiones neſcit exercere. Secùs eſt, ſi vitium impediat actum minùs principalem, per miniſtros vel officiales commodè ſupplebilem.

℞. 2. Quando defectus ſimpliciter impedit congruum & debitum Ordinis exercitium, vel notabilem deformitatem affert (maximè ſi ſupervenerit ſine culpa Ordinati) non inducit irregularitatem ſimpliciter, ſed duntaxat quoad illum actum, qui ſine periculo, ſcandalo, vel irreverentia exerceri nequit. Debet tamen defectus poſt Ordines ſuſceptos ſuperveniens eſſe major, quàm requiratatur, ſi adfuerit ante; aliàs non debet quis de facili à celebrando arceri. In ſpecie nota ſequentes regulas;

Prima: Qui poſt ſuſceptos Ordines, v. g. ob Senium, vel aliud accidens, accipit tantam capitis vertiginem, ut nequeat ad Altâre ſtare, neque ſe vertere, niſi jugiter illi vel manu vel cubito innitatur, poteſt privatim celebrare, quia licèt tanta vertigo præcedens ſuſceptionem Ordinum, det cauſam ſufficientem, vertiginoſum ab Ordinibus arcendi, quando non eſt ſpes vertiginem curandi: poſt ſuſceptos tamen Ordines in Miſſa privata ille

innitu

innixus ad Altare non videtur eſſe defectus tam magnus, ut propterea Ordinatus ſit arcendus à celebratione, debet tamen abſtinere publicè, ne generet murmur in populo. Poteſt etiam Prælatus quoad hoc in ordine ad Miſſam privatam diſpenſare cum aliquo ſuorum ſubditorum, conſequenter & ſecum ipſo, ad minimùm mediante Confeſſario. Quòd ſi neceſſitas exigat, ut in publico celebret, v. g. quia nullus alius adeſt, debet populus de defectu moneri, ut murmur caveatur; & ſic ſecurè perget. Gobat *Operum Moral. p.* 1. *tr.* 3. *n.* 745.

Secunda. Qui ex morbo ſuſcipit talem contracturam manuum vel bracchiorum, ut non poſſit elevare S. Hoſtiam, vel Calicem, niſi fortè uſque ad pectus, videtur poſſe ad celebrandum admitti privatim, non publicè. Secùs eſt, ſi unâ manu prorſus nihil poſſet apprehendere, vel pollicem dextræ manûs non poſſet jungere indici, ſed cogeretur Hoſtiam frangere aliis digitis: talis enim ob nimias irreverentias eſſet quaſi ex jure naturali irregularis, adeoque nequidem privatim admittendus.

Dixi: *quaſi ex jure naturali:* nam omnis vera irregularitas deſcendit ex jure Eccleſiaſtico ſolo.

Quòd ſi pollicem poſſet applicare indici, non tamen ad primum, ſed duntaxat ad ſecundum indicis articulum, non videtur defectus eſſe tantus, qui impediat à celebratione, *arg. c. fin. de corp. vitiat.*

Qui manus habet adeò tremulas, ut ſine effuſionis periculo non poſſet unâ manu ſumere Sacrum Sanguinem, poſſet tamen ambabus, poteſt ſemel iterumvè in menſe, vel fortè hebdomada, aſſiſtente Diacono vel Sacerdote celebrare, Gobat

 ſupra

ſupra *tr.* 8. *caſu* 17. *append.* 2, *lit.* *I.* non quidem ut ambabus manibus ſumat Calicem, ſed ut aſſiſtens juvet manum tremulam.

Tertia, Poſt Sacerdotium ſuſceptum percuſſus leprâ, poteſt non publicè, ſed privatim, vel etiam coram ſolis leproſis ſacrificare, atque his adminiſtrare S. Euchariſtiam. Idem *n.* 679. niſi lepra fuerit tanta, ut vel manus, vel labia corroſa eſſent, aut alia membra impedirentur, per quæ ſine irreverentia & magna indecentia celebrare non poſſet.

Quarta, Qui poſt Sacerdotium ſuſceptum fit planè cœcus, poteſt quidem alias functiones Sacerdotales exercere, ſed non celebrare, S. Thomas 3. *p.* *q.* 82. *a.* 10. *ad* 3. Pontifex poteſt diſpenſare, & refertur diſpensâſſe cum tali cœco, ita tamen, ut alius Sacerdos vel vir expertus aſſiſtat ei celebranti.

Quinta: Qui fraudulenter accedens ad ſuſcipiendos ſacros Ordines reticuit ſurditatem, quâ priùs laborabat, debet dejici, ſive ab exercitio Ordinum ſuſpendi. Si omnimoda ſurditas modò ſuperveniat, debet obſurdeſcens à celebratione prohiberi, eò quòd ſine periculo irreverentiæ videatur non poſſe pergere.

Sexta: Qui perdit uſum linguæ, eſt inhabilis ad executionem ſuſceptorum Ordinum.

Septima: Qui ita fit claudus, ut vel planè pedibus inſiſtere, vel ſine baculo aut pede ligneo ad aram accedere nequeat, debet arceri à celebratione ſaltem publica. Privatim cum licentia Ordinarii poſſet admitti, dummodò pedibus inſiſtere,

& ali-

Digitized by Google

& aliqualiter ſe queat juvare innitendo Altari, licèt ad ipſum ſine baculo accedere non poſſit.

Octava: Qui jam ordinatus incipit laborare podagrâ vel Chiragrâ, non impeditur ab omni Ordinum exercitio, ſed eorum tantùm, qui ob dictos morbos abſque indecentia exerceri non poſſunt.

Nona: Febricitans, ſi ſit incertus de tempore paroxiſmi, & adſit hujus periculum, poteſt quidem admitti ad celebrationem, ita tamen, ut ei adjungatur aſſiſtens, qui, ſi febris invaluerit, poſſit ſuccurrere, & ſi neceſſe fuerit, perficere, *Arg. Cap. Nihil. & Cap. Illud VII. q.* 1.

Decima; Si paralyſis vel apoplexia ſuperveniens aliqua membra reddat inutilia: ſi illa membra eſſent neceſſaria ad celebrationem; v.g. ſi manus vel digiti redderentur inflexibiles, aut pes unus ita obrigeſceret, ut non poſſit ampliùs abſque defotmitate adhiberi ad progreſſum, deberet apoplexiâ tactus à celebrando arceri.

Undecima: Si ad Sacerdotium promotus incideret in morbum caducum, & ſæpe in terram caderet, debet omninò à celebratione Miſſæ abſtinere, ob periculum, ne aliquando ſub Miſſa deficiat. Si quidem rarò caderet, tamen ſub lapſu ſpumans evomeret, cum clamore & confuſione vocis, debet iterum ob defotmitatem ab uſu Ordinis abſtinere; tales enim ab aliquibus præſumuntur dæmoniaci. Si lapſus contingat rarò, & ſimul abſque ejectione ſpumæ vel vocis confuſione, appareatque epilepticus planè liberatus, ad exercitium Ordinum ſuſceptorum reſtitui poteſt, ita tamen, ut habeat ſibi aſſiſtentem Sacerdotem in omnem

Digitized by Google

eventum. Sayrus *de Cenſuris: Lib. 6. cap. 9. n. 11. ex cap. communiter. cum Gl. v. de iis. Diſt. 33. Cap. In tuis literis, cap. Nuper. VII. q. 2. cap. Cùm inter Canonicos. de Elect.* Qui Sayrus ait, idem à Doctoribus aſtrui de amentibus, furioſis, & Lunaticis. Præſumitur ille morbus, vi cujus quis in terram colliditur, ceſſâſſe, ſi intra triginta dies non evenerit, *Cap. Nuper VII. q. 2.*

Dæmoniaci verò præſumuntur liberati, ſi intra annum nihil mali fuerit animadverſum, *Cap. Communiter 3. Diſt. 33.* Communior tamen ſententia eſt, quòd tempus probationis ſit arbitrarium, penſatis conditionibus morbi, perſonæ, dignitatis; ita ut Epiſcopus debeat ſequi judicium Medicorum, Colligitur ex *d. cap. Communiter. v. per diſcretionem Epiſcopi.*

Duodecima: Qui poſt promotionem ad Sacras Ordines tactus eſt energumenus, ſi perfectè liberatus ſit, poteſt diſpenſante Epiſcopo miniſtrare in ſuſceptis Ordinibus, à ſuſceptione verò Ordinis altioris prohibetur, *cap. Clerici. 4. Diſt. 33.* Hæc autem irregularitas propriè concernit ſolos Ordines *Sacros*: unde ad Minores facilè poterit promoveri ille, qui ex judicio Epiſcopi & Medicorum peritorum judicatur à Dæmone liberatus. Colligitur *ex d. Cap. Clerici vel Sacri Regiminis. Diſt. 33.*

Dub. 5. *An & Quomomodò Papa vel Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitatibus provenientibus ex vitio corporis?*

℞. 1. Regulariter competit hæc poteſtas ſoli Papæ, ita DD. communiter. Sæpe tamen ob ſcan-

Digitized by Google

ſcandalum & indecentiam non expedit, ut Papa diſpenſet.

Quòd ſi quis factus eſſet planè impotens ad celebrandum, nequidem à Papa poteſt ad hanc functionem diſpenſari, poteſt tamen ab eodem admitti ad ſuſcipiendum Sacerdotium in ordine ad alias functiones Sacerdotales, ut dictum *Dub.* 1. *n. VI.*

1. ℟. 2. Epiſcopis competit poteſtas judicandi de vitio vel deformitate ex vitio vel morbis corporis orta, an ſit ſufficiens ad inducendam irregularitatem, nec ne, ut ſæpe dictum *Dub.* 1.

2. Aliquando Epiſcopi etiam poſſunt diſpenſare ex poteſtate ſibi delegata, *Cap. Significavit.* 4. *de corpore vitiat. Ordin. vel non.* Et ſpeciatim, quando eſt dubium, an irregularitas adſit, nec ne; Cùm enim tunc poteſtas judicandi relinquatur Epiſcopo, etiam conceſſa intelligitur poteſtas in caſu dubio diſpenſandi.

3. nunquam tamen videtur Epiſcopus auctoritate ſuâ poſſe in irregularitate proveniente ex defectu corporis diſpenſare: Etſi enim *cap. ſignificavit de corp. vitiat.* Pontifex dicat: *Ei ſacerdotale officium abſque Altaris miniſterio auctoritate noſtrâ fretus, & tua, prout videris expedire, concedas;* ibi tamen ſub particula, *tua*, ſubintelligitur *commiſſa* vel *delegata*, non *ordinaria.*

4. Cenſet Angelus *V. Corpore vitiatus. n.* 1. ex Hoſtienſi, quòd ſponte vitiatus poſſit diſpenſari ab Epiſcopo, ſi membrum mutilatum ſit occultum, excepto Caſtrato. Unde ſubdit, quòd cum Religioſo Epiſcopus poſſit diſpenſare, ut cum pede

ligneo

ligneo celebret: ſupponit tamen hunc defectum non debere apparere coram populo, ſtatim enim ſubjungit: *Si verò apparet, non poteſt, niſi Papa.*

5. Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto *occulto.* Concil. Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 6. *de Reform.* Uti & in voluntaria, tamen inculpabili, mutilatione membri non apparentis, S. Congregatio Card. apud Reginaldum *Fori Pœnitent. Lib.* 30. *tr.* 2. *n.* 24. Et in declarationibus ad *d. Seſſ.* 24. *cap.* 6. Ubi declaratur, appellatione *homicidii* (quod ibi excipitur) non venire mutilationem membri.

6. Excipe 1. Caſtrationem voluntariam & culpabilem, ut colligitur ex *Cap. Significavit de corp. vitiat.* Ubi conceditur Epiſcopo facultas diſpenſandi cum eo, qui ſeipſum caſtravit, vel caſtrari fecit *ex ſimplicitate vera*, credendo ſe obſequium præſtare Deo. Unde à contrario infertur, non poſſe, ſi id factum ſit cum culpa.

Excipitur 2. Homicidium voluntarium *injuſtum* etiam occultum. *d. cap.* 6. *Seſſ.* 24. In homicidio voluntario juſto cenſent ſatis probati & multi DD. cum Zerola *in prax. Epiſc. p.* 1. *V. Irregularitas.* §. 8. Epiſcopum poſſe diſpenſare.

8. Excipitur 3. Irregularitas proveniens ex delicto ab initio occulto, ſed quòd deductum ſit ad forum contenſioſum lite nondum finitâ. Concil. Trident. *loc. cit.*

9. Si crimen occultum deductum ſit ad forum contentioſum, ſed lis omnis finita, & crimen punitum,

tum, poteſt Epiſcopus veriſimiliter diſpenſare, Reginaldus *loc. cit. n.* 29. Sanchez *in decal. Lib.* 1. *Cap.* 11. *n.* 21. *v. ſed quid.* Ratio: cauſa, cur Concilium lite pendente noluerit Epiſcopo permittere diſpenſationem, fuit, ut Judicum, ad quos lis deducta eſt, auctoritas ſervaretur imperturbata: atqui quando lis eſt finita, & delictum punitum, nihil auctoritati Judicum detrahitur, quòd poſtmodùm Ordinarius in irregularitate orta diſpenſet; ergo.

10. Intellige: dummodò crimen punitum poſſit adhuc cenſeri occultum, ideoque non ſubſit periculum ſcandali, nam ſolùm ratione ſcandali vitandi poteſtas diſpenſandi conceſſa reſtringatur ad delictum occultum.

11. Ex quibus infer à fortiori poſſe Epiſcopum diſpenſare, ſi delictum fuerit quidem deductum ad forum contentioſum, ſed non probatum, & ideò reus abſolutus: tunc enim tale delictum non cenſetur ad forum contentioſum deductum cum effectu. Sayrus *de Cenſur. Lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 12. Sanchez. *de Matrim. Lib.* 3. *Diſp.* 37. *n.* 12. & *Lib.* 8. *Diſp.* 24. *n.* 57.

12. Cenſetur delictum *occultum*, quod vel per ſe, & ex natura ſua eſt tale, ut probari non poſſit, (quale eſt delictum ſolâ mente perpetratum) vel quod ſolùm per accidens nequit probari, eò quòd opere quidem externo commiſſum, à nemine tamen viſum fuerit, per quem probetur: vel quando probari quidem poteſt, ſed à tam paucis, ut inde nec fama in populo ſit orta, nec res ad judicium deducta, Reginaldus ſupra, *n.* 30. vel quando externus actus eſt quidem planè publicus, illius tamen malitia

litia eſt occulta, quia ſcil. neſcitur, an actus tali ſubjecto ſit prohibitus; v.g. quando occultè excommunicatus publicè celebrat; aut quando notorium eſt quempiam eſſe caſtratum, neſcitur tamen, an propriâ ſponte hoc contigerit, nec ne, ſed potiùs in vulgo perſuaſum eſt, id factum eſſe ab inſidiis hominum, vel ſic exigente morbo. In his omnibus taliter occultis criminibus poteſt Epiſcopus ex vi Tridentini diſpenſare.

Cenſet inſuper Sayrus *de Cenſuris*, *lib.* 7. *c.* 13. *n.* 12. crimen poſſe dici *occultum*, ſi in judicio tribus tantùm vel quatuor perſonis fuiſſet notum. Aſt S. Congregatio Cardinal. in Concil. Ttident. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *n.* 2. *v. Ex delicto occulto provenientibus*, declaravit, quòd abſolutus vel diſpenſatus à proprio Epiſcopo in materia delicti perpetrati *coram duobus vel tribus teſtibus*, quod tamen non fuit notorium, non ſit tutus in conſcientia, eò quòd Concilium utatur verbo *occulti*, quale propriè loquendo dicitur illud, quod probari non poteſt: duo verò teſtes probare poſſint, & verba Concilii ſecundum proprium ſenſum accipienda ſint. Idem reſpondit de illis, qui occaſione delictorum occultorum ab Officio S. Inquiſitionis inquiſiti, ſed quia delicta non potuerunt ſufficienter probari, ſunt ſimpliciter dimiſſi, non tamen abſoluti: hos S. Congregatio cenſuit non poſſe ab Epiſcopis diſpenſari, quia cauſa verè fuit deducta ad forum contentioſum; quòd autem condemnatio non ſit ſubſecuta, eſt per accidens. Si hæc declaratio ſit in uſu, debet juxta illam explicari doctrina data ſupra hoc *dub.* 5. *n.* 12.

14. *Epi-*

Digitized by Google

14. *Epiſcopi* nomine cenſent aliqui hìc denotari omnes habentes juriſdictionem quaſi-Epiſcopalem, eo quòd diſpenſatio non ad Ordinis, ſed juriſdictionis poteſtatem ſpectet. Ordinum tamen Religioſorum Generales negant multi contineri virtute Concilii Tridentini *in cit. cap. Seſſ.* 24. quamvìs eiſdem poteſtatem diſpenſandi ex aliis privilegiis permittant. Alii probabiliùs exigunt *Epiſcopos ſtrictè dictos*; undè negant hìc ſub nomine *Epiſcopi* comprehendi Prælatos Epiſcopis inferiores, etſi juriſdictionem habeant Ordinariam & quaſi-Epiſcopalem, ſaltem reſpectu ſubditorum ſæcularium (nam de ſubditis regularibus dicetur infra) Ita expreſsè Declaratio S. Congregationis Cardinalium in Concil. Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *n.* 1. ex ratione, quòd hæc conceſſio, quatenùs derogat juri communi, ſit odioſa, ideoque reſtringenda ad proprietatem verbi *Epiſcopus.*

Unde Authores hujus ſententiæ requirunt, ut diſpenſare volens ſit Epiſcopus ſaltem electus, & confirmatus, habeatque proprium Epiſcopatum, ſubditos, & juriſdictionem, etſi necdum ſit conſecratus, Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 2. *n.* 11. Imò etſi necdum ſit Sacerdos, Idem *in decal. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 3. ex ratione, quia diſpenſatio non eſt abſolutio Sacramentalis, ergo non eſt ratio, cur exigatur Character Sacerdotalis.

16. Proinde juxta eoſdem hujus ſententiæ Patronos, vi Tridentini poteſtas diſpenſandi in irregularitate orta ex vitio corporis, non competit Cardinalibus in ſuis Titulis juxta Declarationem Gregorii XIII. apud Cardin. Toletum *in Inſtruct. Sacer-*

dotum.

dotum. lib. 1. c. 89. n. 5. verſ. Advertendum etiam eſt. & ratio eſt: Cardinales etſi in ſuis Titulis habeant juriſdictionem quaſi-Epiſcopalem, ibi tamen non ſunt Epiſcopi.

17. Neque competit Epiſcopis ſolùm Titularibus, quia facultas diſpenſandi datur Epiſcopis reſpectu ſuorum ſubditorum, at Epiſcopi Titulares non habent ſubditos. Itaque fideles omnes Prælatis Epiſcopo inferioribus ſubjecti, etſi aliàs ſint exempti, indigent in hac parte diſpenſatione non ſui Prælati, ſed Epiſcopi.

18. Aliqui etiam concedunt Nuntium vel Legatum Apoſtolicum per ſuam Provinciam eandem habere poteſtatem diſpenſandi, quam habet Epiſcopus proprius, eò quòd etiam Nuntius & Legatus Apoſtolicus in ſua Provincia ſit Ordinarius, licèt extraordinariè conſtitutus; Reginaldus *Fori pænitent. Lib. 30. tr. 2. n. 25.*

19. Archi-Epiſcopus cum ſubditis ſuorum ſuffraganeorum nequit diſpenſare extra appellationem, aut viſitationem. Aliqui etiam cenſent Archi-Epiſcopum non poſſe diſpenſare cum ipſis ſuffraganeis extra appellationem & viſitationem. Suarez *in 3. p. tom. 5. diſp. 41. ſect. 2. n. 12.* & Sanchez *in decal. lib. 4. cap. 38. n. 14.* negant, etiam pro illo tempore Archi-Epiſcopum poſſe in irregularitate diſpenſare, licèt poſſit à peccatis abſolvere, ex ratione, quòd Archi-Epiſcopus in Diœceſi Suffraganeorum, præter conceſſa ſpecialiter, nihil poſſit, *cap. 1. de Offic. Legati. cap. duo,* & *cap. Paſtoralis de Offic. Ordinar.* nullibi autem concedatur facultas diſpenſandi, ſed ſolùm abſolvendi à peccatis, *c. fin. de cenſibus. in 6.*

20.

Digitized by Google

20. Sede Papali vel Epiſcopali vacante, cenſent aliqui cum Reginaldo ſupra, *n.* 29. quòd Collegium Cardinalium vel Capitulum Cathedrale ex eodem Tridentini privilegio poſſint diſpenſare; eò quòd tunc ſuccedant Pontifici vel Epiſcopo in juriſdictione: Alii tamen, meliùs cum Suare ſupra, *n.* 13. de utriſque abſolutè negant, tum quòd verba Concilii ſolos Epiſcopos deſignent, & S. Congregatio Cardinalium declarârit hîc intelligi Epiſcopos *privativè ad alios*, id eſt, cum excluſione aliorum inferiorum quorumcunque; tum quòd Capitulum per ſe loquendo ſolùm ſuccedat in *juriſdictione ordinaria*, facultas autem diſpenſandi ſuper irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus conveniat Epiſcopis ſolùm ex jure extraordinario & privilegio. Unde etiam juxta declarationem S. Congregationis *ad Seſſ.* 24. *c.* 6. *n.* 1. infertur, quòd illi Epiſcopi, in quorum Diœceſibus Tridentinum non eſt receptum, non poſſint uti hoc privilegio, ut ſic privilegio non gaudeant, qui onera detrectant.

21. Notat tamen Sanchez *in Decal. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 3. hoc intelligendum eſſe, ſi Tridentinum planè non eſſet receptum: Unde ſecus eſſet, ſi ſolùm circa unum vel alterum Decretum non fuiſſet receptum. Deinde ſi illud aliquando quoad omnia fuiſſet receptum, ſed poſteà contrariâ conſuetudine abrogatum quoad onera, non quoad favores, poſſet poſſeſſio privilegii manuteneri: quia conſuetudo nihil abrogat, niſi cui contrariatur: atqui ex ſuppoſito contrariatur ſolùm oneribus, non favoribus. Ergo.

Digitized by Google

22. His tamen non obſtantibus concedit Suarez ſupra, *n.* 14. quòd Collegium Cardinalium in Electione Pontificis poſſit cum irregulari diſpenſare, ut licitè eligatur, ut autem talis validè eligatur, diſpenſatio non ſit neceſſaria.

23. Poteſt Epiſcopus hanc facultatem diſpenſandi delegare ſuo Vicario, vel alteri, Suarez *de cenſuris, tom.* 5. *diſp.* 41. *ſect.* 2. *n.* 8. Ratio: dicta poteſtas Epiſcopo, non ex privilegio eſt annexa ipſius muneri; atqui ea, quæ ſunt annexa alicujus officio vel muneri revocantur quoad certos effectus ad jus Ordinarium, in tantum, ut æquè poſſit alteri delegari, ac ſi verè eſſet juris ordinarii. Ergo.

24. Si ipſemet Epiſcopus in irregularitatem incidat, poteſt ſuas partes delegare ſuo Confeſſario, ut ſecum eâdem authoritate (quam ipſe ex *cit. cap.* 6. Tridentini poteſt exercere in ſibi ſubditos) diſpenſet, ita S. Congregatio Cardinalium *ad Seſſ.* 24. *cap.* 6. *n.* 1. *v. Epiſcopo.*

25. Porrò hæc diſpenſatio non poteſt exerceri, niſi in ſubditos proprios: Eſt enim actus juriſdictionis, qui nonniſi erga ſubditum exercetur. Ut autem quis in hac materia dicatur ſubditus, non ſufficit, quòd ſolùm in Diœceſi per majorem anni partem habitet, prout ſufficit ad abſolutionem à peccatis & cenſuris, ſed requiritur, ut verè habeat in Diœceſ. domicilium, Suarez ibi:

26. Cenſetur autem habere ſolam *habitationem* in Diœceſi, qui illic reſidet animo non perpetuò, ſed ad tempus tantùm, v. g. per majorem anni partem commorandi: *Domicilium* autem, qui

qui reipsâ incepit in aliquo loco habitare animo ibidem perpetuò commorandi, etſi poſteà voluntatem mutet, Sanchez *Lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 23. *n.* 2. & 13.

27. An Epiſcopus in caſibus ſibi conceſſis diſpenſare poſſit cum ſubdito irregulari abſente, & in aliena Diœceſi commorante, controvertitur: Negativa ſe fundat in eo, quòd in Concilio Tridentino *loc. cit.* poſt conceſſam facultatem diſpenſandi, & à caſibus occultis, aliàs Sedi Apoſtolicæ reſervatis, abſolvendi, ſubjungatur: *In diœceſi ſua.* Affirmativa videtur veroſimilior, eò quòd diſpenſatio ſpectet ad *juriſdictionem voluntariam*, quæ poteſt etiam extra propriam diœciſim exerceri, & quidem ſive uterque exiſtat extra propriam diœceſim.

Præterea verba illa Tridentini, *in diœceſi ſua*, tantùm ad abſolutionem à caſibus reſervatis occultis, & non ad diſpenſationem in irregularitatibus ſpectant; & hoc ſatis liquet ex verbis S. Congregationis *in d. l. n.* 4. *v. diſpenſare*. quæ ad literam refero: *Quærebatur, an Epiſcopus in cauſa hujus cap. 6. habeat facultatem diſpenſandi cum ſuo diœceſano abſente in aliena diœceſi legitimè impedito, commoranti? Congregatio cenſuit, quòd forenſis in caſu hujus cap. 6. poteſt abſolvi in Sacramento pœnitentiæ ab illo Epiſcopo, in cujus diœceſi vel civitate commoratur, non autem ab alio diſpenſari.* Facit ad hoc, quod Nuntii, qui poſſunt abſolvere excommunicatos ob injectionem manûs in Clericos, non poſſint abſolvere ſubditos extra Provinciam. Accedit etiam, quòd Concilium loquatur

Digitized by Google

de Abſolutione Sacramentali in foro conſcientiæ, quæ requirit præſentiam, exemplo Confeſſionis, quæ non poteſt ſieri per Nuntium vel per literas.

Occaſione ſubditorum eadem S. Congregatio *ibidem n. 5. v. quoſcunque ſubditos.* Declaravit ſequentibus verbis: *Qui non ſunt ſubditi Epiſcopi, puta Medicus, Prætor, & ſimiles exteri, qui tamen habitant in Civitate, hoc Decreto comprehenduntur, etſi commiſerint crimina in aliis civitatibus: habitâ tamen hâc diſtinctione, quòd ſcilicet poſſent abſolvi in Sacramento pœnitentiæ à ſuis criminibus, non tamen diſpenſari ſuper his.*

Dub. 6. *An, vel Quomodò Religio & Superiores Regulares poſſint aufferre vel diſpenſare in irregularitate proveniente ex defectu corporis?*

℞. 1. Eſt probabile, ſaltem ab extrinſeco. ob auctoritatem DD. quòd in ſpecie irregularitas proveniens ex macula in oculo tollatur per ingreſſum in Religionem. Ita Angelus *v. corpore vitiatus. n. 2.* Tabiena *eod. n.* 1. Contrarium, quòd etiam tunc requiratur diſpenſatio Pontificia, communius eſt, ita Sayrus *de Cenſuris, Lib. 6. c. 8. n. 9.* Qui ſubdit facilorem eſſe diſpenſationem cum eo, qui Religionem ingreditur, quàm cum eo, qui vult manere Clericus ſæcularis, *arg. d. cap. cùm de tua.*

℞. 2. Docuerunt aliqui, quòd Epiſcopus, uti & Superiores Regulares poſſint diſpenſare cum Religioſo, ut Claudus cum pede ligneo celebret, Sayrus tamen *loc. cit. n. 26. in fine* ait, hoc nullo modo eſſe in praxi tenendum: & ratio eſſe poteſt, quòd Epiſcopis competat ſolùm judicium diſcernendi,

Digitized by Google

nendi, an vitium corporis pariat deformitatem, nec ne; at nulla poteſtas diſpenſandi, niſi in caſibus ſupra recenſitis, inter quos iſta circumſtantia Claudicantis non reperitur.

℞. 3. Etſi ſub nomine *Epiſcopi* ex vi Tridentini *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.* fortè non comprehendantur Prælati Regulares aut Conventuales Religionum etiam exemptarum, ita ut vi ſolius Tridentini non habeant in ſuos ſubditos Regulares facultatem ibi Epiſcopis conceſſam, & *dub. præced.* explicatam, ex ratione, quòd Tridentinum facultatem illam tantùm conceſſerit Epiſcopis habentibus diœceſim, qualem non habent Prælati reſpectu ſuorum ſubditorum Regularium: Nihilominùs Pius V. in quodam motu proprio conceſſit etiam Prælatis Regularibus, quidquid Tridentinum conceſſit Epiſcopis, ut teſtatur Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 30. ſect. 2. n. 7.* & Sanchez *in decal. lib. 2. cap. 11. n. 7.* ubi ſubjungit, quòd, licèt privilegium Pii V. proſit Prælatis in aliis caſibus, tamen nec virtute ejuſdem, nec virtute Tridentini (nequidem Generales Ordinum) poſſint abſolvere Regulares ſibi ſubditos ab *Hæreſi:* non quidem virtute Tridentini, ut dictum; nec virtute privilegii, quia in nulla conceſſione generali includitur poteſtas abſolvendi ab hæreſi, niſi de hac fiat ſpecialis mentio, qualis ibi non fit. Ita ferme ille.

℞. 4. Eſt ſaltem ab auctoritate probabile, quòd Prælati Regulares etiam cum ſæcularibus diſpenſent ſuper omnibus irregularitatibus *occultis*, ſuper quibus Epiſcopus diſpenſat vi Tridentini.

Pro hac ſententia citatur Baſſæus *V. Irregularitas*, *n.* 10. & 11. Urbanus ab Aſcenſione *Theol. Moral. tr.* 2. *p.* 2. *diſt.* 2. *c.* 4. *reg.* 4. Bona gratia *in Summa V. eodem. n.* 269. *edit.* 2. Martinus à S. Joſepho *in Compend. Facult. Confeſſ. V. diſpenſare, n.* 3. & 4. Virginius alviſet *Murenulæ vermiculatæ. Sect.* 3. *cap.* 5. §. 3. *n.* 2. *mihi pag.* 121. Sorbus. *V. Abſolutio quoad Fratres & Sæculares. in Reſolutionibus concl.* 2. Rodriquez *in explicat. Bullæ cruciatæ*, §. 9. *n.* 13. Bruno Chaſſainus *de privil. Regular. tr.* 5. *cap.* 4. *prop.* 1. *mihi pag.* 409., qui id extendit ad abſolutionem ab omnibus cenſuris Papæ reſervatis, Henriquez *in Summa Theol. Moral. Lib.* 7. *de Indulgentiis. cap.* 28. *n.* 5. dicens. *Ex indulto Xiſti IV. Prælatus Minorum* (*ſeu qui communicat illorum privilegiis ita poteſt per ſeipſum ſuos aut externos ab occultis caſibus abſolvere, diſpenſareque in irregularitatibus, ſicut poteſt Epiſcopus circa Clericos & Laicos ſibi ſubjectos.* Ita ille, qui in notis Marginalibus addit, Minimos hac praxi Romæ uti; & præterea idem à Julio II. Canonicis S. Salvatoris conceſſum eſſe. Chaſſainus *loc. cit.* hanc facultatem diſpenſandi non tantùm Prælatis, ſed etiam Sacerdotibus Regularibus inferioribus attribuit; & in hunc finem allegat varias Pontificum Conceſſiones.

Prima eſt data ab Eugenio IV. Monachis S. Benedicti, in Bulla incip. *Etſi quaslibet perſonas*, ibi: *Abſolutionis beneficium impendere ab omnibus peccatis. & diſpenſare ſuper omnes caſus, præter eas cenſuras, pœnas* (ſub quibus etiam intelligitur irregularitas proveniens ex delicto) *& vota, ac caſus,*

de

de quibus eſſet Sedes Apoſtolica meritò conſulenda, licentiam elargimur.

Secunda eſt data à Paulo III. Societati JEſu in Bulla incip: *Cùm inter cunctas*: Ibi: *Nec non his ex vobis, qui Presbyteri fuerint, quorumcunque utriuſque ſexus Chriſti fidelium ad vos undecunque accedentium Confeſſionibus diligenter auditis, ipſos & eorum ſingulos, ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcunque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & à quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus, ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis (exceptis Cenſuris in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi) abſolvendi, atque eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungendi, &c.* Licèt hìc Pontifex utatur verbo *abſolvendi*, debet tamen etiam intelligi de diſpenſatione ſuper irregularitatibus, quia Pontifex præter ſolutionem à peccatis & cenſuris, adjungit ſolutionem à pœnis; nomine autem pœnæ veniunt etiam irregularitates teſte Sanchez, *Lib. 6. in decal. c. 5. n.* 178, & cæteris quæ *diſpenſantur*, non *abſolvuntur*. Ne ergo videatur illa clauſula fruſtra poſita, fatendum eſt implicitè conceſſam eſſe facultatem *diſpenſandi*, maximè cùm non ſit adeò rarum, ut verbum *abſolvendi* ſumatur pro verbo *diſpenſandi*.

Tertia data eſt ab Eugenio IV, per Bullam Monachis S. Benedicti, ut refertur *in Compend. Mendicant. v. Abſolutio quoad Sæculares. 2. n. 9.*

Quarta data eſt à Sixto IV. eidem Ordini, & refertur in Bullario Roderici, *Bullâ* 42.

Digitized by Google

Quinta eſt data ab eodem Sixto IV. pro Minimis ut dictum ex Henriquez.

Si fortè aliqui Religioſi Ordines, etiam ii, quibus iſtæ conceſſiones factæ ſunt, hâc facultate non utantur, aliis non præjudicat, quia alii Ordines communicant in jure utendi privilegiis, non in non uſu. Prætereà illæ conceſſiones ſunt abſolutæ, conſequenter non debent reſtringi ad ſolos Prælatos, ne fiat diſtinctio, ubi Jus non diſtinguit.

Quòd quidam velint conſulere, ne in praxi ſimiles facultates exerceantur, aliis videtur eſſe minùs ſcrupuloſum; quia quòd dicant nuſquam accidiſſe (quòd nimirum Regularis uſus fuerit hâc facultate) non poteſt demonſtrari, cùm uſus iſte ſit ſecretus, conſequenter de facili in publico non poſſit innoteſcere.

Nec dic: Regulares non poſſunt diſpenſare, niſi in iis, quæ ad Epiſcopum *jure ordinario* ſpectant: atqui illa facultas diſpenſandi in irregularitate ſpectat ad Epiſcopum tantùm ex privilegio, & non ex jure ordinario; ergo. ℞. 1. N. Maj. nam conceſſio Eugenii IV. ſolùm excipit caſus, de quibus Sedes Apoſtolica meritò conſulenda eſſet, ergo reliquos caſus omnes concedit, ſive Epiſcopis competant jure ordinario, ſive jure privilegii: nam expreſſio unius eſt excluſio alterius, *c. Nonne, ſ. de præſumpt.* Deinde quando privilegium eſt annexum dignitati, cenſetur eſſe reale, perpetuum, & quoad certos effectus ordinarium. Ex hac ſententia Virginius Alviſet *l. c. n.* 3.

Infert 1. Poſſunt Regulares diſpenſare cum illo, qui ſuſcepit Ordines occultè ante ætatem, vel cùm

eſſet

eſſet excommunicatus, vel ſine omnibus aut ſaltem cum falſis dimiſſoriis, & hâc occaſione incurrit ſuſpenſionem. Pro hoc allegat Avilam, Palaum, Baſſæum, Villalobos, Marchantium, Laymannum *lib.* 1. *Theol. Mor, tr.* 5. *p.* 3. *c.* 4. Dianam *p.* 11, *tr.* 6. *reſol.* 4.

Infert 2. Poſſunt iidem diſenſare cum illo, qui ſic malè ſuſceptos Ordines exercuit, & ideò in irregularitatem incidit, vel qui licèt ritè ſuſceperit, in excommunicatione tamen exercuit.

Infert 3. Poſſe eoſdem diſpenſare in homicidio caſuali etiam publico, vel perpetrato ex repentina ira, vel per exceſſum moderaminis in defenſione. Item in irregularitate cauſata ex mutilatione, vel defectu Lenitatis.

Infert 4. Idem poſſe in defectu Natalium ſi ſit occultus.

5. In bigamia etiam vera ad Ordines Minores.

6. Item in omni irregularitate, ex quocunque delicto orta, etiam publico & deducto ad forum contentioſum, dummodò judicium ſit finitum, & pœna ſoluta, vide circa hoc *Dub. præced. n.* 9. & 13. Alviſet *l. c. n.* 7. pro hoc allegat Ludovicum Caſpenſem *in curſu Theol. tom.* 2. *tr.* 25. *diſp.* 5. *ſect.* 17. Pellizzarium *in Manual. Regul. tom.* 2. *tr.* 8. *c.* 3. *&c.* & coronidis loco prudentiæ Confeſſarii committit, ut attentis circumſtantiis perſonarum & caſuum, ſic ſtudeat vitare ſcandalum, & offenſam Epiſcoporum, ut non omittat opera charitatis & ſolamen animarum.

An Regulares poſſint diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio voluntario ſed occulto, diſceptatur, quia Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *de*

Digitized by Google

Reform. c. 6. dum Epiſcopis concedit facultatem diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus expreſsè excipit illam, quæ oritur ex homicidio voluntario ergo multò minùs poterunt tunc diſpenſare Regulares. Verùm Concilium Tridentinum ſolùm loquitur de homicidio quidem hìc & nunc occulto, ita tamen ut ad notitiam hominum deduci, & probari ſimpliciter poſſit. Unde ſi homicidium ſit ita occultum, ut à nemine, niſi à ſolo occiſore poſſit in notitiam hominum deduci, poteſt tam Epiſcopus, quàm Prælati & Confeſſarii Regulares diſpenſare, Chaſſainus *cit. c. 4. propoſ. 1. in fine*, ubi etiam ſubjungit ſequentia: *His omnibus addere liceat, Regularibus in partibus infidelium, ſive hæreticorum exiſtentibus, factam fuiſſe facultatem ad diſpenſandum ſuper omni irregularitate, ad formam facultatis Legati à Latere ex privilegio Innocentii IV. & Joannis XXII. Fratribus Minoribus conceſſo: ac etiam ex privilegio ejuſdem Innocentii facultatem poſſidere diſpenſandi cum Clericis defectum Natalium patientibus, dummodo de adulterio, de inceſtu, aut de Regularibus non fuerint procreati.*

Et deniq; ex Conceſſionibus Sixti V. & Pii II. Ordini Fratrum Prædicatorum factis habere facultatem diſpenſandi ſuper omni irregularitate, exceptâ eâ, quæ à bigamia deſcendit. Ita ille.

Hucuſque ex præcitatis AA. quæ etſi non admittantur ab omnibus, poſſunt tamen habere locum poſt factum, ita ut ſcil. diſpenſatus poſſit pacatus eſſe in conſcientia, ſi quis ſecum diſpensârit, præſertim quando id bonâ fide contigit.

§. 5.

N. 5. A fortiori poſſunt Prælati Regulares diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate provenienie ex delicto occulto, v.g. ſi quis ſeipſum ex indignatione, aut dans operam rei illicitæ mutilaverit. Excipitur communiter homicidum, quod generali conceſſione non comprehenditur, conſtat ex Bulla Clementis IV. allegata à Gobat *de Sacram tr.* 8. *caſu* 18. *n.* 715. tenore ſequenti: Prælatos Regulares etiam locales poſſe non ſolùm proprios ſubditos Regulares abſolvere à qualibet excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto à jure vel ab homine generaliter promulgatis, ſed etiam diſpenſare in irregularitate, quam ii fortè incurrunt ſive celebrando divina officia in loco interdicto, ſive ſuſcipiendo Ordines niſi fuerit adeò gravis & enormis exceſſus, quòd ſint ad Sedem Apoſtolicam meritù deſtinandi. Addit. 1. Pellizzarius *in Man. Regul. tract.* 8. *cap.* 2. *Sect.* 3. *n.* 187. Hoc privilegium non eſſe revocatum à Concilio Tridentino, & ſi ſuſpenſio ſit deducta ad forum contentioſum, recurrendum eſſe ad Datariam.

Adde 2. Clementem IV. conceſſiſſe facultatem abſolvendi à cenſuris *à jure vel ab homine generaliter promulgatis.* Unde ſi quis Regularis eſſet ſpecialiter denunciatus non poterit vi hujus Privilegii à ſuis ſuperioribus abſolvi.

Idem Gobat *loc. cit. n.* 719. docet, quòd Religiones habentes communicationem cum Societate JEſu poſſint cum ſuis ſubditis Regularibus diſpenſare in omni irregularitate, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario; aut præſtatione favoris vel auxilii ad homicidium, aut quæ oritur ex bigamia;

mia; eò quòd hoc privilegium Societati dictæ conceſſerit Paulus III. Subjungit tamen, ſe nullibi reperiſſe in AA. ullam ſeu Bullam, ſeu vivæ vocis oraculum cujus expreſſâ virtute valeant Prælati Regulares in irregularitaibus diſpenſare cum aliis, quàm cum Regularibus ſubditis. Verùm nobis ſufficiunt ea, quæ modò *n*. 4. retulimus.

Ex eo autem, quòd excipiatur tantùm irregularitas orta ex bigamia vel homicidio voluntario, aut mutilatione ſpontanea infert pellizzarius ſupra *n*. 190. poſſe Prælatum Regularem cum ſuis ſubditis diſpenſare in irregularitatibus provenientibus, ex defectu corporis, & aliis ſimilibus, atque adeò cum illo, qui laborat morbo caduco, amentiâ, aut inſeſſione dæmonis, idque tum ante, tum poſt Ordines ſuſceptos: dummodò vitium non ſit adeò fœdum, ut inde immineat ſcandalum. P. Bona gratia Capucinus *in ſummula. v. Irregularitas. n.* 269. *edit*. 2. apud Gobat *poſt n.* 721. *Apend. II. Lit. H.* refert quòd Regulares in partibus infidelium & hæreticorum (quibus accenſet Helvetiam & Sueviam conſtantes plurimis oppidis, dominiiſque Acatholicis) diſpenſent ſuper omni irregularitate ad formam facultatis Legati à Latere. Item quòd Minoritæ diſpenſent abſolutè cum Clericis in defectu Natalium non proveniente ex adulterio, inceſtu, copula cum Regulari. Item quòd PP. Ordinis Prædicatorum diſpenſent in omni irregularitate præterquàm proveniente ex bigamia. Dubitat tamen Gobat, an id hodiè ſaltem reſpectu ſæcularium habeat locum.

Obſerva, Licèt hucuſque dicta potiſſimùm procedant

Digitized by Google

cedant de diſpenſatione facienda pro ſuſcipiendis Ordinibus Sacris, poſſunt tamen etiam extendi ad diſpenſationem pro acquirendis Dignitatibus: quia connexorum eadem eſt ratio: Etſi enim ipſa *diſpenſatio* ſit ſtrictæ interpretationis *cap.* 1. §. *fin. de Filiis Presb. in* 6. ut in ea non valeat argumentum à majori ad minus, vel ad ſimile, & ad ſummum extendatur ad acceſſoria connexa vel neceſſariò conſecutiva ex eo, ſuper quo eſt diſpenſatum juxta *Gl. in c. ſi quis in Clero VII. q.* 1. *v. ſolennibus.* Secus tamen eſt de *poteſtate* diſpenſandi, quæ nulli eſt præjudicialis niſi ipſi concedenti: hæc enim eſt latæ interpretationis: & diſparitas eſt, quòd diſpenſationes actuales vocentur vulnus juris, per quam jus commune vulneretur, *c. Ipſa pietas XXIII. q.* 4. eique afferunt aliquod præjudicium: at Poteſtas diſpenſandi eſt merum beneficium Principis, ut ſupponitur, conſequenter latiſſimè interpretanda, *arg. c. Mandato* 46. *junct. Gl. de Simon.* Reiffenſtuel *ad tit. de Conſtit. n.* 452. cum Fagnano & communi. Unde etſi ipſa diſpenſatio actualis pro ordinibus ſuſcipiendis non ſit neceſſariò connexa cum diſpenſatione ad dignitates, nihilominùs poteſtas diſpenſandi ad ordines cenſetur regulariter connecti cum poteſtate diſpenſandi ad dignitates.

Petes. *An Regulares exempti poſſint cedere privilegio ſuæ exemptionis, & ſe ſubjicere Epiſcopo, ut ab illo diſpenſentur in caſibus, in quibus Epiſcopus poteſt diſpenſare cum ſubditis ſuis?*

℞. 1. Sine Superioris licentia non poſſunt. Ratio: Inferior ſine licentia Superioris ſui non poteſt ſe ſub-

ſubjicere alterius juriſdictioni: atqui ad diſpenſationem requiritur actus juriſdictionis. Ergo.

℞. 2. Si ipſe ſuperior habeat facultatem diſpenſandi, poſſunt ſubditi Regulares cum ipſius facultate ſe ſubjicere Epiſcopo, ut ab eo diſpenſentur. Ratio: Superior dando licentiam cenſetur Epiſcopo delegare facultatem, quod facere nullibi prohibetur: atqui inferior poteſt ſe ſubjicere illi, qui habet facultatem vel juriſdictionem delegatam. Ergo.

℞. 3. Si facultas diſpenſandi non eſſet in Prælato immediato, ſed ſolùm in mediato, v. g: in Provinciali vel Generali, non poſſet ſubditus regularis cum conſenſu ſolius ſui Superioris immediati ſe ſubjicere Epiſcopo ad implorandam diſpenſationem. Ratio: tunc Superior immediatus ſine conſenſu altioris Superioris non habet facultatem delegandi, ergo ſubditus ſe ſubjiciendo Epiſcopo, ſubjiceret ſe illi, qui non habet in ſe juriſdictionem, quod ſubdito non licet.

In caſu tamen neceſſitatis ſufficeret conſenſus præſumptus Superioris mediati, qui in neceſſitate urgenti non cenſetur eſſe invitus, ſi ſubditus ſe alteri ſubjiciat.

℞. 4. Si nullus ſuperior Religionis exemptæ haberet facultatem diſpenſandi, eſt probabile, quòd Regularis ſubditus debeat pro obtinenda diſpenſatione recurrere ad Sedem Apoſtolicam, & non poſſit etiam cum licentia ſui Superioris ſe ſubjicere Epiſcopo. Ratio: *Clem. penult. de ſent. excomm.* ubi Pontifex conceſſit Epiſcopo abſolutionem Fratrum

rum Minorum exemptorum, ab excommunicatione contracta in caſu ibi poſito: utitur hâc formâ: *Authoritate Apoſtolica fungi volumus in hac parte.* Ergo ſignum eſt, quòd Epiſcopus ſine authoritate Apoſtolica non potuiſſet illos abſolvere, conſequenter multò minùs diſpenſare, cùm diſpenſatio ſit difficilior, quàm abſolutio. Ad hæc Exemptio non eſt privilegium tantùm perſonale unius perſonæ ſingularis, ſed totius Religionis, & ita quidem, ut non ſolius Religionis, ſed etiam eximentis interſit, an exemptio violetur, nec ne: ergo unusprivatus ſubditus cum ſolo ſuperiore ſuo ſine conſenſu eximentis, non poteſt favori hujus privilegii cedere & ſe ſubjicere Epiſcopo, *Arg. Cap. ſi diligenti. de foro competenti.* Confir. *cap. cum tempore de Abbatis.* Approbat Pontifex quoddam compromiſſum inter Epiſcopum & Eccleſiam exemptam, excipit tamen, ſi quæ contra Eccleſiæ exemptæ libertatem fuiſſent in compromiſſo comprehenſa, ſubdens: *Cùm etſi ſpontè volueris, de jure tamen nequiveris, ſine licentia Romani Pontificis, renunciare privilegiis, vel indulgentiis libertatis, quæ monaſterium illud indicant ad jus & proprietatem Romanæ Eccleſiæ pertinere.* Similia habentur *cap. 2. in fin. v. non tam jus ſuum, quàm noſtrum. De in integr. reſtitut.* Et *cap. cùm olim, il. 2. v. jus noſtrum & Eccleſiæ Romanæ tuebatur. de privilegiis.*

Nec dic: Hæc omnia ſunt intelligenda de iis, quæ ſpectant ad juriſdictionem *contentioſam*, non quæ ad *Voluntariam*, qualis eſt diſpenſatio: Nam ℞. *d. Clem. penult. de Sent. excomm.* expreſſè procedit

in

in caſu *abſolutionis*, quæ etiam ſpectat ad juriſdictionem *voluntariam*, & tamen Pontifex ait Epiſcopum fungi *Authoritate Apoſtolica.* Deinde æquè intereſt eximentis auſferri vel minui juriſdictionem *voluntariam* in locis vel perſonis exemptis, ac auſferri vel minui juriſdictionem *contentioſam.*

Nec obſtat *Cap. Luminoſo. XVIII. q.* 2. quod quidam citant, quaſi ibi aſſeratur, Epiſcopum de conſenſu Abbatis poſſe exercetre juriſdictionem in Monaſterio exempto. Dicitur enim ibi: *Nec audeat ibi Cathedram collocare Epiſcopus, vel quamlibet poteſtatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis leviſſimam faciendi, niſi ab Abbate loci fuerit rogatus*: ergo Abbas poteſt concedere facultatem, ut Epiſcopus in loco exempto exerceat actum juriſdictionis. Nam ℞. hoc commodè intelligitur de iis, in quibus Abbas habet poteſtatem delegandi; unde dicitur: *Niſi ab Abbate loci fuerit rogatus.*

§. XIV.

De Mutilatis à ſe vel ab alio, an & quomodò ſint eligibiles?

℞. 1. Non poteſt eligi ad dignitates Eccleſiaſticas, qui ſe ipſum quolibet corporis ſui membro ex indignatione aliqua, vel injuſto timore ſuperatus volens truncaverit, *Cap. Maritum* 2. *Diſt.* 33. Etiamſi eſſet parvum membrum v. g. pars alicujus digiti, *cap. Qui partem.* 6. *Diſt.* 55. Etſi abſciſſio vel mutilatio ſui ipſius nec uſum Ordinis impediat,

diat, nec celebrationem Miſſæ, nec gravem afferat deformitatem, nec ſit ipſa notoria. Pirhing *in Jus Canon. tom.* 1. *de corpore vitiatis. n.* 11. *&* 12. *& cap.* 4. *&* 6. *diſt.* 55. quod multò magis procedit, ſi quis ſanus amore caſtitatis ſeipſum caſtrârit, vel ut ab aliis caſtretur, curârit, *cap.* 3 *Ex parte de corpore vitiatis ordin. vel non.*

Sacerdos, qui ex ſimplicitate vera fecerit ſeipſum caſtrari, credens ſe obſequium præſtare DEO, poteſt cum diſpenſatione Epiſcopi exercere Officium Sacerdotale, v. g. ſolemniter baptizare, benedicere, pœnitentes abſolvere, moribundos ungere; non tamen miniſtrare ad Altare, *cap. Significavit.* 4. *de corpore vitiat.*

Per *Miniſterium* autem *Altaris* aliqui intelligunt ſolam celebrationem Miſſæ, ita ut talis non prohibeatur exercere Officium Diaconatûs vel Subdiaconatûs, ut ſcil. pœna & odium reſtringatur: Alii verò id negant, eò quòd *miniſterium Altaris* indefinitè poſitum comprehendat etiam Miniſterium Diaconi vel Subdiaconi.

Præterea, *d. cap. Significavit.* non pœnam, ſed privilegium & gratiam diſpenſationis continet, cùm Presbyter illius Capituli fuerit ſecundùm Canones irregularis & deponendus; at diſpenſatio meretur ſtrictam interpretatioem, *cap.* 1. *&* 2. *de filiis presbyt. in* 6.

Poſterior hæc ſententia eſt magìs ſecura & tuta; priori locus concedi poteſt, ſi quis commodè non poſſet abſtinere ab exercitio Ordinum aliorum.

℞. 2. Si quis non à ſeipſo, ſed ab alio mutiletur ex juſta cauſa, v.g. timore lepræ, vel alterius mali gravis, non prohibetur eligi, etſi conſenſerit liberè in talem mutilationem, dummodò illa non pariat magnam deformitatem, *c. Si quis. 7. diſt. 55.* etiamſi pro curanda ægritudine à medicis naturalia ſecarentur, *cap. ſi quis. 9. eâdem.*

Item ſi quis ob infirmitatem, Medicorum inciſione, Claudus efficeretur, poſſet ad Ordines ſacros promoveri, *cap. Si quis. 10. eâdem*, conſequenter etiam per ſe poterit promoveri ad dignitates. Similiter, ſi quis fieret Eunuchus à Nativitate, vel fieret talis per inſidias hominum, aut in perſecutione à barbaris vel Dominis ſuis, poſſet promoveri, *cap. Ex parte. 3. de corp. vitiatis. cap. Si quis. 7. cap. Eunuchus. 8. & cap. ſi quis. 9. diſt. 55.*

Et ſi quis tales inciſiones ſive per injuriam, ſive ex metu lepræ pateretur, poſtquàm ad Sacerdotium jam promotus fuerat, poteſt liberè Officium Sacerdotale exercere, *cap. 5. Ex parte de corpore vitiatis.* Neque neceſſarium eſt, ut in iſtis caſibus Eunuchi teſticulos ſiccos & pulveriſatos ſecum deferant in burſa, dum volunt celebrare, quaſi tunc intelligantur habere omnia ſua membra: Neque enim iſtud in ullo jure vel præcepto Eccleſiaſtico oſtenditur fundatum, ut docet Navarrus *in Man. cap. 27. n. 200.* Tolerus *lib. 1. Summæ. cap. 25.* Sayrus *de Cenſuris. Lib. 6. cap. 7. n. 14.*

Dub. 1. *An ſit irregularis, qui abſciſſionem alicujus membri etiam occulti paſſus eſt quidem ab aliis invitus, ſed tamen ob ſuam culpam?*

℞. Eſt

℞. Eſt irregularis, & ſic de adultero, cui à Marito adulteræ ad vindictam ſuſceptæ injuriæ abſciſſa ſunt naturalia, & de eo, qui in pœnam alicujus delicti à Miniſtris juſtitiæ mutilatur, expreſsè docet Navarrus ſupra. *n.* 198.

Dub. 2. *Quid ſi delictum, ob quod à Judice quis mutilatur, maneat occultum?*

℞. Cenſent aliqui, tunc non oriri irregularitatem, ſi membrum mutilatum, vel abſciſſum etiam ſit occultum, vel non neceſſarium ad Executionem Ordinis ſuſcepti, nec inducens notabilem deformitatem; Secùs eſt, ſi delictum ſit manifeſtum, eò quòd tunc ſaltem ratione infamiæ ſit ſufficiens fundamentum aſſerendæ irregularitatis. Pro hac ſententia citatur Reginaldus *Fori pœnitent. lib.* 3. *tr.* 2. *n.* 47. & Suarez *in* 3. *p. tom.* 5. *diſp.* 51. *Sect.* 2. *n.* 8. Verùm hoc non omnibus placet, eò quòd non oſtendatur ſufficiens fundamentum pro allegata diſtinctione.

Dub. 3. *Quid ſi talis caſu mutiletur?*

℞. Vel dedit operam rei licitæ vel illicitæ? Si dedit operam rei licitæ, vel fuit mutilatus in aliqua parte occulta, vel in patente? ſi in occulta, non eſt irregularis. Si in patente, vel eſt mutilatio magna, vel parva? ſi ſit parva, v. g. caſu quis ſibi abſcindat digitum, ad celebrandum non neceſſarium, vel aliam partem non notabilem, non incurritur irregularitas. *cap. qui partem.* 6. & *cap. Lator præſentium.* 11. *diſt.* 55. Si ſit magna, vel in membris ad celebrationem neceſſariis, oritur irregularitas. Si dedit quidem operam *rei licitæ*, ſed cum aliqua *culpa* vel *modo illicito*, oritur irregularitas, ita

Digitized by Google

tamen, ut non ſufficiat culpa ſolùm venialis, ſed requiratur lata & mortalis, ut ſit proportio inter culpam & irregularitatem, quæ in caſu poſito habet rationem pœnæ.

Si dedit operam rei illicitæ, cenſent aliqui indiſtinctè oriri irregularitatem; Alii tamen veriſimiliùs cum Sayro *de Cenſuris lib* 7. *c.* 6. *n.* 13. diſtinguunt; Nimirum ſi operatio ſit illicita ſimul & periculoſa, quia ſcil. ipſi eſt annexum probabile periculum mutilationis vel ſui ipſius, vel alterius, orietur irregularitas, quia tunc mutilatio ſubſequens eſt voluntaria ſaltem indirectè in ſua cauſa. Si verò operatio ſit illicita, non tamen periculoſa, dans operam rei taliter illicitæ non erit irregularis: quia aliàs ſequerentur varia abſurda, v.g. die feſto cædens ligna, vel ſculpens ferro etiam adhibitâ ſummâ diligentiâ, fieret irregularis, ſi eo caſu ſecuri, vel ſcalpro contra ſpem & intentionem ſeipſum mutilâſſet: iterum eſſet irregularis, qui tempore interdicti cautiſſimè pulſaret campanam, & ejus fortuito caſu vel impulſu aliquod membrum deſtrueret, & redderet inutile, extra hoc tempus non eſſet irregularis, &c.

Dub. 4. *Quis cum mutilato poſſit diſpenſare?*

℞. 1. De facultate Epiſcopi dictum eſt §. 13. *dub.* 5. ℞. 2. *n.* 4. *De Regularibus.*

℞. 2. Cum Donato *in prax. Regular. tom.* 2. *p.* 1. *tr.* 11. *q.* 8. Poſſunt Prælati Regulares cum ſuis ſubditis diſpenſare in irregularitate proveniente ex mutilatione membrorum: idque non tantùm jure privilegiorum, ſed etiam Jure Tridentini *Seſſ.* 24. *de Reform. c.* 6. Ratio: Prælati Regulares poſſunt

in

in ſuos, quidquid valent Epiſcopi in ſuos ſubditos: atqui Epiſcopi poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in omni irregularitate contracta ex mutilatione membri, etiam violenta, dummodo ſit occulta, ut conſtat ex Tridentino *l. c.* ubi excipitur ſolum homicidium voluntarium occultum, qualis non eſt mutilatio: ergo.

Dub. 5. *An adhoc, ut mutilatio membri inferat irregularitatem, requiratur ipſius abſciſſio, an ſufficiat ſola debilitatio, ita ut membrum reddatur ſolùm inutile?*

℟. Requiritur abſciſſio, Donatus *l. c. n.* 4. Unde ſi quis verberando debilitet alterius membrum, ita ut verberatus reddatur ineptus functionibus Ordinum, & conſequenter ſit irregularis, ipſe verberans & debilitans non contrahet irregularitatem: quia ad hanc requiritur, ut rigor & proprietas verborum ſervetur: atqui in rigore non cenſetur eſſe mutilatus, cui membrum eſt ſolùm debilitatum: ergo nec verberans in rigore cenſebitur activè mutilâſſe, qui membrum ſolùm debilitavit. Debet ergo abſcidiſſe membrum, & quidem vivum, adeò ut mutilans membrum hominis mortui non efficiatur irregularis, cùm membrum quoad uſum moralem non ſit, nec dicatur ſimpliciter membrum, Toletus *Lib.* 1. *Summæ, cap.* 27.

Ex eodem capite non eſt irregularis, qui alterum excæcat, ſi oculum non eruat. Fernandez in *Exam. Theol. Moral. p.* 2. *c.* 10. §. 14. *n.* 7. & Donatus ſupra.

§. XV.

De Dæmoniacis & Maleficiatis, An & quomodò ſint eligibiles?

 ℟. Dæ-

℞. Dæmoniaci, ſive ab dæmone obſeſſi, qui patiuntur hoc malum ante omnes Ordines ſuſceptos, nunquam ſunt ad illos promovendi, etſi ſemel tantùm fuerint vexati, licèt poſteà appareant in totum liberati, *c, Maritum.* 2. & *cap. Clerici.* 4. *diſt*, 33. idque non ſolùm non ad majores Ordines; ſed nec ad minores, Turrecrematâ teſte *in d, c. Clerici.* contra ejus Gloſſam. Si jam ad aliquos ſint promoti, etiam ſani & liberi non poſſunt ad majores aſcendere, *d. c. Clerici.* Si ſint promoti ad majores, & ad Sacerdotium, videnda eſt reſolutio §, 13. *dub.* 4, ℞. 2. *n.* 12.

Circa eligibilitatem Dæmoniacorum, eſt notabilis textus *in d. c. Clerici.* ibi; *Clerici, qui in adoleſcentiâ à dæmonibus cognoſcuntur obſeſſi, ad Superiorem ſacri Regiminis gradum aſcendere non poſſunt.* Ubi terminus *ſacri Regiminis*, illimitatè poſitus comprehendit quaſvis Dignitates vel Prælaturas Eccleſiaſticas, in tantùm, ut etiamſi dæmoniacus hoc malum incipiat pati, poſtquàm jam ad Sacerdotium promotus fuerat, tamen nunquam poſſit ad Dignitates eligi vel promoveri, etſi videatur eſſe ſanus & liberatus. Ratio; Qui ad Diaconatum promotus incipit hoc malum pati, nunquam totâ vita ſua poteſt promoveri ad Sacerdotium, etſi videatur liberatus; ergo etiam; qui poſt ſuſceptum Sacerdotium incipit fieri dæmoniacus, nunquam poteſt promoveri ad dignitates, etſi videatur eſſe liberatus.

Dub. 1. *Quid ſentiendum de iis, qui non ſunt energumeni, tales tamen ſe ſimulant?*

℞. De his Synodus Generalis VI. quæ fuit Concilium

cilium Conſtantinopol. III. aliàs Trullanum dictum, quia in Trullo (ſive Palatio Imperatoris, quod Trullus vocabatur) fuit celebratum An. Dom. 680. ſub Conſtantino Pogonato Imperatore, & Agathone Papa, ſic Canone ſexageſ. ſancit: *Eos, qui ſe Dæmone correptos eſſe ſimulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum ſimulatè præſeferunt, viſum eſt omnimodo puniri, & ejuſmodi afflictionibus & laboribus eos ſubjici oportere, quibus hi, qui à Dæmone verè correpti ſunt, ut à Dæmonis operatione liberentur, jure ſubjiciuntur.*

Dub. 2. *Quid de Maleficiatis?*

Nota: Maleficiatus dicitur, qui à præſtigiatoribus ope Dæmonis paſſus eſt, v. g. ſi quiſpiam intoxicatus factus eſſet claudicans aut contractus &c.

℟. Si per maleficium ſit deſtructus uſus membri ad executionem Ordinum neceſſarii, debet Maleficiatus abſtinere à celebratione. Secus eſt, ſi maleficiatus ſit in membris occultis, Sayrus *de Cenſuris. lib. 6. cap. 9. n. 14.*

Circa promotionem ad Dignitates eſt maximè conſiderandum, an maleficiatus ſit adhuc capax ad explendum ſuum Officium, ad quod eligendus eſt.

§. XVI.

De Infirmariis, an & quomodò ſint eligibiles?

℟. Si morbus vel infirmitas horrorem, deformitatem, aut ſcandalum generet, vel Ordinis aut Officii ſive Dignitatis executionem impediat, cenſetur adeſſe irregularitas: aliàs non: ita tamen, ut in dubio ſtandum ſit judicio Epiſcopi. Quòd ſi mor-

Digitized by Google

morbus inducat impoſſibilitatem phyſicam ad executionem Ordinum vel officii, erit inhabilitas *juris naturæ*, etſi in *jure poſitivo* nihil ſit expreſſum; & illa nequidem eſt diſpenſabilis, niſi juxta dicta §. 15. *dub.* 1. *n.* 6. Porrò ſi morbus non ſit habitualis, nec radicatus, per ſe non impediet electionem vel ordinationem: quia ad tempus infirmari humanum eſt, nec ullus eſt, qui ſibi à ſimilibus miſeriis non debeat timere.

Si morbus ſit habitualis & radicatus, etſi morbidum non affigat lecto, deberet in electionibus per ſe loquendo ſemper præferri fortis corpore, quia valetudinarii facilè indigent exemptionibus, & non ſunt pares ferendo oneri, cùm èc contra conſtituti in bona valetudine poſſunt ſubditis prælucere bono exemplo, cum aliis ſubeundo omnia onera, Electio tamen de perſona hujuſmodi valetudinarii non eſt ſemper irrita, quia is quandoque per ſubſtitutos poteſt officium ſuum exercere; & præcipuè cùm recta gubernatio plus prudentiâ, diſcretione & ſimilibus dotibus indigeat, quàm viribus corporis.

Quòd ſi ex magna parte ob ſiniſtram valetudinem non poſſet exequi proprium Officium, eſſet electio irritabilis ob bonum Eccleſiæ.

Petes: *An ſemel ob morbum repulſus poſſit aliâ vice iterum eligi?*

℞. Si morbus habeatur pro incurabili, non poteſt eligi, niſi probet ſe liberatum. Si ſit curabilis, ſufficit probare, quòd tunc temporis non laboret. Hanc probationem aliqui indifferenter dicunt incumbere infirmo ſemel repulſo. Wagnereck tamen *in c.* 21. *Cùm inter, §.* 3. *verſ. niſi ſufficienter, de Elect.*

ait,

ait, id poſſe admitti in illo, qui ultrò petit eligi vel promoveri, non in illo, qui abſque ſua inſtantia ab aliis eligitur liberè.

§. XVII.

De Maniacis, an & quomodò ſint eligibiles?

℞. Qui patiuntur levem mentis alienationem, poſſunt eligi, & ad Ordines admitti, quia ſtante levi alienatione poſſunt adhuc omnia ritè adminiſtrare, & aliquandò meliùs, quàm ullus alius. Non tamen decet id fieri, quia in ſubditis ſolet exiguus reſpectus erga tales haberi, & vix vitari poteſt murmur in populo.

Si illa levis mentis alienatio verſaretur circa punctum aliquod, ex quo Eccleſiæ poſſet oriri magnum damnum, debet illam alienationem paſſus ſimpliciter à dignitatibus & Ordinibus arceri:

Idem eſt de perpetuò amentibus, utpote qui nullâ ratione poſſunt Eccleſiæ ſervire.

Imò qui ſemel verè inſanivit, etiam recuperatâ ſanitate non poteſt ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ eligi vel promoveri ad ulteriores Ordines, quia id non videtur fieri poſſe ſine ſcandalo. Poteſt tamen permanere in adminiſtratione ſuſceptæ Eccleſiæ, vel in uſu Ordinum ſuſceptorum, quia irregularitas amentis ceſſat cum amentia, & non tam facilè timetur ſcandalum in Ordinibus habitis permanere, quàm ſi de novo acquirantur. Præterea ſi mentis alienatio, etiam plena, non fuiſſet manifeſta paſſim in populo, faciliùs poſſet ad ordines ad-

mitti, quia tunc ceſſat periculum proximum ſcandali.

Ad Dignitates verò hujuſmodi promovere ſemper cenſetur periculoſum, tum quia ſaltem aliquale periculum relapſûs ſubeſt, tum quia ſubditi exiguam reverentiam erga tales ſolent exhibere.

§. XVIII.

De Androgymis, an & quomodò ſint eligibiles?

℞. Si Androgymus ſive Hermaphrodytus vergat in ſexum fœmineum, eſt incapax Ordinis, & Characterem Sacerdotalem nequit recipere, conſequenter apud viros non poteſt eligi in Prælatum. Si magis incaleſcat in virum quàm fœminam ſuſcipiendo Ordines recipit characterem, poteſt tamen perpetuò ab Ordinum executione ſuſpendi; adeoque etiam tunc validè ſed non licitè ſuſcipit Ordines, conſequenter etiam videtur poſſe validè, ſed non licitè eligi. Si æquè incaleſcat Sexus virilis ac muliebris, non poteſt recipere characterem, quia nec vir, nec fœmina dici poteſt. Vide S. Antoninum *3. p. tit. 29. de irreg. cap. 27. n. 6. §. Hermaphrodytus*. Navarrum *in Man cap. 27. n. 203. ℣. decimò quintò.* Toletum *Lib. 1. Summæ. cap. 25. &c.*

Nec dic *contra 2. p.* Androgymus, etſi prævaleat ſexus virilis, adhuc habet monſtruoſitatem; ergo tanquam irregularis eſt arcendus à Dignitatibus & ordinibus conformiter *ad Cap. Illiteratos. Diſt.*

Diſt. 36. Cap. ult. Diſt. 49. ℞. cum Card. Toleto, *Lib. 1. Summæ. cap. 63. n. 6.* Monſtruoſitatem hanc non obſtare, cùm etiam is, qui naturaliter eſt Eunuchus, vel tres tantùm digitos habet in pede, vel alio vitio latenti laborat, habeat aliquam monſtruoſitatem, qui tamen irregularis non eſt. Aliud eſt, ſi eſſet notorium, eligendum vel ordinandum eſſe Androgymum; cùm tunc ſit periculum ſcandali. Unde Card. Toletus ponit hanc regulam generalem: Ubi vitium eſt citra culpam, non inducit irregularitatem, niſi invehat inhabilitatem ad miniſterium Altaris, vel deformitatem vel ſcandalum, quorum nullum ſubeſt in Hermaphrodyto occulto, in quo prævalet ſexus virilis.

§. XIX.

De Simoniacis an & quomodò ſint eligibiles?

℞. In Bullâ Pii V. contra Simoniacos ſtatuitur generaliter pœna inhabilitatis ad beneficia electiva tam obtenta, quàm impoſterum obtinenda. Eſt ergo Simoniacus inhabilis ad retinendam vocem paſſivam in beneficiis vel dignitatibus electivis.

Dub. 1. *An, ut Simoniacus Incurrat hanc pœnam neceſſe ſit intervenire ſententiam Judicis?*

℞. Sub disjunctione; vel enim illa inhabilitas ſumitur præciſè ut pœna privativa reſpectu beneficiorum priùs obtentorum, vel ut eſt impedimentum Canonicum, aut incapacitas ad Dignitates vel bene-

beneficia obtinenda. Si ſumatur præciſè ut pœna privativa, & maximè reſpectu beneficii obtenti ante ſimoniam commiſſam, non incurritur ea in foro conſcientiæ ante ſententiam Judicis declaratoriam criminis, quia pœna, quâ quis privatur re ſuâ jam poſſeſſâ, non debetur ante declarationem Judicis, ut ſatis probabiliter aliqui docent tractantes de lege pœnali. Quòd autem in jure dicatur hæc inhabilitas incurri *ipſo facto*, eſt ſenſus; quòd non requiratur ſententia *condemnatoria* vel *declaratoria pœna*, bene tamen requiratur *declaratoria criminis*.

Si illa inhabilitas ſumetur ut eſt quoddam impedimentum canonicum, & quædam incapacitas ad obtinendas dignitates vel beneficia, tam ſuper quas eſt commiſſa ſimonia, quàm omnes alias in futurum obtinendas, eſt probabile, quòd ea incurratur ante omnem ſententiam, adeoque ſimoniacus teneatur adeptas renunciare, & pro adipiſcendis procurare diſpenſationem. Ita Donatus *prax. Rogul. Tom. 2. p. 1. tr. 1. q. 30. n. 6.* Ratio; talis inhabilitas æquiparatur irregularitati, atqui irregularitas incurritur ante omnem ſententiam declaratoriam, ergo etiam illa inhabilitas. Deinde ex ſtylo Curiæ Romanæ Sacra pœnitentiaria in Simonia occulta diſpenſat; ergo ſignum eſt, quòd Simonia occulta (quæ non poteſt per ullam ſententiam eſſe declarata, aliàs ipſo facto non eſſet ampliùs occulta) incurrerit eam inhabilitatem; alioqui enim non opus eſſet diſpenſatione. Denique in Conſtitutione Pii V. incip. *Quamprimùm* §. 8. idipſum eſt expreſſum neque poteſt oſtendi dictam conſtitutionem non eſſe uſu receptam. Dub.

Digitized by Google

Dub. 2. *Quis ſuper hac inhabilitate Simoniaci poſſit diſpenſare?*

℞. In genere: vel ſimonia eſt commiſſa in ingreſſu Religionis, vel in Sacramento Ordinis ſuſcipiendo, vel in acquirendis beneficiis, aut Dignitatibus Eccleſiaſticis? ſi in ingreſſu Religionis, poteſt in favorem Religionis Epiſcopus diſpenſare cum Simoniacis quoad Ordinem & locum, ut ſcil. poſſint manere in eodem Monaſterio, quod ingreſſi ſunt, & ex quo aliàs ob Simoniam expellendi erant ad locum arctioris regulæ, juxta *Cap. Quoniam de Simonia.* Imò idem Epiſcopus poteſt diſpenſare in Capitulo, ut ſcil. in ordine ſuæ Profeſſionis poſſint remanere. Eâdem poteſtate gaudet ipſe Prælatus Religionis, ſi non participârit in Simonia; ſi verò participârit, eſt puniendus, & videtur amiſiſſe poteſtatem illum Simoniacum ad Profeſſionem recipiendi, *Arg. Cap. bona. de Elect.*

Quod dictum de Prælato participante in Simonia, idem intelligendum de Epiſcopo participante. Vide Thomam Sanchez *Lib. 2. Conſil. moral. cap 3. Dub.* 104. *n.* 51.

Si Simonia committatur in *ſuſceptione* vel *collatione Ordinum*, ſive ea ſit manifeſta, ſive occulta ſemper debet diſpenſatio fieri à Papa ſolo juxta motum proprium Sixti V. Licet enim Tridentinum *Seſſ.* 24. *Cap.* 6. *de Reform.* generaliter conceſſerit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in delictis occultis, in præſenti tamen obſtat motus proprius Sixti V. juxta quem Epiſcopus non poteſt cum Simoniaco diſpenſare, quoad exercitium aliorum Ordinum ritè ſuſceptorum.

Si

Si inſcius ſimoniæ à tertio commiſſæ ordinaretur, non incurreret ſuſpenſionem, colligitur ex *Cap. Ordinationes IX. q.* 1. Ubi dicitur, quòd Ordinationes factæ ab Hæreticis nominatim excommunicatis ſint irritæ quoad executionem Ordinis, vel potiùs quoad collationem illius executionis, quâ Epiſcopus vult concedere licentiam exequendi Ordines, *niſi probare voluerint* (ordinati) *ſe cùm ordinarentur, eos* (ordinantes) *neſciſſe damnatos; ſive excommunicatos*; Infero: ergo etiam à ſimili ſuſpenſio vel inhabilitas ad exequendos Ordines non incurretur, ſi Ordinatus, cùm ordinaretur, neſcivit Simoniam pro ſe ordinando eſſe commiſſam. Imò etſi ordinatus pœnas has incurreret, poteſt tamen Epiſcopus tam in delicto notorio quàm occulto diſpenſare, quia *in cap. de Simoniace. de Simon.* in caſu ignorantiæ permittitur Epiſcopis indiſtinctè facultas diſpenſandi. Addit Tabiena *verb. Simonia q.* 68. Hoc eſſe verum, licèt ordinatus, poſtquàm reſcivit Simoniam eſſe commiſſam, in ſuſcepto ordine miniſtraverit, & ad altiores Ordines aſcenderit; quia prior Simonia non afficit hoc miniſterium vel promotionem ad altiores Ordines.

Si Simonia commiſſa ſit ſuper beneficio, debet inſpici, an beneficium ſit ſimplex, an curatum, vel Dignitas? Si ſit *ſimplex*, & accipiatur ignoranter per Simoniam ab alio commiſſo ipſo inſcio, ſed cognitâ Simoniâ beneficiatus ſponte renunciaverit certum eſt, quòd Epiſcopus ſuper inhabilitate ad illud idem beneficium, & conſequenter à fortiori ad alia beneficia obtinenda poſſit diſpenſare, ut ex-

primitur

Digitized by Google

Primitur *cap penult. de Elect Gl. cap. Nobis. v. reprobanda de Simonia. cap. poſt translationem v. nequeat. de renunciat. cap. Præſentium. 1. q. 5. in fine.* Angelus, *v. Simonia. 6. n.* 3. Et hoc eſt verum, licet beneficiarius poſt beneficii conſecutionem, Simoniam ab alio commiſſam ratam habuerit, quia reverà ipſe non fuit Simoniacus in beneficii receptione, nec pœnæ (qualis eſt, quòd Epiſcopus non poſſit diſpenſare) ſtatuuntur pro ſola ratificatione, cùm id nullibi exprimatur.

Quando beneficiarius ipse commiſit Simoniam, ſed ignoranter, quia ſci. neſciebat id, quod facit, eſſe Simoniacum, non gaudet beneficio *capitis penult. de Elect.* Sanchez. *loc. cit. dub.* 120. *n.* 24. Si verò beneficiarius cognitâ Simoniâ ab alio commiſſa, beneficium obtentum non renunciet ſtatim ac ſponte, ſed exſpectet ſententiam Judicis illum beneficio privantis, poteſt quidem Epiſcopus diſpenſare, ut obtineat illud idem beneficium, quando aliàs rurſus vacabit, non tamen illâ ipſâ vacatione. Ratio. *de cap. penult. de Elect.* Pontifex negat tantùm *ea vice* facultatem diſpenſandi: ergo *alia vice* poteſt Epiſcopus diſpenſare. Econtra ibid. dicitur, Epiſcopum poſſe diſpenſare quando beneficiarius *liberè* renunciat: ergo à contrario non poteſt, quando beneficiarius *coactus* renunciat. Atqui qui jubente ſententiâ Judicis renunciat, ille *coactus* renunciat: ergo cum hoc Epiſcopus non poteſt diſpenſare niſi fortè (uti aliquibus, non omnibus videtur) magna Eccleſiæ utilitas vel neceſſitas diſpenſationem ſuaderet.

Quando beneficium per Simoniam ignoran-

ter acceptum eſt *Curatum*, aut *Dignitas*; & cognitâ Simoniâ obtinens dignitatem vel beneficium illud ſponte renunciat, conveniunt omnes Doctores quòd Epiſcopus poſſit diſpenſare pro aliâ vacatione, ut diſpenſandus illud idem beneficium vel eandem dignitatem poſſit obtinere, quando aliàs iterum vacabit. Ratio: *d. cap. penult.* dicitur ſolùm, Epiſcopos *eâ vice* non poſſe diſpenſare: ergo aliâ vice poſſunt. Deinde ſi perſona media intercedat, vitium Simoniæ priùs commiſſæ purgatur, ut promotionem non poſſit inficere: At ſi diſpenſandus immediatè haberet illud beneficium, videtur promotio vitiari ex vitio adhuc nimis propinquo; quæ enim in continenti fiunt, videntur ineſſe, *cap. Officii de Elect. L. Lecta, ff. ſi certum petatur*: Ergo etiam illa promotio, quæ ad Simoniam ab alio commiſſam fit in continenti, cenſetur ipſum vitium in ſe habere. In eadem tamen vacatione verius eſt, quod Epiſcopus nullo modo poſſit diſpenſare, teſte Sanchez *loc. cit. n.* 54. contra quoſdam, qui abſolutè concedunt, poſſe, & contra alios, qui concedunt, poſſe ſaltem pro evidenti Eccleſiæ utilitate. Ratio noſtra. *d. cap. penult.* dicitur: *Si alicujus electionem propter Simoniam eo ignorante, ac ratum non habente, contigerit reprobari, cum eo ſuper prælatione, ad quam electus fuerat, eâ vice non poteſt Epiſcopus diſpenſare; quamvis circa eum, qui ignoranter recepit ſimplex beneficium per Simoniam, poſt liberam reſignationem Epiſcopi diſpenſatio toleretur.* Ex quo ſie

ſic arguo: hìc conſtituitur differentia inter beneficium ſimplex & Prælationem, quoad rationem inter ea diſpenſandi: atqui alia non p teſt erui ex verbis, niſi quòd Epiſcopus in beneficio ſimplici poſſit diſpenſare, non verò in curato, aut dignitate vel Prælatura: ergo.

Nec dic: *d. cap. penult.* denegatur Epiſcopo facultas diſpenſandi, ſi electio illa reprobata fuerit, ſcil. per ſententiam, uti tenet *Gl. cap. poſt translationem. de renunciat. V. nequeat in fine.* ergo à contrario, quando electio nondum eſt reprobata per ſententiam, Epiſcopus poteſt diſpenſare; nam argumentum à contrario ſenſu in jure eſt validum & fortiſſimum, *L.* 1. *ff. de Officio ejus, cui mandata eſt juriſdictio. Gl. in cap. cùm Apoſtolica. v. datur intelligi. de his. quæ fiunt à Prælato.* ℞. N. conſeq. prob. diſt. argumentum à contrario ſenſu in Jure eſt validum, quando contrarium in aliis Juribus non eſt expreſſum, ut docet Gl. *in cap. ſignificaſti. de foro compet. V. Clerici.* Concedo, quando eſt expreſſum vel verbis formalibus, vel æquivalentibus, ſicut hìc fieri probavimus N.

Nec obſtat *cap. præſentium. I. q.* 5. quia loquitur in alio caſu, ſcil. in materia Ordinum ſuſceptorum, de quo concedit, quòd Epiſcopus diſpenſet in dignitate aſſumenda cum eo, qui ſpontè renunciavit Ordini, ſive executioni Ordinis ignoranter ſimoniacè accepti.

Infer, multò minùs poſſe Epiſcopum diſpenſare in eadem illa vacatione, quando beneficiarius cognitâ ſimoniâ expectat ſententiam, quidquid alii dicant, eum poſſe hoc facere, quando adeſt

 evi-

evidens neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ. Videtur tamen adhuc, Epiſcopum poſſe diſpenſare in-& pro alia vacatione. Vide Sanchez *loc. cit. n. 35.* qui *n.* 19. ex *cap. de multa. de præbend.* & *cap. cum nullis eod. in 6.* ſtatuit pro regula generali, in hac materia nomine beneficii venire dignitates, & inter ſe invicem æquiparari.

Quando quis ſciens per ſimoniam obtinet beneficium curatum, vel dignitatem electivam, & ſponte renunciat, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut in illamet Eccleſia, vel in alia obtineat alia beneficia, vel alias dignitates; ut verò obtineat eandem dignitatem, quam renunciavit, diſpenſat ſolus Papa. Eſt contra Felinum, qui docet, Epiſcopum poſſe diſpenſare ad eandem dignitatem, ſed in alia vacatione. Ratio noſtra: *d. cap. penult.* tantùm permittitur Epiſcopo facultas diſpenſandi, quando obtinens dignitatem ignoravit ſimoniam commiſſam eſſe, & eâ cognitâ ſponte renunciat; item non pro illa eadem, ſed ad ſummum pro alia vacatione: ergo à contrario ſenſu in aliis caſibus non poteſt. Cùm autem ſit probabile, quòd ſimoniacus in uno beneficio vel dignitate non ſit inhabilis ad alia, hinc ſecutâ abſolutione ab excommunicatione (quæ eſt conferenda à Papa vel alio privilegiato, cùm ſit excommunicatio reſervata) non opus eſt ulteriori diſpenſatione Epiſcopi ad obtinendum in eadem vel alia Eccleſia quodcunque beneficium vel dignitatem præter ſimoniacè obtenta.

Similiter cùm ſit probabile, quòd ſimoniacus in beneficio non ſit ipſo facto ſuſpenſus ab executione Ordinum, hinc conſequenter non indiget abſo-

lutione,

Digitized by Google

lutione, ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare, vel ad altiores aſcendere poſſit.

Si Simonia eſt *confidentialis*, & beneficiarius ſponte renunciet, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut in alia Eccleſia habeat beneficium curatum vel dignitatem; in eadem verò Eccleſia nonniſi ſimplex. Ratio: Licet in Simonia *confidentiali* juxta motum proprium Pii V. reſervetur excommunicatio, tamen inhabilitas ad beneficia non reſervatur. Unde alii indiſtinctè dicunt, Epiſcopum virtute Tridentini *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.* poſſe diſpenſare in inhabilitate ad alia beneficia proveniente ex ſimonia occulta. Idem cenſent alii de qualibet inhabilitate & privatione Officiorum, quando procedunt ex delicto occulto.

Quando ſcienter recipiens dignitatem vel beneficium curatum per propriam ſimoniam, exſpectat ſententiam privationis, Epiſcopus nullo modo poteſt diſpenſare vel ad idem, vel ad aliud beneficium, aut dignitatem. Ratio Simoniacus damnatus per ſententiam fit infamis *infamiâ juris. cap. de hoc. de Simon. cap. Inquiſitiones. de accuſat. cap. Sanè XV. q. 3.* D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art. 6. in* 8. Sotus *Lib. 9. de Iuſt. q. 8. a. 2.* Angelus *V. Simonia. 6. n. 8.* Tabiena, *eodem. q. 72.* atqui cum infami infamia juris Epiſcopus non diſpenſat niſi in caſibus à jure expreſſis, *cap. cùm te. de ſent. & re judic.* inter quos caſus hæc infamia non numeratur. Ergo. Idem intellige de beneficio ſimplici, quia etiam in hoc damnatus per ſententiam fit infamis. Circa quæ ulteriùs

Nota. 1. Ut valeat diſpenſatio ad idem benefi-

 cium

ficium quod quis ſcienter per Simoniam obtinuit, debet in petitione diſpenſationis de hac Simonia fieri mentio, non ſi petatur diſpenſatio ad alia beneficia, Sanchez *loc. cit. n.* 45.

Nota 2. Si is, qui beneficium recepit per Simoniam ignoranter, petat à Pontifice compoſitionem fructuum perceptorum, & revalidationem tituli, ſi Pontifex concedat compoſitionem, ſed circa beneficium ipſum nec dicat: auffero, nec confero, non poteſt beneficiarius ille retinere beneficium.

Ratio: indigebat tituli revalidatione: atqui quando Pontifex abſtrahit, titulum non revalidat. Ergo.

Dub. 3. *An Prælati Regulares poſſint ſubditos ſuos abſolvere à cenſuris, & in pœnis Simoniæ vel inhabilitate ad beneficia vel dignitates per Simoniam introducta diſpenſare?*

℞. Affirmativè: Donatus *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 1. *tr.* 1. *q.* 31. *à n.* 11. Ratio: Etſi Sixtus V. in Conſtit. incip. *Sanctum & Salutare.* edita. 1588. §. *Et nihilominùs.* revocaverit privilegia Regularium, quæ in hoc puncto habuerunt, & licèt Clemens VIII. 1595. motu proprio, & ex certa ſcientia has literas Sixti V. ad terminos ſacrorum Canonum & diſpoſitionem Concilii Tridentini reduxerit, exceptis pœnis contra ſimoniacè Ordinantes & Ordinatos inflictis, quas vult in ſuo robore permanere, quia tamen idem Clemens VIII. Ejuſque Succeſſores confirmârunt privilegia Regularium cum clauſula: *Dummodò non adverſentur ſacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini*; Hinc Prælati Regulares poterunt ſibi ſubditos à cenſu-

cenſuris abſolvere; & in pœnis Simoniæ diſpenſare, adeoque ad officia, beneficia, vel dignitates obtentas vel adipiſcendas rehabilitare. Ratio ulterior eſt: Prælati Regulares poſſunt in ſubditos ſuos idem, quod Epiſcopi in ſuos: atqui Epiſcopi poſſunt virtute Tridentini *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* ſubditos ſuos à Simonia occulta abſolvere, & rehabilitare ad Ordines & beneficia tam obtenta, quàm obtinenda, dummodò excipias beneficia, quibus ob ſimoniam fuerunt privati, ut declaravit S. Congregatio habita in citatum locum Tridentini, ergo etiam Prælati Regulares id poſſunt reſpectu ſuorum ſubditorum Regularium.

Quòd ſi allegentur quædam Declarationes contrariæ, eæ non obſtant, quia non apparent authenticè, unde nec vim Legis obtinent. Sanchez *Lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 2. *n.* 10.

Nec dic: Pœna inhabilitatis & ſimiles ſunt inflictæ Simoniacis à D. Pio V. poſt Tridentinum, ergo facultas à Tridentino conceſſa non poteſt prodeſſe. ℞. N. conſeq. Cùm enim facultas à Tridentino conceſſa habeat vim Conſtitutionis vel Legis Conciliaris, latæ in Concilio generali; hinc à poſteriori Conſtitutione habente clauſulam tantùm generaliter derogatoriam, non abrogatur, niſi ejus in poſteriori fiat expreſſa mentio, *cap. Ex parte de Capellis Monachor. & Gl. ibi V. nulla mentio. cap. Nulli junct. Gl. V. fecerint mentionem de Reſcript.* atqui nec Conſtitutio Pii V. néc aliæ ſubſequentes oſtenduntur habere mentionem Tridentino expreſsè derogatoriam. Ergo. Admittitur quidem, quòd Pius IV. caverit,

 ne

ne unquam concedatur abſolutio à Simonia etiam occulta, ſed tam recipiens pecuniam, quàm eandem offerens ſint perpetuò inhabiles ad beneficium ſuper quo Simonia commiſſa fuit; Verùm hæc Conſtitutio ſolùm dirigitur ad praxin ſervandam in ſacra pœnitentiaria, cùm Papa ibi ſolos Pœnitentiarios alloquatur, qui ſolùm habent poteſtatem tantam, quanta illis conceditur ſpecialiter: Neque illorum poteſtas in aliquo Concilio fundatur, ſicut poteſtas Epiſcoporum in Concilio Tridentino fundata reperitur. Hucuſque fermè Donatus.

Petes: *An qui ſimoniacè obtinuit dignitatem, vel beneficium, poſſit abſolvi, dum dilatâ reſignatione procurat diſpenſationem, ſeu revalidationem tituli, an verò cogendus ſit ſtatim reſignare?*

℟. Si ſtatim ſine mora mitteret pro diſpenſatione, poteſt abſolvi, ſecùs ſi in hoc moras traheret. S. Antoninus 2. *p. tit:* 1. *cap.* 5. §. 11. *in fine*, Tabiena *v. beneficium.* 3. §. 5. *q.* 3. *&c.* Ratio; Fur vel alius damnificator injuſtus, ſi ſtatim petat remiſſionem vel condonationem à Domino, poteſt tantiſper differre reſtitutionem abſque peccato, & intereà abſolvi; ergo etiam ille Simoniacus. Imò licèt beneficium ſit *curatum*, ſi delinquens abſolveretur vel diſpenſaretur in irregularitate, quam contraxit ex delicto, v. g. celebrando vel miniſtrando in cenſura Sacramenta, poteſt, ſi res ſit occulta, & ſtatim mittat pro diſpenſatione, remanere in eadem adminiſtratione dignitatis vel beneficii per illud breve tempus, donec veniat

niat diſpenſatio. Ratio: Quando defectus tituli eſt occultus, relinquitur ad minimum titulus coloratus: atqui cum titulo colorato remanet vera juriſdictio, & jus adminiſtrandi Sacramenta, ergo etiam quando defectus proveniens ex delicto occulto eſt occultus, manet juriſdictio & jus adminiſtrandi Sacramenta.

§. XX.

De Schiſmaticis, An & quomodò ſint eligibiles?

Nota: Schiſma in genere eſt idem ac ſciſſio vel diviſio. Ex uſu Patrum & Theologorum hodiè ſumitur pro ſciſſura, vel diviſione, quâ aliqui ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparant, nolendo cum reliquis Catholicis communicare.

Poteſt autem unitas Eccleſiæ dupliciter ſcindi; Primò per hæreſim, quando quis deficit ab unitate fidei; de his ſatìs dictum §. 9. Secundò; quando quis permanendo in eadem fide cum Eccleſia, non vult cum ea in Sacramentis vel cultu divino communicare, aut renuit ejus capiti ſcil. Pontifici Romano ſubeſſe. Ut autem inobediens Pontifici dicatur verè Schiſmaticus, requiritur, ut inobedientia conjuncta ſit cum quadam rebellione, quâ quis ſe omninò vult ſubtrahere à ſubjectione ejus, quem novit certò eſſe Pontificem, aut ſaltem nullam habet probabilem rationem de ejus auctoritate dubitandi. Unde Schiſmaticus

non eſt, qui in aliqua re particulari Pontifici detrectat obedire ideò, quia præceptum videtur ſibi nimis difficile, aut eſſe contra ſolum honorem, aut temporalem utilitatem; aut quia putat Pontificem hic & nunc non poſſe ſibi talia præcipere &c. dummodò in genere agnoſcat ipſum eſſe Superiorem ſuum, & Caput Eccleſiæ. Quòd etiam ipſe Pontifex abſolutè loquendo poſſit fieri Schiſmaticus, docet Valentia *tom. 3. diſp. 3. q. 5. puncto 2. propoſ. 4.* quia abſolutè loquendo poteſt fieri, ut ipſe nolit cum omnibus reliquis Eccleſiæ membris communicare, ſed novum aliquem cœtum ſibi congregare, quo caſu Eccleſiæ unitatem ſcinderet. Vide Coninck *de actibus ſupernatural. diſp. 30. dub. 5.* his notatis

℞. Schiſmaticorum pœna eſt amiſſio juriſdictionis, excommunicatio latæ ſententiæ, inhabilitas ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, etiam poſt Schiſmatis pœnitentiam & privatio ipſo jure beneficiorum ante Schiſma adeptorum. Vide Sanchez *in Decal. tom. 1. Lib. 2. cap. 36. à n.* 10. Circa eligibilitatem textus eſt *in cap. Quia diligentia. 5. de Elect.* quòd Schiſmaticus, qui abjurato Schiſmate ad Epiſcopatum electus eſt, electio non teneat, poſſit tamen ex diſpenſatione confirmari, dummodò electio aliàs fuerit ſecundùm formam Canonum celebrata, & Schiſmaticus tempore Schiſmatis ab alio Schiſmatico nullum Ordinem ſuſceperit, aliudque nihil acceſſerit, quod Confirmationem ſpecialiter poſſit impedire.

§. XXI.

Digitized by Google

§. XXI.

De Apoſtatis, Qualiter ſint eligibiles?

Apoſtaſia in generaliſſima ſumptione eſt quævis rebellio ſeu deſertio. In majori rigore eſt, quando quis temerariè recedit à ſtatu fidei, vel obedientiæ aut Ordinis ſive Religionis, quam quis ſemel profeſſus eſt. Ex quo infertur Apoſtaſiam eſſe triplicem.

Prima eſt Apoſtaſia *à fide*, quæ etſi communi acceptione ſumatur pro omni hæreſi, ad quam Catholicus deſciſcit, ſtrictiùs tamen capitur pro tranſitu totali à fide Chriſtiana ad infidelitatem v. g. ad Judaiſmum, Paganiſmum, vel Mahometaniſmum, de hac vide §. 9.

Secunda eſt Apoſtaſia *ab Obedientia*, & in genere eſt omne peccatum, quo nos ſubducimus ab obedientia DEO præſtanda: magis ſtrictè eſt protervia, quâ quis formaliter, & ex contumacia Superiori humano legitimè præcipienti reſiſtit, & obedire penitùs detrectat. Hujus aliqua ſpecies eſt ſchiſma, de qua §. 20.

Tertia eſt Apoſtaſia *ab Ordine Eccleſiaſtico*, ſive Clericali, quando Clericus relicto Ordine, tonſurâ & habitu Clericali tanquam Laicus converſatur. Hi dicuntur verſari in Apoſtaſia, *cap. prætereà* 1. *de Apoſtatis*. Pro iſtis non reperitur aliqua pœna excommunicationis ipſo jure incurrenda, ſed relinquuntur prudenti arbitrio Epiſcopi puniendi, & ad reſumendum habitum, vel tonſuram compellendi, niſi ſint in Minoribus conſtituti, quibus liberum eſt ad ſtatum Laicalem reverti. Ita P. Ludovi-

doviçus Engel *in Collegio Juris Canon. Lib. 5. tit. de Apoſtatis. n. 7.*

Quarta eſt Apoſtaſia *à Religione*, quando quis Religioſum Ordinem profeſſus, non tantùm ſuum Monaſterium, ſed etiam omnia alia regularia deſerit, & in mundo tanquam ſæcularis Clericus vel Laicus verſatur cum animo nunquam ad Religionem redeundi. De hoc plura infra.

℟. Apoſtatæ, ſi redierint ad priſtinam Religionem & non fuerint pœnitentiati ab Officio Sacræ Inquiſitionis (de quibus vide §. 10.) & laudabili vitâ recuperaverint bonam exiſtimationem, per ſe loquendo, & præſcindendo à Conſtitutionibus contrariis cuivis ſtatui Religioſo fortè competentibus, non prohibentur eligi. Sanchez *Lib. 16. in Decal. cap. 7. n. 30. & 32.* cum aliis contra paucos. Ratio, Nullibi reperitur jus inducens inhabilitatem ad vocem paſſivam. Si Paulus IV. in quodam motu proprio ſanciverit contrarium, non eſt uſu receptum. Idem dic de ejectis, vel damnatis ad triremes revertentibus, vel tranſeuntibus ad alium Ordinum Mendicantium & redeuntibus. Non tamen decet tales Perſonas eligere in Abbates, quia non adeò frequenter optatus fructus ex iis poteſt ſperari. Statuta Præmonſtratenſia, *Diſt. 3. c. 11. §. 11.* De talibus ſic ordinant: *Nullus, qui vel ſemel apoſtataverit, in Abbatem vel Præpoſitum unquam promoveatur, niſi cum diſpenſatione Domini Præmonſtratenſis, & Capituli Generalis, qui eam non largientur, niſi de vera promovendi emendatione, & quòd cum ſubditorum profectu, & ſine ſcandalo præeſſe poſſit, clarè conſtiterit.* De voce activa

ibi-

ibidem, §. 12. Subditur: *Nec vocem habeant in Capitulo vel viſitatione, niſi in accuſatione ſui, quouſq; per Dominum Præmonſtratenſem vel Capitulum Generale fuerit cum eis miſericorditer diſpenſatum.*

Dub. *Quando Regularis cenſeatur verè Apoſtata à Religione?*

℟. Aliud eſt pro foro externo, aliud pro interno. Ut quis in foro externo habeatur pro apoſtata, adeoque pro foro hoc pœnas Apoſtatarum incurrat, requiritur copulativè, tum ut diſceſſerit ab Ordine ſine licentia, vel à Monaſterio, ſi voverit ſtabilitatem in loco, tum ut habitum dimiſerit, cum voluntate illum ampliùs non reſumendi. Ita refertur decidiſſe Rota Romana 11. *Februarii* 1555. Unde ſi quis diſceſſiſſet, ſed non depoſuiſſet habitum, vel ſi eum quidem depoſuiſſet, habuiſſet tamen animum reaſſumendi, non incurreret Apoſtaſiam qualificatam, quæ de jure communi infert irregularitatem & inhabilitatem ad dignitates. Ut quis in foro interno habeatur pro Apoſtata, ſufficit, quòd diſceſſerit à Religione animo non redeundi, etſi diſceſſus fiat habitu non depoſito. Sanchez *in Decal. Lib. 6, cap.* 8. *&c.* Ratio eſſe poteſt, quòd habitus & tonſura non faciant Regularem, ſed religioſa vita juxta regulas & præcepta Superiorum; ergo ſi quis in iſtis ſit refractarius, etſi gerat habitum, habendus eſt pro apoſtata in ordine ad hoc, ut poſſit excommunicari ut colligitur *ex cap. ut periculoſa. Ne Clerici vel Monachi in* 6. Ubi poſtquam diſtinctim actum fuiſſet de accedentibus ad ſtudia ſine licentia, & dimittentibus habitum, ſubditur: *Si Quis horum temerarius violator extiterit,*

titerit excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto. Infero. Ergò in ordine ad incurrendam excommunicationem ſufficit, quòd quis diſcedat à Monaſterio vel Religione, etſi habitum retineat, aliàs enim non fuiſſent divisivè expreſſi, ii, qui habitum dimittunt, & ii, qui accedunt ad ſtudia ſine debita licentia.

Ex his ſequitur I. non eſſe propriè apoſtatam, qui diſcederet à Monaſterio vel ordine ſine licentia, & ſine habitu, dummodò adſit animus revertendi, Quòd ſi aliquando in ſtatutis ſpecialibus Regularium decernatur tales furtivè egredientes habendos pro apoſtatis, eſt intelligendum ſolùm in ordine ad unum vel alterum effectum, v.g. ad imponendam pœnitentiam vel caſtigationem, non quoad omnes effectus alios v.g. inhabilitatis ad dignitates & beneficia, & ſimiles. Unde colligunt aliqui, quòd etiam ii non ſint propriè apoſtatæ, qui de nocte egrediuntur clauſuram ſine habitu & licentia, ad furandum, occidendum, vel aliud malum patrandum: Et hinc tales non ſolent æqualiter puniri cum verè apoſtatis.

Nec II. eſt propriè apoſtata (etſi peccet mortaliter) qui deliberatè diſcedere ſtatuit, etſi hoc etiam aliis manifeſtaverit, dummodò reipsâ necdum diſceſſerit. Ratio: pœnalia debent ſumi rigoroſè, at, qui deliberatè ſecum ſtatuit diſcedere, ille reipſâ necdum diſceſſit: ergo. Imò etſi reipſâ incepiſſet diſcedere, ſed ad brevem duntaxat moram, vel tantùm ad aliquas paſſus, ob parvitatem materiæ poſſet à pœnis incurrendis excuſari. Quòd ſi fortè interiùs habuiſſet animum mortaliter malum,

lum, is exteriùs non attenditur, quia de minimis non curatur, *cap. Etſi quæſtiones* 18. *de Simon. L. Scio.* 4. *ff. de in integrum reſtit.*

Nec III. In rigore eſt apoſtata, qui habitum dimittit ad breve tempus. Tempus iſtud aliter computatur pro interno, aliter pro externo foro. Pro foro interno ad incurrendam cenſuram ſufficit per horam ſe ſine habitu præſentaſſe hominibus. Pro foro externo veriſimiliter requiritur triduum, non computando diem diſceſſus à Religione, & diem, quo reverteretur, Ricciullus *Lib.* 8. *de jure perſon. cap.* 2. *n.* 31.

Nec IV. Eſt in rigore apoſtata, ſine licentia tranſiens ad alium Ordinem vel aliud monaſterium, ſive arctius, ſive laxius: talis enim habitum non deponit, nec Religionem deſerit abſolutè, ſed commutat. Poſſet tamen quandoque haberi pro fugitivo, & ſic ut apoſtata latè dictus puniri.

§. XXII.

De Aleatoribus, qualiter ſint eligibiles?

Nota 1. Alearum nomine in jure communiter ſignificatur omnis ludus, qui magis fortuna quàm arte regitur. Eſt ludus iſte prohibitus tam Clericis quàm Laicis; Clericis quidem, *cap. Clerici officia* 15. *de vita & honeſt. Cleric.* ibi. *Ad aleas & taxillos non ludant: nec hujuſmodi ludis interſint*; Laicis verò *L. ſolent. ff. de Aleat.* Notat Sanchez *Conſil. Moral. Lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 28. *n.* 8. Quòd jura præcitata, quatenùs agunt de Clericis, non comprε-

prehendant eos, qui in Minoribus, ſed tantùm qui conſtituti ſunt in Sacris, vel ſunt beneficiati; Secus eſt de Religioſo, etiamſi is non ſit Clèricus: Ludi enim alearum & taxillorum Religioſum valde dedecent ex genere ſuo.

Nota. 2. Ludum alearnm ſuſcipere parvitatem materiæ: hinc ſi Clerici vel Religioſi ſemel, bis, vel ter, aut ſi crebrò quidem, ſed ſolùm recreationis cauſa ad breve tempus ſecluſo ſcandalo ſic luſerint, non ſunt damnandi peccati mortalis, niſi ſpecialia Ordinis ſtatuta graviùs id prohibeant: Si verò huic ludo vacent, hoc eſt, Crebrò, & per longum tempus ludant, peccant mortaliter, & ſubjiciuntur pœnis à jure ſtatutis. Loquendo verò de laicis, ſi in loco, ubi ludunt, non vigeat lex ſub gravi pœna hunc ludum prohibens, ſecluſo ſcandalo, & aliis pravis effectibus, non peccant mortaliter. P. Martinus Wigandt *in Tribunali Confeſſar. tr. 8. Exam. 4. q.* 20. ℞. 4. Diana *p. 7. tr. 9. reſol. 3.*

Nota 3. Pœnæ contra Aleatores intentatæ ſolent intelligi de Aleatoribus publicis, non occultis, ut DD. communiter notant juxta textum expreſſum *Cap. inter dilectos. 11. de Exceſſib. Prælat.*

Nota 4. Per ſe loquendo Clericus aſpiciendo alios ludentes, non peccat mortaliter, niſi per hoc ludentes animet, vel det ſcandalum aliis; Et in hoc ſenſu intelligenda eſt *Auth. de Sanctiſſimis Epiſc. & Cleric.* ſeu *Nov.* 123. *cap.* 10. Ubi ſub pœna ſuſpenſionis trium annorum & recluſionis in Monaſterium, omnibus Clericis etiam Epiſcopis interdicitur, ne ad tabulas ludant, aut aliis ludentibus participes vel inſpectores fiant. His notatis

℞. Alea-

℞. Aleator publicus & manifeſtus eſt ipſo jure ineli-gibilis, ut colligitur *ex cap. Inter Dilectos. de Exceſſ. Prælat.* Ubi dicitur, quòd Aleator publi-cus non debeat ad dignitatem vel ſuccentoriam pro-moveri,& promotio hujuſmodi propter indignita-tem & vilitatem hujuſmodi Aleatoris ſit irritanda: ex quo videtur colligi electionem vel promotio-nem dictam non eſſe ipſo jure irritam. Innovantur ſimiles pœnæ in Concilio Trident. *Seſſ. 22. de Re-form. cap. 1.*

§. XXIII.

De ſcientia & literatura eligendi, qualis in eo requiratur?

℞. 1. In Eligendo ad Prælaturas & officia Ec-cleſiaſtica requiritur aliqua ſcientia congrua, ut patet *ex cap. cùm in cunctis* §. 1. *h. t.* Unde etiam *Cap. ult. de ætat. & ordin. præfic.* Epiſcopus jam promotus amovetur ab executione Officii ſui Pontificalis, eò quòd ſufficienti literaturâ fuerit de-ſtitutus.

℞. 2. In Epiſcopis eligendis optatur ſcientia eminens, vi cujus difficiles quæſtiones in promptu abſque indagine librorum poſſet reſolvere, nam *cap. 45. L. q. 1.* Dicitur: *Viliſſimus computandus eſt, niſi præcellat ſcientia & ſanctitate, qui eſt honore præ-ſtantior.* Hæc tamen eminens ſcientia non eſt ſimpli-citer neceſſaria: Unde ſufficit ſcientia mediocris & ſufficiens, vi cujus ſcienter ſciat & poſſit explere ea, quæ Officio ſuo incumbunt, ut patet ex textu ex-preſſo. *cap. Niſi cum pridem. §. pro Defectu. De Renun-*

Digitized by Google

Renunciat. Ibi: *Quanquam, etſi deſideranda ſit eminens ſcientia in Paſtore, in eo tamen ſit competens toleranda: quia ſecundum Apoſtolum, ſcientia inflat, charitas autem ædificat, & ideò imperfectum ſcientiæ poteſt ſupplere perfectio charitatis.* Ita ibi Quando verò Tridentinum *Seſſ. 22. cap. 2. de Reform.* de promovendo in Epiſcopum exigit, ut in Univerſitate Studiorum Magiſter, ſive Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theológia, vel jure Canonico ſit promotus, aut publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur; non eſt uſu receptum ubique. Unde inſpecto Jure naturali & divino ſufficit, quòd electus tantâ inſtructus ſit ſcientiâ, ut per ſe vel per Vicarium ac Miniſtros poſſit Officium ſuum ritè explere, & noverit prudenter uti ſuis Miniſtris, & de ipſorum actionibus dijudicare. Reiffenſtuel *tom.* 1. *ad Jus Canon. tit. de Elect. & Electi poteſt.* §. 9. *n.* 208. Dicta cum proportione intellige de Electis ad alias Dignitates.

Dub. *An Theologus ſit præferendus Juriſperito, vel illi, qui verſatus eſt in Jure Canonico?*

℞. Juxta Cardin. de Lugo *de Juſt. diſp.* 35. *Sect.* 1. *n.* 4. In beneficiis parochialibus, quæ non habent regimen vel juriſdictionem externam, præferendi ſunt Theologi, eo quòd Munera parochialia (quæ ſunt prædicare, audire confeſſiones, & reliqua Sacramenta adminiſtrare) meliùs hauriantur ex Theologia, quamvìs ex Jure Canonico etiam bonum adminiculum capiatur.

In reliquis beneficiis vel Dignitatibus Juriſdictionem externam habentibus, v. g. Epiſcopatibus

Digitized by Google

bus eſſet præferendus, qui utrâque ſcientiâ eſt imbutus. Si verò tam ambidexter non adeſſet, debet attendi ad qualitatem loci, in quo quiſpiam eſt promovendus, & ad ſtatum Eccleſiæ ejuſque controverſias, quas pertractare debet: & ſic promoveri is, qui in Domino videbitur magis idoneus; nam per modum regulæ generalis unum alteri præferre univerſaliter, eſt difficile. Debet quoque in contingentia facti attendi ad alias promovendi qualitates, ut v. g. præferatur, qui eſt magis dexter, magis expeditus, magis exercitatus, &c.

QUÆSTIO XI.

Quas Conditiones debeat habere Monialis eligenda in Abbatiſſam?

℟. Pleraſque, quæ *quæſt. præced.* ſunt allegatæ pro viris, cum proportione tamen in materia ad Moniales applicabili. Circa aliquas in ſpecie reſtat unum vel alterum dubium.

§. I.

De ætate & profeſſione Eligendarum.

℟. Ex jure communi debet Eligenda eſſe expreſsè profeſſ. Ordinem Regularem, & compleviſſe annum trigeſimum, *cap. Indemnitatibus. §. 1. de Elect. in 6.* Ubi diſpoſitio hæc extenditur ad Prioriſſas, ſi per illas Monaſterium totum regatur. Ex Jure novo Tridentini nihil eſt mutatum circa profeſſionem expreſſam, ſed ſolum circa ætatem Eligendæ, nam *Seſſ. 25. cap. 7. de Regul.* decernitur,

Digitized by Google

pitur, ut in Abbatiſſam, Prioriſſam, Præfectam, vel Præpoſitam non eligatur minor quadraginta annis, & quæ octo annis poſt profeſſionem laudabiliter vixerit. Si talis non reperiatur in eodem Monaſterio, debet aſſumi & eligi ex alio Monaſterio ejuſdem Ordinis.

Quòd ſi Superior Præſidens electioni judicaret, non expedire, ut ex alio Monaſterio aliqua aſſumatur, poſſet aliqua eligi ex eodem Monaſterio, quæ ſaltem annum trigeſimum exceſſerit, & quinque annis poſt Profeſſionem laudabiliter vixerit, conſentiente Epiſcopo vel alio Superiore. Ita Tridentinum *loc. cit.* ubi apponit clauſulam derogatoriam Regulis & Conſtitutionibus ſcujuſvis Ordinis.

Dub. 1. *An iſti quadraginta anni debeant eſſe completi, an ſufficiant inchoati?*

℞. *De jure communi* ſufficeret eſſe inchoatos. Ratio: Quando Lex duos habet ſenſus, benignior poteſt accipi (nam contra eum, qui Legem potuit clariùs dicere & non dixit, interpretatio eſt facienda, *cap. 57. de R. J. in 6.*) atqui Lex Tridentini habet duos ſenſus, unum de quadraginta annis completis, & alterum de iis tantùm inchoatis: ergo benignior poteſt accipi, ſcil. de iis tantùm inchoatis.

Dixi: *de jure communi*: nam contrarium refertur declarâſſe S. Congregatio. die 24. Sept. 1593. & hanc declarationem atque epiſtolam directam Epiſcopo Abulenſi in forma authentica penes ſe habuiſſe teſtatur Garzias *tom. 2. de beneſic. p. 7. c. 4. n. 71.* Vide Dianam *p. 7. tr. 12. Miſcel. reſol. 9.*

Dub.

Digitized by Google

Dub. 2. *An iſtæ conditiones, ſcil. profeſſio expreſſa, & ætas præſcripta ſint de ſubſtantia electionis ut alterutrâ abſente electio facta ſit ipſo jure nulla?*

℞. Affirmativè ſaltem juxta probabiliorem. Ratio: Licèt in Tridentino non ſit appoſita clauſula irritans actûs contrarii, præſcribitur tamen ibi forma electionis: atqui ubi verba dant formam electionis, ibi omiſſio formæ facit actum irritum ipſo jure: ergo.

Dub. 3. *Si in aliquo Monaſterio eſſent Moniales dignæ in gradu poſitivo, quæ habent annos ætatis quadraginta, & octo profeſſionis, adſint autem aliæ, quæ ſint magìs dignæ, ſed ætatem necdum habent completam, v. g. deficit adhuc unus vel alter menſis, an prætermiſſis prioribus poſſit eligi una ex iſtis?*

℞. Negativè: ita declaravit S. Congregatio, 16. Maji. 1623. quæ Declaratio, licèt ad omnes non pervenerit in ſeipſa, quia tamen refertur à viris graviſſimis, non eſt contemnenda. Et Ratio eſſe poteſt, quòd electio facta de una magìs quidem digna, ſed non habente ætatem legitimam, ſit facta contra formam à Canonibus præſcriptam: Unde ſic licet arguere: Perſona, quæ non habet conditiones de jure requiſitas, eò ipſo non eſt ſimpliciter digna & habilis: atqui poſteriores, quæ habent defectum ætatis, non habent conditiones de jure requiſitas, ergo eò ipſo non ſunt ſimpliciter dignæ & habiles.

Dub. 4. *Si duæ ad Prælaturam idoneæ concurrant, altera habens annos quadraginta ætatis,*

Digitized by Google

ſed nondum octo profeſſionis, altera habens octo profeſſionis, ſed nondum quadraginta ætatis, utra ſit præferenda?

℞. Extra caſum neceſſitatis, &, ſi adſit alia, quæ habeat conditiones ambas, neutra eſt præferenda: in neceſſitate debet præferri illa, quæ quoad conditiones reliquas eſt magìs digna: Si in iis omnibus ſint pares, eſt in libertate Eligentium, quam velint aſſumere.

Dub. 5. *An, ſi non poſſit haberi una habens annos ætatis quadraginta, & octo profeſſionis, debeat ſaltem aſſumi Senioriſſa ſubſequens?*

℞. Non debet præcisè Senioriſſa eligi, dummodò aſſumatur aliqua intra annum trigeſimum & quadrageſimum exiſtens. Ratio: quando ſemel data eſt licentia vel facultas recedendi à forma præſcripta & non oſtenditur alia reſtrictio, manet penes eligentes libera poteſtas: atqui quando non poteſt haberi una habens copulativè annos ætatis quadraginta & octo profeſſionis, data eſt facultas recedendi à forma generali electionis præſcripta, nec alibi reperitur poteſtas eligendi paſſivè ad ſolam Senioriſſam reſtricta: ergo

Dub. 6. *Quis ſuper ætate Eligendæ poſſit diſpenſare?*

℞. Nullus inferior Pontifice. Ratio: Nullus inferior poteſt diſpenſare in lege Superioris: atqui Conſtitutio Concilii Tridentini per generalem approbationem totius Concilii, facta eſt lex Superioris, ſcil. Pontificis approbantis: ergo non poteſt diſpenſari ab inferiori. Vide Aloyſium Riccium 4. *p. Deciſ. Cur. ArchiEp. Neapol.*

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De Illegitima, an ſit eligibilis?

℟. An Monialis illegitima poſſit eligi in Abbatiſſam, acriter diſputatur à DD. in utramque partem. Videtur probabilior eſſe ſententia negativa, quam tenent Tabiena. *verb. Abbatiſſa. in fine.* & *V. Virginis conſecratio. n.* 4. Sanchez *in Decal. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 19. Sayrus *Lib.* 6. *Theſauri. cap.* 11. *n.* 3. Layman *in qq. Canonicis*, *c. ult. q.* 229. ℟. 2. Pellizzarius *in Man. Regul. tr. ult. c.* 8. *q.* 31. *n.* 43. Fagnanus *in cap. Ut filii. de filiis presbyt. à n.* 25. *& ſeqq.* cum aliis. Ratio: Officium Abbatiſſæ ſimpliciter appellatur dignitas, *c. Indemnitatibus.* §. *ſanè. verſ. ut à dignitate dejiciatur adepta. de Elect. in* 6. atqui illegitimi ſunt generaliter incapaces dignitatis, *c. Ut filii.* 1. & *c. fin. de filiis presbyter. cap. cùm in cunctis.* 7. *de Elect.* ergo. Confir: In Jure appellatione maſculini continetur fœmininum, *L.* 1. *ff. de V. S.* atqui mares illegitimi non poſſunt eligi, per fusè dicta *q. preced.* §. 11. ergo nec fœminæ illegitimæ.

Nec dic 1. Irregularitas non contrahitur niſi in caſibus à jure expreſſis; atqui nullum jus reperitur, quod ob illegitimitatem declaret Moniales irregulares vel incapaces ad dignitatem conſequendam: ergo. Major conceditur à DD. communiter in materia de cenſuris. Minor probatur ex eo, quòd jura loquentia de hac irregularitate ſemper agant de maſculis, non de Monialibus. ℟. Argumentum probat nimium, adeoque nihil, probat enim quòd Moniales nullam omnino irregularitatem vel incapacitatem contrahant, quod ſic oſtenditur: Irregularitas de rigore juris non poteſt contrahi,

 niſi

niſi à baptizato, & de ſe capaci ſacrorum Ordinum, ut patet ex definitione Irregularitatis, & communi conſenſu Doctorum: atqui Moniales non ſunt capaces ſacrorum Ordinum; ergo ſi deberemus inſpicere ſolùm, quæ ſunt expreſſa in jure, Moniales nullam incurrent irregularitatem. Unde ℞. 2. D. Maj. irregularitas ſtrictè dicta non incurritur, niſi in caſibus à jure expreſſis C. minùs ſtrictè dicta N. maj. & conſeq.

Sicut Irregularitas Monialium non eſt talis ſecundùm rigorem juris, ſic etiam non debet menſurari ſecundùm totum rigorem juris; adeoque licèt Moniales non exprimantur in jure communi vel Conſtitutione Sixti V. aut aliorum Pontificum. ſufficit tamen paritas rationis, quòd ſcil. Illegitimæ æquè timeantur eſſe imitatrices incontinentiæ paternæ vel maternæ, ac maſculi. Unde etſi aliàs odia ſint reſtringenda etiam ibi, ubi eſt paritas rationis, id tamen poteſt explicari, quòd procedat in caſu, in quo utrumque debet ſtrictè menſurari ſecundùm punctum juris. Porro Monialium irregularitas alio & fortè magìs accommodo nomine vocabitur inhabilitas vel incapacitas ex Jure poſitivo.

Nec dic 2. Jura illegitimos inhabilitant ſolùm ad dignitates propriè dictas: atqui officia Abbatiſſarum non ſunt dignitates propriè dictæ: ergo. Prob. Min. dignitas propriè dicta habet juriſdictionem pro utroque foro, poli ſcil. & fori: atqui Abbatiſſa Monialium non habet juriſdictionem pro foro poli: ergo. ℞. Dictum eſt, quòd iſta in Monialibus non debeant menſurari ſecundùm ſummum rigorem juris; ſufficit, quòd Officium Abbatiſſæ vo-

Digitized by Google

cetur ſimpliciter dignitas, ut dictum in ratione Reſponſionis. Cum Monialibus in defectu Natalium poſſunt diſpenſare iidem Superiores, qui poſſunt cum ſuis ſubditis viris, de quibus vide §. 11. *dub.* 2. neque enim Moniales debent dici deterioris eſſe conditionis.

§. III.

De vidua vel corrupta, an poſſit in Abbatiſſam eligi?

℟. Si Monaſterium conſtaret ex meris viduis, vel non conſtaret quampiam eſſe corruptam, poſſet talis eligi, cùm nullo jure prohibeatur. Si conſtaret de amiſſione virginitatis, & eſſet vidua notoria, probabiliùs ſine diſpenſatione Pontificis, vel ejus Delegati, non poſſet eligi in Monaſterio, in quo aliæ ſunt virgines. Ita Diana 3. *p. tr.* 2. *de dub. Regul. reſol.* 99. Lezana *in Summa qq. Regul.* 1. *p. c.* 26. *n.* 5. & alii plures, contra Sanchez *in Decal. tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 5. *n.* 22. & alios. Ratio: Jura loquentia de eligendis in Abbatiſſas, ſubnectunt ſemper ejuſdem virginitatem, ut patet ex *c. Juvenculas.* 10. *XX. q.* 1. *& Gl. in c. quomodò.* 10. *XXXI. q.* 1. *V. eligatur. Gl. in Clem. Attendentes.* §. *Statuimus. v. rationabilis. de ſtatu Monachorum.* Idem refertur declaratum à S. Congregatione *die* 29. *Jan.* 1585. *&* 15. *Jul.* 1616. Quòd verò prætendatur Legi Pontificiæ eſſe præſcriptum, eò quòd viduæ reperiantur aliquoties electæ; Reſpondeo, vel viduæ fuerunt diſpenſatæ, vel fuerunt Fundatrices Monialium, aut novorum Monſteriorum, adeoque illarum electio bene fuit admiſſa, & celebrata: Si aliàs etiam viduæ ſint electæ, dicendum eſt, quòd non omnis praxis ſit authen-

Digitized by Google

theorica, & curanda; ſiquidem non exemplis, ſed Legibus judicandum eſt, *L. Nemo. C. de ſent. & interlocut. omn. Judicum.* Quòd de viduis, idem à fortiori dic de bigamis.

QUÆSTIO XII.

An Regulares tranſeuntes de una Religione ad aliam poſſint ad Prælaturas eligi?

℞. Si profeſſus Ordinem Mendicantium tranſeat ad non-Mendicantes, non poteſt eligi, etſi cum licentia ſpeciali tranſierit, niſi ſimul ad officia & dignitates alterius Ordinis fuerit habilitatus, poteſt autem, ſi tranſeat ad alium Ordinem Mendicantium, aut (ſicut alii communiter extendunt) ad Carthuſianos. Sanchez in *Decal lib. 6. c. 7. n. 109.* Eſt expreſſum *in Clem. 1. Ut Profeſſores. de Regular.* ubi expreſsè decernitur, quòd tales tranſeuntes ad Ordinem non-Mendicantium non poſſint aſſumi ad Prioratus, adminiſtrationes, aut quæcunq; officia, etiam tanquam Vicarii, vel aliorum locum-tenentes; quòdque curam animarum nec pro pro ſe, nec pro aliis poſſint exercere.

Quidquid autem in contrarium actum fuerit, ſit irritum ipſo jure, quovis privilegio non obſtante. Subditur poſteà, quòd Pontifex non velit hanc Conſtitutionem extendi ad eos, quibus conceſſit licentiam generalem tranſeundi ad approbatos alios Ordines, Ex quo rectè infertur, quòd, cùm licentia tranſeundi ad Carthuſianos ſit generalis, etſi iſte Ordo non ſit Mendicans, tranſeuntes tamen poſſint eligi in Priores. Neque hæc prohibitio comprehendit tranſeuntem de Ordine non-Mendicante ad quamcunque aliam Religionem, teſte Pellizz. *tr. 9. c. 2. n. 155. & cæteris.*

Portò

Porrò nomine *Officii* hic teſte Sanchez *loc. cit. n.* 127. venit Officium Sacriſtæ, Camerarii, Oeconomi, Syndici, Oſtiarii, Cellarii, Concionatoris, Lectoris quarumcunque facultatum: Poteſt tamen tranſiens promoverit ad gradus literarios, quia eſſe promotum non ſonat Officium. Quòd ſi profeſſus Ordinem Mendicantium, tranſeat ad non-Mendicantes, & poſteà pœnitentiâ ductus redeat ad ſuum vel alium Ordinem Mendicantium non comprehenditur ſub dicta Clementina, quæ cùm ſit pœnalis, non debet extendi. Pariformiter ſi profeſſus Ordinem Mendicantium fiat Epiſcopus, & cum licentia Papæ depoſito Epiſcopatu tranſeat ad non mendicantes, non comprehenditur ſub hac Clementina. Ratio: Hæc Clementina procedit de Mendicante ſimpliciter aſtricto ſuæ regulæ: atqui Regularis creatus Epiſcopus, etſi maneat ſimpliciter Religioſus & obligetur ad portandum habitum ſuæ Religionis, non eſt tamen ſimpliciter aſtrictus ſuæ Regulæ, ſed ſolùm ad ſummum, in quantum Obſervantiæ Regulares non impediunt Officium Pontificale (ut docet S. Thomas 2. 2. *q.* 185. *a* 8. *in O ex cap. un. Statutum XVIII. q.* 1. Ubi dicitur: *Quem canonica electio à jugo Regulæ Monaſticæ Profeſſionis abſolvit, & Sacra Ordinatio de Monacho Epiſcopum facit*) Ergo.

Comprehendit autem dicta Clementina omnes Mendicantes, non tantùm quatuor antiquos, de quibus *Cap. unde Religioſis domib. in* 6. ſcil. Ordinem Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, ſed etiam Religioſos Societatis Jeſu, etſi tantùm vota biennii emiſiſſent.

Digitized by Google

Quoad incapacitatem ad officia notat Pellizzarius *in Man. Regal. Tom. 2. tr. 7. cap. 6. Sect. 2. n. 63.* hanc pœnam vel quaſi pœnam non eſſe reſervatam Pontifici, adeoque per Superiores Ordinis poſſet in ea diſpenſari: Item *loc. cit. n. 66.* Cenſet eſſe probabile, quòd per dictum decretum prohibeantur ſoli Prioratus & adminiſtrationes intra Religionem, non quæ fortè obtinerentur extra Religionem, ut ſcil. in odioſis benignior fiat interpretatio. Hinc poſſet quis adhuc retinere Cathedram Doctoralem per accidens Monaſterio conceſſam, in qua agat Profeſſorem Theologiæ vel Canonum; non tamen poteſt retinere, vel accipere beneficium Parochiale, quia hoc expreſſè inhibuit Concilium Tridentinum. *Seſſ. 14. Cap. 11. de Reform.*

QUÆSTIO XIII.

An & quomodò Regulares promoti ad Epiſcopatum, depoſito Epiſcopatu redeuntes ad Religionem poſſint eligi ad Prælaturas Religionis?

℟. Non poſſunt eligi ad Dignitates, Officia & Superioritates: Imò ſi à Sede Apoſtolica concedatur, ut poſſint aſſumi & promoveri, non juvat illos, niſi ſpecialiter derogetur Conſtitutioni Pontificiæ, per quam declarantur ineligibiles. Ita Paulus IV. in Conſtitutione quadam inter ſuas ordine quartâ, in qua poſtquàm adjunxiſſet clauſulam revocatoriam privilegiorum contrariorum, tandem ſubdit: *Si quis eum de cætero ad dignitates ſeu Officia, aut Superioritatem hujuſmodi ſcienter elege-*

elegerit, jure eligendi perpetuo careat, ac voce activâ & paſſivâ ep ipſo privatus exiſtat. Cùm autem hæc Conſtitutio ſit odioſa, eſt intelligenda tantum de promotis ſtrictè ad Epiſcopatum, vel Archi-Epiſcopatum, non ad alias dignitates, v.g. Cardinalatum, Abbatiam & ſimiles.

Adverte, Si Pontifex ſemel Epiſcopo concedat licentiam revertendi ad Religionem cum omnibus juribus, voce activâ & paſſivâ, ita ut non obſtante Conſtitutione Pauli IV. poſſit eligi in Prælaturas Ordinis, poteſt vi hujus conceſſionis eligi, etiamſi depoſito Epiſcopatu tranſeat ad Ordinem non-Mendicantium, & licet in facultate conceſſâ non ſit facta mentio de tranſitu ad Ordinem non-Mendicantium; ſequitur *ex quæſt. præced.* Ubi dictum, quòd Religioſus factus Epiſcopus non comprehendatur ſub Clementina ibi allegata: ergo ex eo præciſè, quòd tranſeat ad Ordinem non-Mendicantium non debet à Dignitatibus Ordinis impediri.

QUÆSTIO XIV.

An & Quomodò poſſint eligi, qui directè vel indirectè, ſive pro ſe, ſive pro aliis procurant ſuffragia ad officia, aut Prælaturas Ordinis?

℞. Sunt ſimpliciter ineligibiles. Patet ex decretis Clementis VIII. & Urbani VIII. qui ſimpliciter declarant tales eſſe inhabiles: Ubi etſi non expreſsè nominentur ambientes *Prælaturas*, quia tamen

tamen ſimpliciter ponuntur ambientes officia, & favorabile eſt Ordinibus Religioſis omnes ambitiones eliminari, ideò ea decreta poſſunt & debent extendi ad ambientes Prælaturas Regulares.

QUÆSTIO XV.

An poſſint eligi ſecundò ii, qui in pœnam fuerunt depoſiti à Prælatura priùs legitimè poſſeſſa?

℞. Non poſſunt eligi: quia in talibus fama vacillat.

QUÆSTIO XVI.

An ſemel electus, ſi ejus electio caſſetur, poſſit ſecundò eligi ad regimen ejuſdem vel alterius Eccleſiæ?

℞. 1. Quando electio fuit caſſata ob vitium verum perſonæ electæ, non poteſt ſecundo èligi, donec vitium benefactis competenter diluerit, & de hoc conſtet, aut cum eo fuerit diſpenſatum, *cap. poſt translationem de renunciat.* Ratio: vitium perſonæ ſequitur ipſam perſonam: atqui perſona ſupponitur non eſſe mutata: ergo nec vitium erit mutatum: ergo ſi ſemel ob vitium electio non potuit admitti, nec ſecundò poterit admitti.

℞. 2. Si electio caſſetur ob defectum in modo vel forma eligendi commiſſum, non prohibetur eadem perſona ſecundò eligi etiam ad eandem Eccleſiam; hic enim defectus in ſecunda electione

eſt facilè emendabilis. Eſt hoc totum expreſſum *cap. ſuper eo. n2. de Elect.* ubi pro parte ſecunda ſubditur, *niſi fortè Simoniacæ pravitatis aliquid interceſſiſſe conſtiterit*; Sed de hoc vide ſupra *Sect.* 1. *q.* 15.

℞. 3. Si electus fuerit ab electione rejectus ob defectum *ſin. culpa*, & talem qui non eſt crimen, v. g. quia ob circumſtantias extrinſecas, aut ob infirmitatem expediebat illum pro tunc, vel pro tali loco non eligi, aut confirmari, erit eligibilis pro alio loco vel tempore, ubi dictæ circumſtantiæ vel infirmitas ceſſat. Et quidem, ſi morbus fuerit moraliter curabilis, & non ſolitus diu durare, ſpectabit ad eum, qui contra talem electum excipit, probare, quòd morbus adhuc duret. Sin verò morbus habeatur pro durabilibus vel incurabilibus, aut nonniſi difficulter curabilibus (qualis eſt amentia) ſpectabit ad electum probare, ſe eſſe ſanatum. Vide Layman· *ad Cap. ſuper eo. de Elect. n.* 2.

Unde formari ſolet regula, quòd ſemel ob vitium *verum* perſonæ ſuæ propriæ rejectus ab Electione, maneat deinceps ubique & perpetuò ineligibilis, uſque dumcum eo diſpenſetur, vel infamiam natam ex hac repulſa, pœnitendo de crimine, vel aliis benefactis ſufficienter deleverit, & de hoc conſtet.

Quòd ſi vitium fuerit merè *præſumptum*, poteſt ſtatim ſecundò eligi, quamprimùm ſe à vitio objecto & præſumpto purgaverit. Si verò rejectus ſit ob vitium *formæ* in electione intercurrens, aut ob alias circumſtantias mutabiles, poteſt errore vel vitio formæ correcto, aut circumſtantiis mutatis ſecundò eligi. Hinc etiam dici ſolet, quòd caſ-

latio

ſatio electionis ob vitium ipſius electionis non noceat electo, niſi fortè aliquid Simoniacæ pravitatis interceſſiſſe conſtiterit, *d.c.ſuper eo.*

In dubio, & ſi neſciatur an caſſatio ob vitium formæ an perſonæ facta ſit, inſpiciendum eſt, contra quid ſe oppoſuerit Electionis reſciſſionem petens. Si enim impugnaverit ſolam formam cenſetur electio caſſâta ex vitio formæ. Si exceperit contra defectus perſonales electi, cenſetur caſſata ex vitio perſonæ. Si Electio à Judice vel Superiore ex officio, nemine opponente caſſetur, benignior interpretatio eſt facienda, adeoque præſumitur caſſari ex vitio formæ.

QUÆSTIO XVII.

Si Electus tempore electionis laboraverit defectu aliquo ſubſtantiali, faciente electionem irritam, ſed poſteà tollat illum defectum, & acquirat qualitates debitas, v.g. obtineat legitimam ætatem, quam antea non habuit, an electio priùs facta poſſit ſubſiſtere, vel convaleſcere?

℞. Negativè: Quia quod à Principio nullum eſt tractu temporis non convaleſcit, *cap.* 18. *de R. I. in* 6. Debet ergo procurare diſpenſationem ſaltem occultam ab eo, qui habet facultatem diſpenſandi in prædictis defectibus, & ſimul petere confirmationem in dignitate, quam hucuſque detinuit: dummodò Confirmator titulum

reva-

revalidare poſſit. Vide *Sect.* 4. *q.* 5. De Confirmatione.

QUÆSTIO XVIII.

An Electus teneatur conſentire electioni de ſe factæ?

℞. 1. Simpliciter loquendo non tenetur conſentire, ſed poteſt ſtatim renunciare, dum ſibi electio primò præſentatur. Prob. ex *cap. Si Electio.* 26 *de Elect. in* 6. ibi : *Si Electio ex eo non ſortiatur effectum, quia electus conſentire recuſat* : infero: ergo Electus poteſt non conſentire. Idem conſtat *ex cap. Geſta.* 2. & *cap. ubi iſta.* 7. *Diſt.* 74.

Ad hanc renunciationem non requiritur licentia Superioris. Ratio: Quivis poteſt juri ſuo abſque conſenſu alterius renunciare, quando renunciatio non cedit in præjudicium tertii, & renuncians non eſt ſpecialiter prohibitus: atqui renunciatio electionis primò præſentatæ ex genere ſuo non præſumitur cedere in præjudicium tertii vel Eccleſiæ, nec ullibi reperitur renunciatio prohibita: ergo.

Nec obſtat *Cap. Quàm ſit. de Elect. in* 6. Ubi dicitur *Electus verò illum* (ſcil. conſenſum) *adhibere intra menſem à tempore præſentationis hujuſmodi teneatur* : Ergo electo non eſt liberum, conſenſum recuſare. ℞. textum citati Capituli non eſſe abſolutè præceptivum, ſed ſolùm ſub conditione, ſi electus velit retinere jus ſibi vi electionis quæſitum: aliàs, ſicut poteſt liberè nolle retinere jus per electionem acquiſitum, ſic poteſt nolle conſentire

ſentire electioni de ſua perſona factæ. Et hæc etiam locum habent in Religioſis, niſi obſtet ſpeciale ſtatutum vel præceptum Superioris.

Poteſt enim etiam Religioſus renunciare juri ſuo, niſi oppoſitum à Superiore juxta poteſtatem ſibi competentem ſit præceptum, & quidem poſitivè, ſi ſuperior ſolùm negativè ſe habeat, & non vetet renunciationem, cenſetur renunciatio eſſe conceſſa.

Dub. 1. *An Electus poſſit renunciare liberè, quando conſenſum quidem ex parte ſua præſtitit, ſed electio nondum fuit confirmata?*

℟. Affirmativè: Ratio eſt eadem, quæ ſupra. Nullibi enim reperitur prohibitus. Colligitur *ex cap. ſi electio. 26. de Elect. in 6.* Ibi: *vel poſt conſenſum renunciat juri ſuo.*

Dub. 2. *Ad quem devolvatur jus providendi Eccleſiæ viduatæ ſi Electus renunciet?*

℟. Ad Capitulum vel eos, qui priùs habebant jus eligendi, *Cap. Quam ſit. 6. de Elect. in 6.*

Dub. 3. *An ex tunc Electores habeant de novo tempus integrum præfixum ad electiones ordiriè faciendas?*

℟. Habent omne tempus, acſi facta eſſet nova vacatio; eſt expreſſum, *cap. ſi Electio 26. de Elect. in 6.* Dummodò in præmiſſis nihil fuerit actum fraudulenter; *ibidem in fine.* Cenſetur autem fraus committi, quando Electores in fine primi trimeſtris, quo inſtat electio facienda dicunt: Eligamus hunc vel illum, qui renunciabit, & ſic habebimus aliud trimeſtre novum.

Dub. 4. *An Electus ad dignitatem v. g. Prælaturam,*

turam, ſi ſe dignum judicet, peccet mortaliter, electioni renunciando?

℞. Si nullus alius idoneus adeſſet, vel per longam tergiverſationem immineret Eccleſiæ damnum, non poteſt primò electus abſque mortali renunciare. Colligitur ex *cap. In ſcripturis. verſ. qui renuit. VIII. q.* 1. & eruitur ex ratione: quia ille peccat mortaliter, qui ſuam commoditatem privatam præfert neceſſitati publicæ. Secùs eſt, ſi nulla urgeat neceſſitas, & alii adſint, qui judicantur æquè digni ad Prælaturam adminiſtrandam, tunc enim exemplum Chriſti & virtus humilitatis inſtigat ad declinandam honorifica Officia.

QUÆSTIO XIX.

Intra quod tempus debeat Electus conſentire electioni de ſe factæ, ne cadat jure per electionem quæſito?

℞. Si velit conſentire, aliqui ad cavendam ambitionis notam aliquod ſpatium deliberandi. Petunt, ita tamen ut infra menſem, hoc eſt, triginta dies, poſt intimatam electionem teneatur conſentire, *cap. Quàm ſit. 6. de Elect. in* 6. Et poſt conſenſum præſtitum tenetur hodiè infra menſem ceſſante legitimo impedimento petere Confirmationem, *cap. Cupientes.* 16. *eod. in* 6. per quod ex parte corrigitur *d. cap. Quam ſit.* quod conceſſerat, ut Confirmatio poſſit peti intra trimeſtre. Vide *Sect.* 4. *q.* 2. Cum autem Jura dicant, debere Confirmationem peti *ceſſante legitimo impedimento* ſequitur hunc menſem debere ſumi utilem, non continuum.

Poſt elapſum hoc tempus, ſi Electus non conſenſerit, ex tunc eſt eo ipſo privatus jure ſuo, quod ex electione ei fuerat acquiſitum; Niſi fortè ſit talis perſonæ electæ conditio, ut electioni de ſe celebratæ abſque Superioris ſui licentia conſentire non poſſit: quo caſu idem Electus, ſeu Electores ipſius conſentiendi licentiam ab ejus Superiore (cum ea celeritate, quàm Superioris ipſius præſentia vel abſentia permiſerit) petere & obtinere ſtudeant: Alioquin ſi lapſo tempore, pro ejuſdem Superioris præſentia vel abſentia moderando, hujuſmodi licentiam eos obtinere non contingat, Electores ex tunc ad aliam electionem procedendi liberam habeant facultatem. Ita *d. cap. Quàm ſit.* Ubi

Obſerva: In tali caſu Electus poſt licentiam conſentiendi à ſuo Superiore impetratam habet adhuc integrum menſem ad deliberandum, an velit acceptare Prælaturam, *arg. d. cap. Quàm ſit. junct. Gl. V. Conditio.* Pithing *b. t. n.* 258. &c. quia tempus à jure ſtatutum non currit legitimè impedito; *cap. Quia diverſitatem. 5. de conceſſ. præbend.* atqui Electus erat impeditus ad præſtandum conſenſum, antequam obtineret licentiam, ergo eouſque tempore tempus ipſi non cucurrit.

Dub. 1. *An ſufficiat electum conſentire conditionatè?*

℞. Si non ſit conditio, quæ ex ſe ſubintelligatur, non ſufficit: quia ob incertitudinem neſciretur, quiſnam eſſet Paſtor Eccleſiæ, conſequenter eſſet periculum, ne Eccleſia patiatur damnum. Hinc non valet, quando Electus dicit, *Conſentio, ſi mecum Papa diſpenſârit*; Vel, *ſi huic vel illi*

illi placuerit: iſtæ enim conditiones ſunt extrinſecæ, adeoque licet has apponens ex natura rei non cenſeatur renunciare; ſi tamen ante præfixum terminum non conſentiat abſolutè, privabitur jure ſuo, non tanquàm renuncians poſitivè, ſed tanquam non conſentiens negativè. Si verò quis dicat: *Conſentio, ſi mihi debetur*, valet, quia hæc conditio ſubintelligitur, etſi non apponatur expreſsè. Wagnereck *in cap. Electionibus, 2. verſ. ubi nota. de Elect. in 6.*

Dub. 2. *An Electus poſſit conſenſum ſuum præſtare ante electionem communem?*

℟. Quòd non poſſit auctoritativè conſenſum præſtare, etiam publicato jam Scrutinio, ut electione communi necdum factâ, dictum eſt *Sect.* 1. *q.* 6. §. 12. *dub.* 1. *petes.* 2. Si ergo utcunque ante electionem communem alicujus conſenſus exquiratur, ſic ſe gerere debet, ut non determinatè & abſolutè exprimat conſenſum in electionem, ne arguatur ambitionis; non tamen debet etiam abſolutè diſſentire, dicendo: *Nolo eligi:* ſed ſufficit dicere: *Obſequar voluntati DEI & Superiorum:* vel aliâ circumlocutione uti: v. g. *Opto me dignum eſſe, qui eligar,* &c. poſt electionem communem ſtatim conſentire poteſt, etſi honeſtas poſtulet, ut cum matura deliberatione id faciat.

Dub. 3. *An ſtatim cenſendus ſit renunciâſſe, qui dicit, ſe nolle conſentire?*

℟. Negativa à multis ſuſtinetur: eò quòd multi talia ex honeſtate & urbanitate proferre ſoleant, quæ tamen ad apicem, & præcisè, non ſemper ſtrictè ſunt ſumenda. Verùm ſi quis Electus ſe

nolle conſentire diceret tunc, quando ipſius conſenſus exquiritur cum expreſſione tali, fore ut ad aliam electionem fiat tranſitus, deberet ſibi ipſi imputare, ſi talis ejus reſponſio pro ſimplici renunciatione habeatur, & ad ſecundam electionem proceſſus inſtituatur.

Dub. 4. *An qui ſemel verè diſſenſit, poſſit poſteà voluntatem mutare, & electionem acceptare?*

℞. Poteſt, ſi Electores adhuc in priori voluntate perſtiterint, teſte Sanchez *de Matrim. lib.* 5. *diſp.* 32. *n.* 2. quod videtur limitandum: dummodò iſta acceptatio fiat adhuc infra tempus à jure conceſſum, hoc eſt, infra menſem: nam conſenſus hoc termino tranſacto præſtitus non eſt ampliùs efficax, ut patet ex dictis *q.* 20. Cùm tamen Electus poſſit abſque Superioris licentia ante Confirmationem obtentam, vel ſaltem antequam Confirmator Decretum ſive inſtrumentum electionis pro Confirmatione obtinenda ad ſe miſſum recepit, renunciare electioni in manibus eligentium; hinc ſi Electores talem renunciationem acceptârint, non tenentur ampliùs in priori voluntate perſiſtere, ſed poſſunt ad aliam electionem procedere, nullâ aliâ licentiâ vel Decreto Confirmatoris exſpectato: etſi pro tunc electum renunciationis à ſe factæ pœnituerit. Imò renunciatione hâc ſemel ritè acceptatâ non poſſunt poſteà abſque nova electione recipere Electum priorem pœnitere volentem, quia per renunciationem ſemel acceptatam omne jus Electi priùs acquiſitum fuit deperditum: Capitulum autem non poteſt denuò ad

Eccle-

Eccleſiam vacantem Jus tribuere ſine nova Electione: aut ad Summum illa receptio Electi pœnitere volentis deberet ſe habere ſicut quaſi-inſpiratio.

Si Electus diſſentiat vel renunciet re non ampliùs integrâ (quia nimirum inſtrumentum electionis, & negotium ad Confirmatorem jam eſt delatum, non poterunt Electores ſine Confirmatoris licentia ad novam Electionem tranſire.

Dub. 5. *Quid ſi electus ſine Superioris licentia conſentire non valeat?*

℞. De hoc clara eſt reſolutio *in cap. Quam ſit. 6. de Elect. in 6.* cujus verba licet recenſere: *Cupientes competentibus remediis vacationum diuturnitatibus obviare, hoc perpetuo Decreto ſtatuimus, ut ſi quando fuerit electio in aliqua Eccleſia celebrata, Electores electionem ipſam (quàm citiùs commodè poterunt) Electo præſentare, ac petere conſenſum ipſius procurent. Electus verò illum adhibere intra menſem à tempore præſentationis hujuſmodi teneatur. Quem ſi Electus ipſe ultra præſtare diſtulerit, jure (ſi quod ei ex ſua electione fuerit acquiſitum) ex tunc ſe noverit eo ipſo privatum. Niſi forſan ea ſit electæ perſonæ conditio, ut electioni de ſe celebratæ abſque Superioris ſui licentia, ex prohibitione, ſeu quavis proviſione Sedis Apoſtolicæ, conſentire non poſſit: quo caſu idem electus, ſeu electores ipſius conſentiendi licentiam ab ejus Superiore (cum ea celeritate, quam Superioris ipſius præſentia vel abſentia permiſerit) petere ſtudeant, & habere. Alioquin ſi lapſo tempore pro ejuſdem Superioris præſentia vel abſentia (ut præmittitur) moderando, hujuſmodi licentiam eos nequa-*

Digitized by Google

nequaquam obtinere contingat, Electores ex tunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem. Cœterùm quivis electus intra tres menſes poſt conſenſum electioni de ſe celebratæ præſtitum, Confirmationem electionis ipſius petere non omittat. Quòd ſi (juſto impedimento ceſſante) intra hujuſmodi trimeſtre tempus omiſerit, electio eadem eo ipſo viribus vacuetur. Ita ibi.

QUÆSTIO XX.

An validè & licitè eligatur, qui non eſt de gremio Capituli, ſed extraneus?

℞. Ex jure communi & per ſe loquendo talis poteſt eligi, debetque (ſi nihil aliud obſtet) extraneus habens majora & ſaniora confirmari; ut colligitur ex *cap. Cùm inter: de Elect. & Electi poteſt*: Unde extraneus, qui non eſt de Capituli gremio, non debet ſtrictè & ſolemniter poſtulari, ſed minùs ſtrictè, quod reipsâ idem eſt, ac eligi.

Dixi: *Ex jure communi:* Et: *ſi nihil aliud obſtet:* Si enim alicubi ſtatutum particulare, vel conſuetudo haberet, ut electio extranei ſit ipſo facto irrita, vel ad inſtantiam alicujus irritanda, electio erit talis, qualem ſtatutum aut conſuetudo indicat.

Porrò Si ſtatutum tale vel conſuetudo ordinaretur ad favorem & utilitatem eorum, qui de gremio ſunt, & in eiſdem expreſsè non prohibeatur electio extranei, poſſunt Electores huic ſuo

juri

juri renunciare, imò eligendo extraneum cenſentur ipſo facto juri renunciâſſe. Poteſt quoque in tali Lege vel ſtatuto (niſi auctoritate Apoſtolica ſit confirmata) diſpenſare etiam inferior Papâ, v. g. Capitula Generalia Regularium. Leurenius *Fori benefic. tom. 2. q. 293. n. 1.* Cum Paſſerino contra Sigiſmundum à Bononia & Rebuffum. Juxta eundem Leurenium *l. c. q. 294. n. 2.* ut quis dicatur naturalis vel oriundus ex tali Diœceſi, Provincia vel Regno in ordine ad hoc, ut capax efficiatur Beneficii vel Dignitatis requirentis hanc conditionem, ut quis oriundus ſit ex tali vel tali loco, ſufficit, quòd ejus pater in tali Provincia, Diœceſi vel Regno fuerit natus, quia à Nativitate vel propria vel paterna dicitur quis alicubi eſſe oriundus. Vide Barboſam, *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 4. n. 6.*

Nihilominùs per ſe loquendo, & ſic poſtulante honeſtate deberet aſſumi aliquis de gremio, dummodò adſit idoneus; quia illi, qui ſunt de gremio, regulariter ſunt utiliores ad bonum commune, majorem apud ſubditos habent favorem, præſumuntur majorem habere notitiam Jurium ſuæ Eccleſiæ, & ideò major concipitur ſpes, fore, ut cum majori utilitate illi invigilent.

Digitized by Google

SECTIO QUARTA.

De

Confirmatione Electionis.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Confirmatio?

℞. Confirmatio eſt approbatio vel ratificatio juridica Electionis præhabitæ, facta à legitimo Superiore, cui vel ex officio, vel ex delegatione confirmare incumbit.

Dicitur: 1. *approbatio vel ratificatio*, quia in rigore non ſufficit, quaſi paſſivè ſe habere, Electionem nec approbando nec reprobando: Si tamen ſine cauſa Superior Confirmationem denegaret, vel differret, poſſet ad hoc opportunis remediis compelli, ut infra dicetur in contextu.

Dicitur: 2. *juridica:* Licèt enim non requiratur certa forma in Confirmatione adhibenda, ipſa tamen Confirmatio eſt actus juriſdictionis.

Dicitur: 3. *facta à legitimo Superiore:* quia in iſtis accuratè obſervanda eſt ſubordinatio jurium, ut non quivis à quovis poſſit confirmari.

Dicitur: 4. *cui vel ex officio, vel ex delegatione confirmare incumbit:* ſi enim aliæ functiones poſſint per Delegatum perfici, cur non etiam Confirmatio ſic impendi?

QUÆSTIO II.

Quando Confirmatio Electionis ſit petenda?

℞. Electus poſtquàm Electionem acceptavit, tene-

tenetur jure antiquiori intra tres menſes à die conſenſûs ſui in Electionem præſtiti numerandos Confirmationem petere, aliàs juſto impedimento ceſſante finito trimeſtri cenſetur tacitè renunciâſſe, & Electio eo ipſo ſuis viribus vacuatur, *Cap, Quàm ſit 6. de Elect. in 6.*

Dixi 1. *Jure antiquiori*: Nam hoc poſteà jure recentiori per Nicolaum III. *Cap. Cupientes. 16. in princ. eod in 6.* Eſt ex parte immutatum, & ad menſem reſtrictum: Nam ibidem ſtatuitur, ut Electi ad Eccleſias Cathedrales vel Regulares, quorum Confirmatio ad Sedem Apoſtolicam pertinet, intra menſem à conſenſu præſtito numerandum, in perſona (vel ſi legitimè impediti fuerint, Procuratorem mittant) iter ad Sedem Apoſtolicam arripiant pro Confirmatione petenda, & cauſa Electionis proſequenda cum omnibus actis & momentis cauſæ. Finito menſe conſiderandum eſt tempus, infra quod ſpectatâ locorum diſtantiâ Electi commodè Romam venire poſſunt; Et præter tempus illud arbitrio boni viri æſtimandum, exſpectandum eſt diebus viginti, intra quos, ſi Electi perſonaliter non advenerint, aut juſtè impediti Procuratorem non miſerint, aut ſi is intra dies quindecim poſt dictos viginti numerandos, plenam fidem de impedimento nõ fecerit, electi omni jure, ſi quod eis per Electionem quæſitum fuert, privati exiſtunt.

Debent autem Electi imprimis probare impedimentum, quare perſonaliter non advenerint, & deinde hoc impedimento ceſſante tenentur nihilominùs perſonaliter comparere (niſi Procuratorem miſerint) alioquin amittent jus ſuum, *d. Cap. Cupientes. §. Inſuper.*

Si Electi perſonaliter comparuerint, aut Procuratorem miſerint, ſed ſine actis, juribus, vel momentis ſuis, incurrunt hanc pœnam, ut ad illa producenda extra Curiam nulla eis dilatio detur, niſi ex juſta cauſa, v. g. quia inſtrumenta ſecum delata amiſerunt, aut quia aliqua de novo ipſis opponuntur, *d. Cap. Cupientes* §. *Electus vero junct. Gl. v. ex juſta cauſa.*

Si Electus ad proſequendam Electionis ſuæ cauſam Romam perrexerit, ſed ante negotium finitum abſque ſententia denuò receſſerit, cenſebitur quoque jure per Electionem quæſito privatus eſſe eodem modo, ac ſi Romam accedere neglexiſſet; quia licet iſte caſus verbis expreſſis *in d. cap. Cupientes.* Non contineatur, comprehenditur tamen ſub mente Legislatoris, & ſub ratione, ac fine Legis, nam paria cenſentur non venire; & venire quidem, ſed ſine licentia recedere, non exſpectato cauſæ ſuæ fine, *Arg. Cap. Certum II. q.* 3. Imò idipſum expreſsè ſtatuitur *cap. ſi poſtquam.* 33. *de Elect in* 6.

Dicta de Electi acceſſu Romam versùs extendi ſolent ad eos, qui ab Electione vel Confirmatione ad Sedem Apoſtolicam appellärunt teſte Pirhing *ad tit. de Elect. n.* 315. *Arg d. Cap. ſi poſtquam.*

Denique hæc decretalis adhuc hodiè habet locum in Electionibus Eccleſiarum *Cathedralium*, quia vi Concordatorum Germaniæ Electiones iſtæ ad Sedem Apoſtolicam ſunt deferendæ pro obtinenda Confirmatione: Unde à contrario non habet locum in iis, quæ ad Sedem Apoſtolicam non ſunt deferendæ.

Dixi. 2. *Tenetur petere*: ſi enim petierit, etſi Con-

Digitized by Google

Confirmationem necdum impetrârit, non ideò debet eſſe in pœna, *Arg. cap. cùm inter Canonicos.* & *cap. cùm Dilectus. de Elect.*

Dixi. 3. *Juſto impedimento ceſſante:* Sic enim exprimit textus *cap. Quam ſit. 6. de Elect., in 6.* Ex quo infertur hoc tempus non eſſe continuùm, ſed utile. Juxta Gl. *in d. cap. Quàm ſit. v. impedimento:* Pro impedimentis juſtis habentur, infirmitas electi, viarum diſcrimen, Superioris Confirmatoris impedimentum, frequens Curiæ mutatio, tempeſtas maritima, vis fluminum, ſi per talia debeat haberi tranſitus &c. ubi.

Obſervandum 1. Juxta communem DD. ſi Electus fuerit impeditus, non tenetur Confirmationem petere per Procuratorem, niſi juxta terminos *cap. Cupientes.* de quo ſupra.

Obſervandum. 2. Qui intra tempus à Jure præfixum Confirmationem non petiit ex titulo impedimenti, tenetur ſuum impedimentum docere & probare.

Dixi. 4. *Electio eo ipſo ſuis viribus vacuatur:* ſic enim habet expreſſus textus *d. cap. Quàm ſit.* Ex quo patet, quòd hæc pœna ſit *ſententiæ latæ*, ita ut non requiratur alia declaratio ſuper privatione Juris Electo quæſiti, teſte Pirhing. *ad tit. de Elect. n.* 308. Hinc ſi Electus poſt tempus à Jure præfixum Confirmationem modò petat, & obtineat, Electio non ideò convaleſcet, quia hæc jam fuerat [illegible] & viribus evacuata, adeoque etiam Confirmatio ſuperveniens (tanquam acceſſoria Electioni) erit nulla ipſo jure: Niſi fortè Confirmatio *ex certa ſcientia* facta fuiſſet per illum, qui aliàs dignitatem

vacan-

vacantem ſuo jure conferre potuiſſet, teſte Reiffenſtuel *ad Jus Canon. Tom. 1. tit. de Eccl. n. 319.*

Ex dictis ſequitur, quòd in hoc caſu negligentiæ in petenda confirmatione commiſſæ Capitulum recipiat Jus ac poteſtatem procedendi ad novam Electionem, ac ſi nova contigiſſet vacatio, juxta *cap. ſi Electio de Elect. in 6.* Ita ut etiam tempus integrum trimeſtre à Jure communi ad eligendum conceſſum Electores recipiant. Unde propterea, quòd Electus neglexerit petere Confirmationem jus providendi Eccleſiæ viduatæ non devolvitur ad Superiorem: niſi Electio Papæ jam eſſet præſentata: tunc enim ſicut per appellationem, ſic per hanc præſentationem ligantur manus quorumcunque inferiorum Pontifice.

Dub. 1. *An trimeſtre à Jure communi pro petenda Confirmatione conceſſum poſſit abbreviari, adeoque ſuperior electum valeat compellere, ut citiùs Confirmationem petat?*

℞. Poteſt cum cauſa legitima: quia ſuperior ex officio utilitatem Eccleſiæ promovere poteſt, poteſt autem utilitatem Eccleſiæ concernere, ſi Confirmatio citiùs petatur. Unde illud trimeſtre indulgetur Electo, ut anteà non cenſeatur negligens: non tamen per hoc ligatur Superior, ut tempus illud ex cauſa rationabili nequeat abbreviare.

Dub. 20. *An Confirmatio poſſit concedi, etſi non petatur?*

℞. Si Confirmatori conſtet de legitimitate Electionis, & de Electi conſenſu, poteſt etiam nullo inſtante, quandocunque voluerit (& vel maximè

ſi

Digitized by Google

ſi acceſſerit utilitas Eccleſiæ) Electionem confirmare. Sequitur ex ratione *dub. præced.* allegata, quòd Superior ex Officio, etiam nullo inſtante, utilitatem Eccleſiæ valeat promovere. Quid ſit de Electo invito dicetur. *q.* 3.

Dub. 3. *Intra quod tempus Confirmatio ſit danda?*

℞. Aliqui cenſent, debere fieri intra tres menſes. Quod Donatus *Tom.* 2. *tr.* 7. *q.* 3. *n.* 1. Colligit *ex cap. Ne pro defectu. de Elect.* Ibi: *Ad quem devoluta poteſtas non differat ultra tres menſes.* Verùm cum hic fiat expreſſa mentio *poteſtatis devolutæ* hinc alii inferunt, quod *in curſu ordinario* nullum tempus certum reperiatur in Jure præfixum, intra quod Confirmator Electum confirmare teneatur. Deberet tamen Confirmatio, quamprimùm commodè poteſt fieri. Et ſi Confirmator dilationes non neceſſarias faciat, ab ejuſdem Superiore peti poteſt, ut is eum compellat, vel terminum præfigat, cum intimatione, ut niſi intra hoc ſpatium confirmatio concedatur, ipſe Superior Jure devoluto ſit confirmaturus. Vide Barboſam *Juris Eccleſ. Lib.* 1. *cap.* 19, *&c.*

QUÆSTIO III.

An Electus poſſit invitus confirmari?

℞. Ex jure communi, negativè: Ratio: Confirmatio ſupponit jus actu vigens in Electo, quod per Confirmationem eſt ſtabiliendum; atqui ſi ante Confirmationem Electus ſit verè invitus, non habet jus ex electione per Confirmationem ſtabiliendum

liendum: ergo non poteſt invitus confirmari. Minor probatur: Electus, dum ante Confirmationem eſt vere invitus, validè, & licitè, renunciat juri per Electionem ſibi quæſito, ut dicitur de Eligendis. *q.* 19. ſed qui renunciat juri ſuo validè & licitè, jus illud non habet amplius: ergo. Aliqui probant ex eo, quòd Electus dicatur Sponſus Eccleſiæ, ad quam eligitur, *cap. Inter Corporalia. de Translat. Epiſc.* Non poteſt autem quis fieri ſponſus, niſi conſentiens. Verùm etſi hæc ratio optimè probet de Epiſcopis, in Dignitatibus tamen Epiſcopatu inferioribus multi Doctores fundati non volunt agnoſcere Matrimonium aliquòd ſpirituale, ut dicetur *p. 2. q.* 16. De Poſtulatione. Hinc ratio primò poſita videtur eſſe magis univerſalis & præeligenda.

QUÆSTIO IV.

An & quale jus adminiſtrandi habeat Electus ante Confirmationem?

℟. Per ſe loquendo non habet jus adminiſtrandi, quantumcunque ſolenniter fuerit electus, antequàm confirmetur, *cap. Noſti.* 9. *cap. Qualiter.* 17. *de Elect. cap. jam dudum* 18. *de Præbend.* Imò *cap. avaritiæ.* 5. *de Elect. in* 6. Statuitur, quòd ingerens ſe adminiſtrationi ante Confirmationem, eo ipſo privetur jure ſuo.

Quin etiam ſi contingeret, quòd Eccleſiæ Oeconomus, aut Procurator, Proviſor, vel Burſarius (ut in diverſis Ordinibus Religioſis nominari ſolet) eligeretur in Prælatum, deberet ſtatim ab adminiſtratione ceſſare, ut cum Paſſerino, Joanne Andrea & Verall: Docet Leurenius *de Vicariis, tr.* 3. *q.* 523. qui

Qui cum Lotterio hoc intelligit de Oeconomo vel Procuratore ad liberum alterius arbitrium conſtitutis, ſecùs eſt de eo, qui ex conſuetudine vel privilegio, aliovè Jure ſpeciali haberet adminiſtrationem Epiſcopatus, vel Prælaturæ vacantis, talis enim ſi eligeretur, poſſet ante Confirmationem in adminiſtratione pergere, teſte Pirhing. *ad tit. de Elect. n. 292. in fine.*

Vi hujus prohibetur Electus ante obtentam Confirmationem per ſe vel per alium recipere à Clericis vel Laicis juramenta obedientiæ & fidelitatis, *Cap. Qualiter* 17. *de Elect.* concedere honores vel Præbendas, vel aliâ ratione diſponere de rebus Eccleſiæ, *cap. Noſti. 9. eod.* in Officio, ad quod electus eſt, miniſtrare, *cap. cùm jam dudum* 18. *de Præbendis.* Excommunicare, interdicere, abſolvere, cenſus & debita recipere, vel habere curam colligendorum & conſervandorum fructuum, *Gl. in cap. Avaritiæ 5. v. in ſpiritualibus. & v. Temporalibus: de Elect. in 6.* Non tamen prohibetur facere præparatoria ad futuram adminiſtrationem, teſte Engel. *h. t. n. 51.* multò minùs recipere inſtallationem, vel introductionem ſui in ſtallum ſeu Sedem Prælati, ut patet ex praxi. Dixi: *Per ſe loquendo*: nam ex accidenti excipiuntur caſus aliquot, ut ſequitur:

Primo. Summus Pontifex, poſtquàm à duabus Cardinalium partibus electus, electionem acceptavit, poteſt ſtatim adminiſtrare, *cap. Licèt 6. h. t. junct. Extrav. Quia nonnulli de Sent. excom.*

Secundò: Imperator, quamprimum à majore

Ele-

Electorum parte eſt electus, habet jus admini-ſtrandi Imperium, etſi necdum ſit à Romano Pontifice confirmatus vel coronatus, ut habet communis tam Canonici, quàm publici Juris Doctorum, ſic aſtipulante conſuetudine & Aureâ Bullâ, *tit.* 2. §. *Et quia.* Si tamen Electores ſex, ſeptimo aut reliquis mortuis, vel voto ſuo pro hâc vice renunciantibus, aut privatis in diſcordia paribus votis eligerent duos, ſpectato Jure communi, & juxta Auream Bullam neuter haberet Jus adminiſtrandi, ut colligitur ex citata Bulla *cap.* 2. §. *Præſtito.* Ubi præcipitur, ut Electores de civitate Francofurtenſi non exeant, niſi priùs major pars ipſorum temporale Caput Mundo elegerit.

Tertiò: Poteſt ſuperior concedere licentiam aut privilegium, ut Electus liberè adminiſtret, etiam ante obtentam Confirmationem: Unde qui talem licentiam vel privilegium obtinet, securè procedit.

Quartò: Si ipſe Papa mitteret aliquem ad Epiſcopatum vel aliam dignitatem poſſidendam, non opus eſt ulteriori Confirmatione ad adminiſtrandum jura ſuæ Eccleſiæ. Idem videtur eſſe in caſu, quo Superior, ad quem aliàs jus confirmandi ſpectat, electione ad ſe devolutâ aliquem ad dignitatem vacantem mitteret vel nominaret. Deberet tamen taliter miſſus, etiamſi à Papa mitteretur, exhibere literas Pontificias, non quaſi literæ eſſent de ſubſtantia Prælaturæ vel Collationis, ſed ſolùm de ſubſtantia probationis; aliàs non obligatur Eccleſia vacans miſſum

vel

vel nominatum recipere. Ita *Extrav. communi Injuncta. de Elect.*

Quintò: Generales quorundam Ordinum v.g. Societatis JEſu, vel Prædicatorum, aliorumque Ordinum cum his in privilegiis communicantium, dicuntur habere plenam & omnimodam curam & adminiſtrationem omnium rerum & perſonarum ſuæ Religionis. Imò Donatus *tom. 2. prax. Regularis. p. 1. tr. 6. q. 2. n. 6.* ait, hodiè Generales fermè omnium Religionum, ſtatim ac electi ſunt, cenſeri confirmatos per privilegia illis conceſſa, quod an in praxi ſemper procedat, quilibet ex privilegiis & uſu ſui Ordinis addiſcet.

Sextò: Prælati immediatè ſubjecti Papæ, ſi ſint electi in concordia, & ſint ab Urbe Roma valde remoti (quales ſunt Ultra-ſive Citra-Montani, ſeu extra Italiam conſtituti) poſſunt ſtatim abſque ulteriori Confirmatione, ſaltem ſi ibi non eſſent Legati Pontificis, adminiſtrationem tam in Spiritualibus, quàm Temporalibus aggredi, *cap. Nihil eſt. de. Elect.* Prohibetur tamen ibidem, ne faciant aliquam alienationem ſubintellige, niſi ob urgentem neceſſitatem, vel aliam juſtam cauſam.

Septimò: Quando Abbatiſſa electa à majori parte, non tamen à duabus partibus, impugnatur, ne confirmetur, poteſt interim liberè adminiſtrare tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, ſic tamen, ut de rebus Monaſterii nihil penitùs alienet, nec aliquam in Monialem recipiat quoquo modo, *cap. Indemnitatibus. 43. §. ſi verò. ad illam, de Elect. in 6.*

Octavò: Cenſent aliqui etiam conſuetudine poſſe introduci, ut non confirmatus poſſit adminiſtrare: Verùm cùm Summarium *in cap. cùm venerabilis.* 7. *aſtipulante Gl. V. conſuetudinem. de conſuet.* exprimant contrarium, hinc cum Fagnano *in d. c. Cùm venerabilis. n.* 2. 7. & 13. ſimpliciter tenendum eſt, non valere talem conſuetudinem. Ratio: Hæc conſuetudo eſſet Eccleſiis perniciosa: ſi enim illa valeret, omitteretur inquiſitio in perſonæ electæ qualitates, quæ tamen inquiſitio fieri debet ante Confirmationem, *cap. Cùm nobis.* & *cap. Venerabilem de Elect.* omiſsâ autem inquiſitione facilè ſubrepere poteſt indignus, per quem Eccleſia multùm poteſt damnificari. Unde ſic arguo: Conſuetudo Eccleſiis perniciosa non tenet: *cap.* 1. *de conſuet.* ſed conſuetudo, vi cujus Electus abſque Confirmatione obtenta poſſet adminiſtrare, eſt perniciosa Eccleſiis, ergo non tenet.

Nec dic 1. Ex hac ratione ſequitur, quòd nequidem ex privilegio poſſet alicui competere facultas adminiſtrandi nondum obtenta Confirmatione, quod eſt contra *cap. Statuimus.* 1. *de ſuppl. neglig. Prælat.* & ſpecialiter contra *cap. Nihil eſt de Elect.* Nam æquè parum ſubſiſtit privilegium Eccleſiis perniciosum, ac conſuetudo perniciosa: ergo vel debet dici, quòd jus adminiſtrandi nondum obtentâ Confirmatione, non præſumatur ex genere ſuo Eccleſiæ perniciosum, vel debebit dici, quòd etiam illa privilegia corruant. ℞. cum Fagnano *l. c. n.* 11. Poteſt dici, Papam habere tantam fiduciam de aliquibus, ut etiam ſine ulteriori inquiſitione Electiones velit eſſe ratas,

ac

ac confirmatas, vel facultatem adminiſtrandi concedere, quod eruitur ex ſimili: Sic ſi pater det tutorem filio emancipato, Prætor eum tutorem confirmat ſine inquiſitione, §. *Sed hoc. Inſt. de Satisdatione Tutorum.* Cujus ratio eſt, quòd Jus habeat fiduciam de tutore per patrem dato: ergo etiam poteſt dici, quòd Pontifex habet fiduciam de aliquibus Epiſcopis (qui ſunt quaſi tutores Eccleſiarum) ut eos ſine inquiſitione ulteriori velit confirmari.

Quòd dicatur tale privilegium fore pernicioſum, Reſpondetur, hoc periculum tunc præſumitur eſſe remotum, adeoque non curandum.

Nec dic 2. Quod poteſt privilegium, poteſt etiam conſuetudo, unde conſuetudo parificatur privilegio ut ait Gl. *in cap. Novit ille.* 13. *v. conſuetudinem. de judiciis.* citans *cap. Conqueſtus. IX. q.* 3. *cap. Quia ſancta. diſt.* 63. *c. Quia per ambitiones. diſt.* 64. atqui ex conceſſis, poteſt induci per privilegium, ut neo-electus adminiſtret abſque Confirmatione, ergo idem poterit induci conſuetudine. ℟. D. Maj. quòd poteſt privilegium, etiam poteſt conſuetudo, quæ non eſt irrationabilis, nec pernicioſa C. ſi ſit talis N. Maj. conſuetudo generalis adminiſtrandi abſque Confirmatione præſumitur ex genere ſuo eſſe pernicioſa, ut explicatum ſupra in probatione.

Dub. 1. *An dicta procedant ſolùm de conſuetudine ordinaria, an etiam de immemoriali?*

℟. Procedunt de utraque. Ratio: Quando jura reprobant conſuetudinem tanquam corruptelam, ea non ſubſiſtit etſi ſit continuata à tempore immemoriali;

riali: atqui hæc conſuetudo ſic reprobatur *d. c. Cùm venerabilis. de conſuet.* Ibi: *Cùm igitur hæc non tam conſuetudo, quàm corruptela meritò ſit cenſenda, quæ profectò ſacris eſt Canonibus inimica, ipſam mandamus de cætero non ſervari*: ergo.

Licèt autem contextus non videatur fortè uſquequaque expreſſivus de adminiſtratione, quam neo-electus ante Confirmationem obtentam aggreditur, quia tamen ſic exprimit Summarium & Gloſſa, & Canoniſtæ ſic communiùs extendunt, hinc etiam cenſendum eſt, quòd iſta cenſura, quâ conſuetudo vocatur corruptela, eò rectè extendatur.

Dub. 2. *An ſufficiat ad aggrediendam adminiſtrationem, quod neo-electus Confirmationem petierit, licèt actu non obtinuerit?*

℞. Non ſufficit: Ratio: Jura dicunt, Neo-electum non poſſe aggredi adminiſtrationem, antequàm ſit confirmatus, ut patet *ex c. Qualiter. 17. & c. Nihil. 44. de Elect.* Sed qui ſolùm petiit, necdum tamen obtinuit Confirmationem, nondum poteſt dici confirmatus, ergo nec poteſt adminiſtrationem aggredi.

Nec obſtat, quòd *in cit. cap. Cùm venerabilis. de conſuet.* dicatur quaſi alternativè: *Confirmatione nec habitâ nec petitâ.* per hoc enim non innuitur, quòd alterutrum ſufficiat, ſed ſolùm ſpecies facti diſtinctiùs exprimitur, & aggravatur.

Dub. 3. *An etiam Poſtulati cadant jure vel quaſi jure ſuo, ſi ſe ſtatim ingerant adminiſtrationi, ante quaſi-Confirmationem vel admiſſionem poſtulationis?*

℞. Affirmativè, ita *c. 23. Bona memoria. de Elect.*

Eſt

Eſt tamen quædam differentia inter *Electum* & *Poſtulatum*, quòd *Electus* tunc quidem jus ex electione quæſitum amittat, Eligentes tamen non priventur jure eligendi, neque electio ſit irrita, ſed ſolùm irritanda, *c. qualiter.* 17. *de Elect.* Aſt *poſtulatio* juxta *d. cap. Bonæ memoriæ.* eſt ipſo jure nulla, & Poſtulatores Poſtulatum ſic recipientes ad adminiſtrationem, eâ vice privantur poteſtate eligendi & poſtulandi: ipſa verò poteſtas eligendi devolvitur ad reliquos Capitulares, licèt pauciſſimos, & ſi hi fuerint delicti complices, ad Pontificem.

Dub. 4. *Quæ ſint pœna Electi. qui ante obtentam Confirmationem adminiſtrationi ſe ingerit?*

℞. I. Sive in totum ſive pro parte, per ſe ipſum vel per alium hoc faciat quocunque colore, etiam ſuo nomine Oeconomi vel Procuratoris, *ipſo facto* privatur Jure ſibi ex Electione quæſito, *c. Avaritiæ* 5. *junct. gl. v. Privatos. h. t. in* 6. Fagnanus *ibi. n.* 10. & Layman *ibid. n.* 1. contra Pirhing *h. t. n.* 292. & nonnullos alios docentes, dictam pœnam privationis ipſo jure ſolùm infligi in eos, qui poſtquàm ſunt electi adminiſtrant ſub nomine *Procuratoris* vel *Oeconomi*, aut *alio quæſito colore*; non qui adminiſtrant ſub nomine *Electi:* eò quòd correctio Jurium ſit vitanda, & tales Jure antiquo non *ipſo jure* privati, ſed ſolùm *privandi* fuerint, *cap. Qualiter.* 17. *de Elect.* ibi: *Electionem de ipſo factam duximus irritandam.*

II. Caſſatâ electione ſimul omnia ab ipſo vi talis uſurpatæ juriſdictionis & officii geſta ſunt caſſanda, *d. cap. Qualiter. in fine.*

III. Poſt electionem hanc caſſatam, idem non

poterit poſteà ad eandem vel aliam Prælaturam eligi, quia prior electio tunc cenſetur caſſata ex vitio perſonæ, adeoque illi obſiſtit *cap. Super eo.* 12. *eod.* non tamen reperitur privatus eſſe beneficiis reliquis ab eo priùs habitis.

Dub. 5. *Quinam cenſeantur Electi in Concordia, ad hoc ut illis juxta dicta, ſupra caſ. 6. cenſeatur conceſſa adminiſtratio ante Confirmationem?*

℞. Non eſt neceſſe, ut ſint electi omnium votis nemine diſcrepante: quia aliàs cùm electio tam unanimis raró contingat, Eccleſiæ parum aut ferme nihil utilitatis ex conceſſione *d. cap. Nihil eſt:* haberent. Ita habet communior DD. contra Fagnanum *in c. Nihil eſt n.* 12. *h. t.* Hinc Layman *in d. c. Nihil eſt. n.* 6. & *in c. In cauſis.* 30. *n.* 4. *eod.* Pirhing *h. t. n.* 297. &c. cenſent hìc illam electionem haberi factam *in concordia*, quæ facta fuit vel ab omnibus, vel ſaltem à majori parte, ita ut minor pars conſentire debeat, nec habeat rationabilem cauſam contradicendi, *arg. cap.* 1. *De his quæ fiunt à majori parte Capituli.* Econtra ſi appareat unus vel alter contradictor, qui electioni factæ ſe opponat, cenſetur electio facta in diſcordia, *gloſſ. in cap. Quorundam.* 24. *v. In Diſcordia. h. t. in* 6.

Dub. 6. *An hæc diſpenſatio vel conceſſio adminiſtrationis ante obtentam Confirmationem adhuc vigeat?*

℞. ArchiEpiſcopi & Epiſcopi Germaniæ poſſunt de facto hâc facultate adminiſtrandi uti Layman *in d. c. Nihil eſt. n.* 12. Pirhing *h. t. n.* 303. &c. Contra Paſſerinum &c. quia hæc conceſſio eſt favorabilis facta propter neceſſitates & utilitates Eccle-

ſiarum

Digitized by Google

ſiarum diſſitarum: ergo non reſtringenda, ſed extendenda eſt. Præterea: Correctio Jurium eſt vitanda: ergo non debet de facili dici quòd conceſſio *in d. cap. Nihil eſt.* ſit correcta, niſi oſtendatur textus liquidò contrarius correctorius: at talis textus non oſtenditur: nam *Extrav. Injunctæ. inter comm. de Elect.* quæ videtur contrariari, non agit de iis, qui extra Italiam ſunt legitimè & in concordia electi, ſed de iis, qui aſſerunt ſe per Pontificem eſſe promotos vel confirmatos, qui nequidem in ultimis terrarum partibus ſunt recipiendi, niſi literas Apoſtolicas exhibeant.

Dub. 7. *An acta ab Electo ante ejus Confirmationem ſint ita prohibita, ut etiam ſint ipſo jure nulla, an ſolùm annullanda?*

℞. Sunt *ipſò jure* nulla & irrita, quia *cap. Qualiter. 17. de Elect.* dicitur, quòd talia acta penitus non teneant. Unde ſi debitores Eccleſiæ vel Prælaturæ tali Electo non confirmato ſolvant, non liberantur à debito.

Dub. 8. *Quinam juxta caſ. 6. cenſeantur valde remoti ab urbe?*

℞. Imprimis intelliguntur qui exiſtunt extra Italiam, ut patet ex textu *cap. Nihil. de Elect.* Secundò intelliguntur omnes Eccleſiæ, ſive intra ſive extra Italiam, quæ tantùm diſtant à Curia Papæ ubicunque tandem commorante, quantùm fines Italiæ ab Urbe Roma, ubi modò Curia Pontificia reſidet. Licet enim in textu *cit. c. Nihil:* exprimantur *Extra Italiam conſtituti:* hoc tamen ponitur ſolùm exempligratiâ, Exempla autem non reſtringunt Legem univerſalem, quò minùs hæc ad

alios caſus non expreſſos (in quibus eadem eſt ratio) poſſit extendi: maximè ſi extenſio ſit favorabilis: at ratio legis hujus eſt; ne Eccleſiæ, dum diu exſpectatur confirmatio, patiantur detrimentum; quæ militat etiam in Eccleſiis, quæ intra Italiam ſunt dicto modo remotæ ab Urbe Roma; & hæc extenſio eſt favorabilis Eccleſiæ. Nec obſtat, quod *d. c. Nihil*: ſit conſtitutio correctoria Juris antiqui: quia etiam hæc correctoria poſſunt extendi ad caſus non expreſſos, in quibus occurrit eadem ratio, ſi extenſio ſit favorabilis Eccleſiis & cauſis piis: Summa enim ratio eſt eorum habenda, quæ pro religione faciunt, *L. ſunt perſonæ. in fin. ff. de Religioſis & ſumptibus funerum.*

Dub. 9. *An hæc conceſſio habeat locum in Poſtulatis vel aliis Prælatis Papæ non ſubjectis imediatè?*

℞. 1. Non habet locum in Poſtulatis. Pirhing *ad tit. de Elect. n.* 302. Layman *in c. Nihil. n.* 8. Quia quantumcunque quis ſit concorditer poſtulatus, & licet ſit remotiſſimus à Curia Romana, nullum habet jus in, vel ad dignitatem, ad quam eſt poſtulatus etiam omnibus omnino in ipſum conſentientibus, quoad uſque Poſtulatio à Superiore legitimo fuerit acceptata: ergo non poterit prætendere aliquam poteſtatem adminiſtrandi.

℞. 2. Habet veriſimiliter locum in aliis Prælatis Epiſcopo vel ArchiEpiſcopo ſubjectis quoad accipiendam confirmationem, ita ut hi concorditer ac legitimè electi ante Confirmationem liberè adminiſtrare poſſint, ſi propter nimiam diſtantiam aut aliud impedimentum intra breve tempus nequeant obtinere confirmationem: quia ratio conceſſionis

(ut ſcilicet periculum damni Eccleſiæ imminentis, ſi Prælati electi diu ab adminiſtratione abſtinere debeant, vitetur) etiam in iſtis Prælatis occurrit, adeoque ob favorem Eccleſiæ conceſſio eſt extendenda. Quòd verò *in c. Nihil* Prælati *Papæ immediatè ſubjecti* ſoli exprimantur, ratio fuit, quia iſte caſus in Curia Romana frequentiùs occurrit. Interim non facilè ſuadetur, ut Neo-Electus aliquid in adminiſtratione attentet, ſi anteceſſores ante adminiſtrationem obtinuerint Confirmationem.

Dub. 10. *An geſta per eum, qui in vim hujus conceſſionis adminiſtravit, maneant rata, ſi poſteà ob defectum noviter repertum electio reſcindatur?*

℞. Si defectus fuerit talis, ut ob illum electio fuerit irritanda, & non irrita ipſo jure (v. g. ſi ad inſtantiam alicujus contempti electio reſcindatur) aut ſi defectus ipſo jure annullativus electionis, tempore intermediæ adminiſtrationis fuerit publicè ignotus, geſta ab illo electo manent valida: quia in his caſibus adminiſtratio facta eſt de licentia ſuperioris, adeoque defectus poteſtatis, ſi quis adeſſet, per Superiorem ſuppletur. Si ob defectum manifeſtum & publicè notum electio fuerit irrita ipſo jure, geſta non valent, quia electus in hoc caſu non erat reipsâ electus, neque aliquod jus habuit ad dignitatem, ad quam fuit electus, neque adeſt aliquid, quod ipſius poteſtatem adminiſtrandi fundet: Vide Layman. *ad d. C. Nihil. n.* 10.

Dub. 11. *An legitimè Electus ante Confirmationem poſſit accipere poſſeſſionem ſuæ dignitatis?*

℞. Quòd poſſit inſtallari, ſeu poni in Sede vel

Stallo Prælati, patet ex generali praxi: & conſequenter cùm iſta inſtallatio ſit ſaltem aliqualis immiſſio in poſſeſſionem, generalis conſuetudo indicat vel excuſat, quòd ſaltem aliqualem poſſeſſionem poſſit accipere. Vide Pirhing *ad tit. de Elect. n.* 290 Hæc tamen non debet ſimpliciter dici poſſeſſio beneficii vel dignitatis: quia in beneficialibus poſſeſſio ſtrictè dicta ſupponit titulum vel Canonicam inſtitutionem: at per ſolam Electionem non acquiritur canonica inſtitutio vel titulus beneficii ſive dignitatis aut quaſi dominium illius, ſed per ſubſequentem Confirmationem. Pirhing *loc. cit. n.* 390. Is verò qui ante Confirmationem, *ex d. cap. Nihil.* Adminiſtrat ante Confirmationem, eſt in quaſi poſſeſſione, quia Prælaturam quaſi ſuam adminiſtrat, illamque tenet quaſi jus in ea habens. Quæ quaſi poſſeſſio corroboratur, ſi electio poſteà confirmetur; ſi verò electio caſſetur, illa quaſi poſſeſſio ſimul tolletur.

Obſerva: Supradictas pœnas non incurrit, quis, niſi adminiſtratio ſit facta cum præſumptione, temeritate, malitia & dolo, ut colligitur *ex cap. Avaritiæ.* 5. *de Elect. in* 6. Ibi: *Cùm non ſit malitiis hominum indulgendum.* Et: *Se immiſcere præſumant.* Unde ab his pœnis multi DD. excuſant eum, qui ex qualibet cauſa etiam aliàs non fundata, injuſta, & fatua, modò non involvat dolum adminiſtrat. Neque is incurrit, qui permittit ſe ab aliis ad adminiſtrandum quocunque titulo deputari, ſed tamen adminiſtrationi actuali necdum ſe immiſcuit: quia verba Legis pœnalis debent cum effectu intelligi, adeoque ſi pœnæ ſtatuantur contra faci-

facientem, non afficient eum, qui ad faciendum ſolùm ſeparat. Econtra incurritur pœna Legis etiam per unicum perfectum conſummatum adminiſtrationis actum.

An has pœnas incurrat is, qui adminiſtrat poſt Confirmationem invalidam, quam tamen putavit eſſe validam, diſceptatur. Aliqui volunt, non incurrere, ſi ob ignorantiam vel errorem *facti* putaverit eſſe validam: ècontra incurrere, ſi ob ignorantiam vel errorem *Juris* id putaverit; niſi tamen Jus ipſum eſſet valde ambiguum. Alii utroſque à dictis pœnis excuſant; quia ut dictum, ad has pœnas incurrendas requiritur *temeritas*: quæ temeritas ceſſat, ſive intercurrat ignorantia facti ſive Juris.

Volunt multi contra nonnullos alios, quòd has pœnas incurrat, qui adminiſtrationem aggreditur poſt Confirmationem obtentam, ſed à qua ſit legitimè appellatum: eo quòd appellatio legitima ſuſpendat effectum cauſæ, à qua appellatur: at effectus Confirmationis eſt poteſtas adminiſtrandi, ergo iſta poteſtas ſuſpenditur.

QUÆSTIO V.

Quem effectum tribuat Confirmatio impenſa Electioni validæ vel invalidæ?

℞. 1. Confirmatio impenſa electioni invalidæ, facit Primo, ut electus non poſſit ſine Superioris licentia renunciare, *c. Inter Canonicos.* 21. *de Elect.* & *cap. fin. de Renunciat.* Facit ſecundò, quòd Electus acquirat plenam adminiſtrationem, *cap. Nôſti.* 9. *de Elect. cap. Qualiter.* & *cap. Avaritiæ. eod. in* 6.

℞. 21.

℞. 2. Impenſa electioni invalidæ *per ſe & nudè ſumpta* nihil operatur, *cap. Inter dilectos. 6. prope finem. §. cùm ergò de fide Inſtrum.* Ratio: Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, *cap. 43. de R. I. in 6.* Sed Electio eſt principale, & Confirmatio eſt acceſſorium, juxta *d. cap. Inter Dilectos.* Ergo Confirmatio ſequitur naturam Electionis: Ergo ſi hæc ſit invalida, etiam illa erit invalida.

Dixi: *Per ſe & nudè ſumpta*: Si enim accedat ſimul [dispenſatio in defectibus diſpenſabilibus, poteſt per Confirmationem electio convalidari, pro quo accipe ſequentem Regulam.

Si Confirmans habeat poteſtatem diſpenſandi ſuper defectibus accidentalibus, vel provenientibus ex ſolo jure poſitivo (quales ſunt, ſi ſolùm eſſent omiſſæ aliquæ ſolemnitates) & ſciverit hunc defectum, confirmando cenſetur ipſo facto diſpenſare: quia non præſumitur velle actum fruſtaneum exercere: ſed ſi non diſpenſaret, actus Confirmationis eſſet fruſtraneus: ergo præſumitur diſpenſare.

Ut verò Confirmatio in hoc caſu cenſeatur valida, neceſſe eſt, ut Confirmaturus exprimat, & ſignificet, ſe procedere *ex certa ſcientia*, teſte Layman *in cap. Sicut grave. n. 3.* & Donato *Tom. 2. p. 1. tr. 7. q. 13. n. 3.* Aliàs Confirmatio erit reipsâ ſolum *in forma communi* data, hæc autem actum invalidum non roborat, *cap. 7. de Confirm. utili vel inut.*

Si defectum neſciverit, Confirmatio nihil ſupplet, niſi fiat de plenitudine poteſtatis. Ratio: Nemo cenſetur diſpenſare, niſi cognitâ causâ: Sed

ſi

ſi Confirmator defectum neſciat, non cognoſcit cauſam, ſuper qua debeat diſpenſare: ergo nec reipsâ diſpenſat.

Si defectus Electionis ſint ſubſtantiales & quaſi-naturales (quales ſunt, ſi major pars Capituli in perſonam confirmandam non conſenſerit) Confirmator nihil poteſt ſupplere, niſi electione ad ſe devolutâ; Neque enim purus Confirmator poteſt Electoribus invitis aliquem obtrudere, niſi jure eligendi ad ſe devoluto.

Porrò in requiſitis de jure poſitivo Canonico nullus *ſecluſo privilegio ſpeciali* poteſt diſpenſare, niſi ſolus Papa: Nam omnes alii ſubſunt Juri Canonico, conſequenter ſine Pontificis ſcientia & licentia non poſſunt diſpenſare. Neque hæc Pontificis licentia vel ſcientia præſumitur, ſed debet probari.

Dixi: *Secluſo privilegio ſpeciali*: quia Generalis Ordinis Prædicatorum, & conſequenter etiam alii aliorum Ordinum ob communicationem privilegiorum, habent à Paulo V. facultatem ſupplendi defectus quoslibet Electionis, ſub titulo Reformationis introducendæ, dummodò Electio ſit valida de jure naturali, hoc eſt, ſit peracta conſentiente majore parte in perſonam Electi.

Obſerva: Quando Confirmatio Electionis Jure poſitivo nullæ fit expreſſè *ex certa ſcientia*, debet inſpici, qualiter hæc clauſula apponatur. Si enim cum hac clauſula ſimul in ſpecie exprimantur defectus ſubſtantiales diſpenſabiles, dicatque Confirmator, ſe talem vel talem defectum ſupplere, confir-

confirmabitur ſimpliciter electio. Idem cenſendum, ſi, abſque expreſſione alicujus defectus in particulari, in genere dicatur: *Supplentes omnem defectum etiam ſubſtantialem.*

Si verò omiſſo li *etiam ſubſtantialem*: abſque ſpecificatione alicujus defectûs particularis ponatur hæc clauſula Generalis: *Supplentes ex plenitudine poteſtatis omnem defectum*, volunt multi per talem clauſulam ſolùm ſuppleri defectus accidentales (Hoc eſt, dum neglecta fuit aliqua ſolemnitas juris poſitivi, ratione cujus electio eſſet ſolùm annullanda) & non defectus ſubſtantiales, hoc eſt, tales, qui reddunt Electionem ipſo jure nullam. Sic neque per clauſulam generalem cenſentur ſuppleri defectus, qui ſpecialem expreſſionem exigunt, quales ſunt, ſi perſona in ſeipſa fuiſſet inhabilis; aut ſi Confirmatio cedat in præjudicium aliorum: aut ſi perſona electa fuiſſet intruſa: Nam hujus electionis Confirmatio, etſi dicatur *ex certa ſcientia* fieri, cenſetur ſubreptitia, niſi intruſionis mentionem faciat, *Arg. cap.* 81. *de R. J. in* 6.

QUÆSTIO VI.

A quo Confirmatio ſit petenda?

℞. A Superiore vel Prælato *immediato*: quia Jura loquentia de Confirmatore ſemper exprimunt eum, qui eſt Superior *immediatus*. In ſpecie.

I. Ex jure communi Epiſcopus confirmat ſibi ſubditos: Colligitur *ex cap. cùm Monaſterium* 13. *de Elect.*

Elect. Ubi dicitur, Epiſcopum Poſtulationi præbuiſſe aſſenſum, & pòſteà adhuc petiiſſe Confirmationem à Sede Apoſtolica: Infero ergo in ſimplici electione ubi non eſt opus aſſenſu Sedis Apoſtolicæ, poteſt Epiſcopus ſimpliciter præbere aſſenſum, atqui iſte aſſenſus legitimè factus eſt Confirmatio: ergo. Et de facto Epiſcopi ſunt in poſſeſſione confirmandi ſuos ſubditos in diœceſi ad dignitates electos.

II: Archi-Epiſcopus confirmat ſuos ſuffraganeos, *cap. cùm dilectus. de Elect. & cap. Illud. Diſt.* 54.

III. Patriarcha confirmat Archi-Epiſcopum non-exemptum, *cap. Bonæ il.* 1. *de Elect.*

IV. Papa confirmat Patriarcham, *cap. Venerabilem eod.*

Dixi, ſimilia haberi *ex jure communi*: nam vigore Concordatorum Germaniæ Pontifex reſervavit ſibi confirmationem omnium Electionum in Metropolitanis & Cathedralibus Germaniæ Eccleſiis, etiam non ſubjectis immediatè Pontifici, ut dictum ſupra *Sect.* 1. *q.* 21. ℞. 2.

Dantur tamen adhuc in Germania aliquæ Eccleſiæ Cathedrales, in quibus Electi tenentur ab Archi-Epiſcopo petere Confirmationem, ut de Archi-Epiſcopo Salisburgenſi teſtatur Layman *in cap. Ne pro defectu. de Elect. in 6.* Obſervant quoque DD. cum Layman. *in cap. Licet de Offic. Legati n.* 1. Quòd Epiſcopi, Archi-Epiſcopi, aliique Prælati Papæ immediatè ſubjecti exiſtentes intra Legationis Provinciam confirmari valeant à Legato de latere, ex officio Legationis ſuæ abſque ſpeciali ad hoc mandato. Idem dici ſolet de

de Legato miſſo cum poteſtate Legati de latere: Secùs eſt de Legatis aliis, qui ſuper Epiſcoporum Electionibus examen inſtituere, illudque ad Sedem Apoſtolicam mittere, Electiones tamen ipſas confirmare non poſſunt, ſine ſpeciali commiſſione à Papa ſibi factâ.

Obſervant prætereà DD. quòd in caſibus, quibus Epiſcopo competit Jus confirmandi, Sede vacante poteſtas confirmandi ad Capitulum tranſeat: quia confirmare eſt actus Juriſdictionis neceſſariæ, quæ Sede vacante ad Capitulum tranſit, *cap. cùm olim. de Majorit. & Obed.*

Dub. 1. *A quo Regulares electi in Abbates debeant petere Confirmationem?*

℟. In Monaſteriis Papæ immediatè ſubjectis, vi concordatorum Germaniæ Confirmatio Electionis reſervatur Pontifici, vide *loc. cit. Sect.* 1. *q.* 21. Reperitur etiam Conſtitutio quædam Pii IV. incipiens: *Sanctiſſimus*: quâ reſervavit ſibi confirmationem omnium Electionum in Monaſteriis vel Conventibus habitarum, verùm hæc Bulla de facto non eſt, & fortè nunquam fuit uſu obſervata.

Quoad alias Eccleſias Regulares habent Epiſcopi jus confirmandi electiones Prælatorum Regularium in Ordinibus non exemptis; Papa verò vel Legatus à latere, aut Superiores immediati, ſive Generales in Ordinibus exemptis, *cap. ſi Abbatem.* 36. *de Elect. in* 6. In quibuſdam tamen locis de facto hæc Confirmatio quoad omnes etiam exemptos, datur ab Ordinariis.

Obſerva: Ordines, qui habent Generalem, præ-

præter Confirmationem ab Epiſcopo ordinario obtentam debent etiam confirmari vel à Generali Ordinis, vel à Patre-Abbate, ut eſt in Ordine noſtro Præmonſtratenſi, in quo in Capitulo Generali de Anno 1657. Statuto univerſali ſancitum eſt, ut in defectu Patris-Abbatis, & Reverendiſſimi ac Illuſtriſſimi Domini Generalis Ordinis, Ejuſque Vicarii, Confirmandi poteſtatem Viſitator Generalis cujuſque Circariæ ſive Provinciæ haberet; quod etiam obſervatur in praxi.

Dub. 2. *Cui competat jus Electiones Abbatiſſarum, Prioriſſarum, & ſimilium Monialium confirmandi?*

℟. Si Monaſterium immediatè Sedi Apoſtolicæ ſit ſubjectum, Confirmatio à Papa debet peti, non quidem per ipſam Electam vel per Moniales, ſed per Procuratorem ad hunc finem mittendum, *cap. Indemnitatibus.* §. *porrò. de Elect. in 6.* Refert Gavantus *in Man. Epiſc. V. Moniali officialis.* Plures S. Congregationis Declarationes, quod licèt Epiſcopus juxta Gregorii XV. Bullam. *Inſcrutabili.* poſſit unà cum Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatiſſarum electionibus intereſſe ac præſidere (ut dictum *Sect.* 1. *q.* 16. *poſt dub.* 4.) Ex hoc tamen ſolo non poſſit ullum jus prætendere Abbatiſſam exemptam confirmandi.

Si Monaſterium ſubſit Religioſo Ordini virorum, etſi Ordo iſte non ſit exemptus, Confirmatio addicitur Prælato iſtius Ordinis aut Monaſterii, teſte Donato *tom.* 4. *tr.* 7. *q.* 17. Gavanto *l. c.* & aliis. Denique Si Monaſterium nulli virorum, ſed Epiſcopo ſubſit, Epiſcopo Confirmatio incumbet

QUÆSTIO VII.

Si Electus legitimè, à Confirmatore appellârit, eo quòd noluerit ipſum confirmare, an pendente appellatione poſſit ab eodem confirmari?

℞. Si appellatum fuerit ad Sacram Sedem Apoſtolicam, non poteſt confirmari ab inferiore Pontifice. Ratio: Rubrica *in cap. ut noſtrum. 56. de appellat.* ait: *Poſtquàm Papa aliquam cauſam ad ſe revocat, non valet Proceſſus poſteà per minorem Judicem factus: ſicut non valeret, ſi fuiſſet ab eo legitimè appellatum.* Textus verò ipſe Capituli ſic habet: *Cùm plus ſit Romanum Pontificem ad ſe aliquod revocare negotium, quàm quendam ad Eum ſuper aliquo negotio provocare.* Per quæ ſimul ſumpta innuitur, proceſſum per inferiorem Judicem factum poſt appellationem ad Sedem Apoſtolicam interpoſitam non valere: atqui Confirmatio reducitur ad proceſſum juridicum: ergo Confirmatio facta à Judice inferiore, poſtquàm ad S. Sedem Apoſtolicam appellatum eſt, non valet.

Si appellatum ſit ad alium Judicem, valet Confirmatio facta à Judice à quo, dummodò cauſa apud Judicem ad quem nondum fuerit introducta: In favorabilibus enim juriſdictio Judicis à quo tamdiu viget, donec cauſa, apud Judicem, ad quem, fuerit introducta, & agi cœpta: at per introductionem cauſæ juriſdictio Judicis à quo omninò impeditur, adeoque etiam ab eo non poteſt emanare futura Confirmatio, utpote quæ

eſt

Digitized by Google

eſt actus juriſdictionis, niſi canonicè fuerit ab appellatione receſſum, *cap. 33. Si poſtquam. de Elect. in 6.*

Obſerva: Quòd ſi Electorum quiſpiam de Capitulo moverit litem de Jure & valore Electionis, pendente hac lite Electio nec eſt confirmanda, nec infirmanda, donec lis decidatur, vel pars litigans à lite receſſerit, *cap. cùm veniſſent, de in integr. reſtitut.* Vide infra *q.* 10. ℞. 4.

Prædicta extende ad appellationem extrajudicialem, ita ut ſi ab Electione ad Sedem Apoſtolicam fuerit appellatum, etiam extrajudicialiter, Ordinarius invalidè Confirmationem concedat, niſi appellans priùs canonicè & abſque pravitate ab Appellatione receſſerit, *cap. ſi poſtquam. de Elect. in 6.* Si verò ad alium inferiorem Judicem ſive in- ſive extra judicium fuerit appellatum, poteſt ante ſententiam definitivam Inferior vel Ordinarius in cauſa procedere, donec appareat, an Superior cognitâ veritate cauſam Electionis reſcindat, *cap. Non ſolùm. 7. de Appellat. in 6.* vel ſaltem donec cauſa iſta apud Judicem, ad quem ſit agi cœpta.

QUÆSTIO VIII.

Quomodò Confirmatio ſit impendenda?

℞. Sufficit quodcunque dictum vel factum, quo voluntas Superioris Confirmantis declaretur, v. g. ſi ad canonicè electum Confirmator dicat: *Gaudeo de tua electione:* vel ſi illum benedicat, vel ſi det ei locum Superioritatis debitæ tali Præfecturæ

(ſaltem in iis circumſtantiis, in quibus aliàs nemini talis locus ſolet concedi, niſi Prælato legitimo) vel ſi faciat, ut ſubditi promittant obedientiam. Unde nullibi legitur de ſubſtantia Confirmationis requiri certam verborum formam vel ſcripturam. Raró tamen admittentur ſoli actus hic recenſiti; tum quia aliqui non adeò clarè voluntatem expreſſam impendendi Confirmationem indicant; tum quia uſus paſſim ſolet eſſe contrarius.

QUÆSTIO IX.

Quænam requirantur prævié, vel concomitanter ad Confirmationem ritè impendendam?

℞. Debet Confirmaturus prævié inquirere & examinare copulativè tum proceſſum electionis, tum habilitatem, vitam & converſationem perſonæ electæ, *cap. poſtquam.* 3. & *cap. Nihil.* 44. *de Elect.* Et hæc inquiſitio eſt de *j*[illegible] *communi* adeò ſtrictè neceſſaria, ut Confirmatio abſque illa facta viribus omnino careat, decernaturque irrita & inanis, *cap. fin. Quoniam. de Elect. in* 6. Quia tamen ex dictis ſupra *Sect.* 1. *q.* 12. in Electionibus Regularium apices juris communis non debent ſemper in ſummo rigore obſervari, hinc apud eoſdem poteſt tolerari praxis, ſi nemine aliquid opponente illa ſpecialis inquiſitio intermittatur; maximè cùm in dubio præſumantur modo debito proceſſiſſe.

Solent nihilominùs aliqui Ordines ad Confirmatorem

ſorem transmittere inſtrumentum Electionis authenticum, vel literas teſtimoniales ſubſcriptas à toto Capitulo, aut ſaltem ab omnibus Scrutatoribus, quòd Electio ſit canonicè facta. Et hoc Inſtrumentum ſupplebit vices inquiſitionis, & dabit ſufficientem informationem. Vide *Sect.* 1.*q.* 6. §. 12. *dub.* 1. ℞. 2.

Dub. 7. *Quomodò hæc inquiſitio ſit inſtituenda?*

℞. Si inquiſitio fiat in proceſſum electionis, facienda eſt ibi, ubi electio facta eſt, quia ibi eſt facilior via deprehendendi veritatem, quàm alibi. Si verò inquiratur in perſonam Electi, facienda eſt ibi, ubi eſt converſatus, *cap. poſtquam.* 3. *de Elect.* Si in pluribus locis fuerit ſolitus moraliter ſimul converſari, in omnibus facienda eſt inquiſitio. Sufficit autem in Electi vitam & mores inquirere, generaliter, nec deſcendendum eſt ad particularia, niſi de iis fuerit infamatus.

Imò ſi confirmandus non laboret malâ famâ, nec habeat opponentem vel contradictorem, ſufficit, quòd Electores, vel ii, apud quos inquiſitio eſt facta vel facienda, tranſmiſerint literas teſtimoniales de idoneitate electi.

Si ſiniſtra fama ſubſit, aut adſint contradictores, inquirendum eſt juridicè, hoc eſt, ſervatis ſervandis per teſtes juratos, inſtrumenta, & literas teſtimoniales legitimè confectas, vocatis, nominatim, opponentibus, ſi noti ſint; ſi ignoti, illis citatis generaliter per edicta citatoria publica affixa in locis conſuetis, v. g. in Valvis Eccleſiæ majoris, vel ubi juxta morem Diœceſis Decreta affigi ſolent, aſſignato termino peremptorio comparendi, uti docet *c. Quoniam. fin. de El. in* 6.

Digitized by Google

Dub. 2. *An hac inquiſitio ſit facienda, etſi necdum aliquid fuerit objectum contra perſonam electi, vel formam electionis?*

℞. Affirmativè: Eſt expreſſum *c. Cum nobis.* 19. *de Elect.* Niſi Electi vita, mores, & idoneitas jam anteà tam populo, quàm Confirmatori fuerit ſufficienter nota ut concedunt Doctores paſſim.

Dub. 3. *Quomodò Confirmator hanc inquiſitionem debeat inſtituere? an generaliter, an ſpecialiter? an judicialter, an extrajudicialiter?*

℞. 1. Si Confirmator procedat *ex officio*, debet ſolùm in genere inquirere de vita & fama electi, niſi præcedens infamia, aut aliud indicium ſufficiens poſtulent inquiſitionem ſpecialem. Ita communior DD. quod intellige, ut Confirmator non poſſit inquirere in ſpecialia vitia, vel defectus culpabiles, niſi præceſſerit infamia, delatio, aut aliud indicium: Nam de cætero non prohibetur inquirere in qualitates particulares & ſpeciatim à Jure requiſitas, v.g. an adſit ſufficiens ætas, Ordo, ſcientia, virtutes neceſſariæ Caſtitatis, Sobrietatis, converſationis pacificæ &c. Etſi enim quilibet præſumatur bonus, donec probetur malus, vel afferatur aliquid, quod contrariam præſumptionem inducat; Hoc tamen tunc ſolùm procedit, quando non tractatur cum aliquo negotium, ratione cujus in ipſius vitam debet inquiri.

Hinc ſi Electo aliquis defectus in qualitatibus neceſſariis objiciatur, tenetur objiciens defectum probare, *arg. c. Ut circa.* & *c. ſi fortè de Elect. in* 6. ex ratione, quòd opponens vel excipiens opponendo vel excipiendo fiat actor, *L.* 1. *ff. de Except.* actori

autem

Digitized by Google

autem incumbat onus probandi: Si verò nemine opponente oriatur dubium de defectu alicujus qualitatis, tenetur Electus, ſi ipſemet confirmari petat, aut Eligentes, dum hi pro Confirmatione inſtant, probare poſitivè qualitates debitas adeſſe, *arg. c. Cùm nobis.* & *c. cùm dilecti de Elect.* ita quidem, ut non ſufficiat probatio fundata in ſola præſumptione communi, v. g. quòd teſtes deponant ſe contrarium non vidiſſe, aut ab aliis audiviſſe: ſed debeant allegari poſitivà indicia & conjecturæ, ex quibus probabilitèr judicare poſſint, tales qualitates Electo ineſſe. Cùm enim poſt lapſum natura in malum inclinet, ejuſmodi virtutes neceſſariæ non ſine labore acquirentur, adeoque aliquo modo cenſeri poſſunt aſcititiæ, ita ut ſi poſitivè indiciis poſitivis non deprehendantur, non poſſit de eorum præſentia tam firma formari præſumptio, ut ſufficiat in judiciis publicis, quando ex errore, qui aliàs fortè intercurreret, oriretur Eccleſiæ vel bono publico damnum. Quæ tamen omnia de perſona ignota ſunt intelligenda: Secus enim foret, ſi Electus populo & Confirmatori valde fuiſſet notus, & communiter ut dignus approbatus: tunc enim omnis inquiſitio poſſet juxta probatos DD. intermitti, ut inſinuatum dubio præcedenti.

℞. 2. Quando Confirmator procedit & inquirit *ad inſtantiam partis:* non poteſt ſine omni Judicii forma procedere, ſed parte inſtante, debet illi concedere, quæ juſtè petit, etiam in modo procedendi; ita ut regulariter, ſi pars petat: Juris ordine ſit procedendum, niſi Judex habeat privilegium procedendi ſine ſtrepitu; aut quandoque cauſæ concurren-

 curren-

currentes ſuadeant procedi ſine ſtrepitu & plenaria Judicii figura, ut in Confirmationibus Abbatiſſarum ſtatuitur *c. Indemnitatibus.* §. *ſanè. de Elect. in 6.* Aliàs parte expreſsè non petente, & quando Superior procedit ex officio, per ſe loquendo Judicialis inquiſitio ſervato Juris ordine non requiritur, ſed ſufficit probatio etiam extra-judicialis, per famam, literas teſtimoniales, teſtes etiam non juratos, & omnem alium modum, qui moralem certitudinem valeat afferre.

Nec ſolùm poteſt Confirmator *extra-judicialiter* procedere, quando vult impertiri Confirmationem, ſed & quando Electionem ex cauſis ſufficientibus ſibi moraliter certò propoſitis, vult caſſare- teſte Donato *tom. 2. tr. 7. q. 9. n.* 8. Barbosâ *Jur. Eccleſ. Lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 251. & cæteris *ex arg. d. cap. Indemnitatibus.* §. *ſanè.*

℞. 3. Quando Electus habet unum vel alterum adverſarium, qui Electioni ſe opponant, illi ante Confirmationem nominatim ſunt citandi, ut cauſam ſuam agant. Si nullus adſit, qui ſe opponat, per generale edictum valvis Eccleſiæ pro more Regionis vel diœceſis affixum omnes generaliter ſunt peremptoriè citandi ad diem definitum & locum Confirmationis faciendæ, ſi quid contra Electionem, aut futuram Confirmationem opponendum habeant; ita ut Confirmatio ſecus facta ſit irrita, *c. fin. de El. in* 6. Et hoc ipſum ſolet extendi ad admiſſionem *Poſtulationis* ne fraude circumveniantur, vel jure ſuo fraudentur illi, qui aliquid contra poſtulatum volunt opponere.

Excipe: Niſi ab ipſo Papa vel ejus Legato petatur Con-

Confirmatio, Pirh. *ad tit. de El. n.* 322. cum Barboſa.

Dub. 4. *An neceſſariò Electus ſit prævie citandus, dum Confirmator procedere vult vel debet ad Electionem caſſandam?*

℞. Sub disjunctione: vel agitur de Electione caſſanda *ex vitio Electionis*, vel *ex defectu Electi?*

Si ex *defectu Electionis*, & Confirmator procedat *extra judicialiter*, nemine aliquid opponente, non eſt citandus Electus, neque ullus alius; quia tam Electores quàm Electi ſunt ab ipſo Jure citati, utpote qui inſtrumentum Electionis cum toto Electionis processu Confirmatori debent transmittere: ergo aliâ citatione non eſt opus, ſi ex actis deprehendatur defectus Electionis, ratione cujus hæc caſſetur. Si adſit opponens, qui judicialiter procedere intendat, & ſic electum citari petat, non poteſt Confirmator, ubi hæc petitio juſta videbitur, citationem denegare. Sin verò opponens intendat ſolùm defectum Electionis Confirmatori denunciare, & ſic ſtare ipſius Judicio, poteſt admitti informatio extra-judicialis, adeoque citatio Electi vel Eligentium non eſt neceſſaria, utpote qui à Jure jam ſunt citati, ut dictum.

Si *ex defectu Electi*, Electus neceſſariò eſt citandus, *Arg. cap.* 1. *de cauſa poſſ. & propriet.* Ubi ipſe Pontifex ait: *Nec nos contra inauditam partem aliquid poſſumus definire.* Et ratio eſt, quia ſi ex defectu Electi caſſetur Electio, intercurrit grave ejus præjudicium; nam *imprimis* ipſe privatur Jure; quod aliàs ad dignitatem, ad quam electus fuit, habebat: *Secundò*: redditur ineligibilis tam ad illam, quàm ad quamcunque aliam Eccleſiam,

Digitized by Google

cap. ſuper eo. de Elect. & inſinuatum eſt *Sect. 3. q. 17.* Et *Tertiò*: per conſequens ab hac repulſa remanet infamis infamiâ facti. Unde licet Confirmator procederet *extrajudicialiter*, aut *Summariè* abſque ſolemnitatibus ex Jure poſitivo in citando & audiendo reum requiſitis, debet tamen ſimpliciter eum citare & audire, ne defenſionem Jure naturæ conceſſam Reo eripiat. Alioqui, ſi hæc citatio & auditio Rei prætermitteretur, oriretur nullitas caſſationis, quæ nequidem per ſupremum Principem eſt ſanabilis vel diſpenſabilis: utpote qui & ipſe obſervare debet ea, quæ Jure naturæ ſunt conceſſa.

Excipe 1. Niſi defectus Electi plenè fuiſſet probatus aut notorius: Qui enim certus eſt, ampliùs certiorari non debet, *cap. 31. de R. J. in 6.* Raró tamen & difficulter delictum ita liquidò probabitur, ut ſatis ſecurè conſtet, nihil adduci poſſe, quod delictum vel dolum tollat, niſi Reus citetur & audiatur.

Excipiunt. 2. Aliqui, niſi Confirmator exprimat ſe Electionem caſſare non ex defectu Electi vel Electionis, ſed ex cauſis ſibi bene viſis: Verùm alii obſervant, quòd ſi priùs contra ipſum Electum factæ ſint aliquæ oppoſitiones, hâc ratione vix ſatis occurratur præjudicio famæ & inhabilitatis, quæ Electo immineat. Cùm enim ex una parte conſtet Electiones ſine rationabili cauſa caſſari non poſſe, neque præſumatur Confirmatorem caſſando fuiſſe deſtitutum juſtâ causâ: Ex altera parte, cùm non ſit adeò facile, ut Electiones ex ſola cauſa extrinſeca, v. g. boni communis caſ-

ſentur:

ſentur: Et ſæpe ſaltem Electoribus conſtet, Electionem ex parte formæ eſſe validam, facilè conſtabit, vel ſaltem gravis formabitur ſuſpicio, Electionem *ex defectu Electi* fuiſſe reſciſſam: unde ad iſtud præjudicium Electi tollendum optima cautela eſt, ſi Electus audiatur, an quid pro ſui defenſione afferat.

Si denique bonum commune exigat Electionem validam caſſari, poteſt hæc caſſatio fieri Electo non vocato; prævalet enim bonum commune privato. Debet tamen tunc conſuli honori & famæ illius Electi, ut expreſſè fecit Alexander III. *cap. Conſideravimus.* 10. *de Elect.* Ibi: *Ita quòd utrique prædictorum ſua fama integrè conſervetur.*

Obſerva: 1. De jure communi non requiritur conſenſus vel conſilium alterius, ut Superior Electionem confirmet: Nullus enim Juris textus pro hoc oſtenditur.

Obſerva: 2. Si quis Prælatus ad aliam Prælaturam eligatur, non obſtante, quòd in ipſius vitam tempore primæ electionis fuerit facta inquiſitio, debet hæc inquiſitio poſt ſecundam electionem iterari, *Arg. Cap. ſcriptum* 40. *de Elect.* poterat enim interim novum impedimentum contrahere.

Obſerva: 3. Modus Epiſcopum Electum ante Confirmationem examinandi ſequens à Gregorio XIV. *in Bulla*: Onus Apoſtolicæ. *Edita Anno* 1590. 1. *Maji* præſcribitur: Ut nimirum Electus viciniori alicui Epiſcopo ſe tradat examinandum adhibitis teſtibus idoneis. Peracto hoc examine pro-

Proceſſus Romam mittitur ad Confirmationem impetrandam. Examen autem inſtituitur de ſequentibus: Primò: an Electus ex Matrimonio legitimo à Catholicis parentibus ſit natus? Secundò; an trigeſimum ætatis annum compleverit? aut ſi poſtulatus, an vigeſimum ſeptimum inchoaverit? Tertio: an ſaltem ſex menſibus in Sacro Ordine fuerit conſtitutus juxta Trid. *Seſſ.22: cap.2. de Reform.* Quartò: an in Theologia vel Jure Canonico ſit Doctor vel Licentiatus, aut ſaltem publico alicujus Academiæ vel aliorum probatorum teſtimonio ad alios docendos idoneus judicatus juxta Trident. *l.c.* Quintò: an integræ vitæ ac famæ? Sextò: an in Eccleſiaſticis functionibus verſatus, prudens, & rebus gerendis idoneus. Vide allegatam Bullam.

QUÆSTIO X.

Quis poſſit confirmari?

℞. 1. Indignus, cognitus ut talis non poteſt confirmari, *cap. Nihil 44. de Elect.* ubi ſtatuitur pœna, ut ſi Confirmator hominem inſufficientis ſcientiæ, vel inhoneſtæ vitæ, aut ætatis illegitimæ approbaverit, non ſolùm confirmandi primum Succeſſorem careat poteſtate, ſed etiam à perceptione proprii beneficii ſuſpendatur, quouſque indulgentiam valeat promereri, niſi tamen indignitas conſiſteret in aliquo defectu per Confirmationem diſpenſabili: Tunc enim hoc defectu cognito poterit cum Electo diſpenſare & ita confirmare.

℞. 2. Si Electus fuerit dignus omiſſo digniore, poteſt,

poteſt, & tenetur Confirmator ex jure communi eundem confirmare. Bannez. 22. *q.* 63. *a.* 2. *dub.* 3. *ad* 7. Rodriq. *in Summa. p.* 1. *cap.* 106. *concl.* 11. *n.* 13. Pellizzar. *in Man. Regul. tom.* 2. *tr.* 9. *cap.* 2. *Sect.* 1. *n.* 44. Ratio: Confirmatio debet impendi illi, qui eſt electus validè, dummodò exinde non ſequantur damna Eccleſiæ, aliæque cauſæ graves contrarium exigant: atqui dignus omiſſo digniore eligitur validè, etſi minùs licitè: ergo.

Si tamen in aliquo Ordine ſtatuta ſancirent contrarium, & evidenter conſtaret digniorem eſſe relictum, poſſet Confirmator ſe iis conformare, & Electum rejicere, Sanchez *Tom.* 1. *Conſil. moral. Lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 6. *n.* 4. Lezana *in Summa qq. Regul. Tom.* 2. *cap.* 12. *n.* 39.

℟. 3. Si Confirmatori proponantur plures Electi vel nominati ad dignitatem vacantem, tenetur ſub culpa Theologica gravi confirmare digniorem. Ratio: in hac hypotheſi non ſuſtinet tantùm Officium Confirmatoris, verùm & Electoris: ſed Elector tenetur ſub culpa Theologica gravi præferre digniorem: ergo & Confirmator in hypotheſi data.

℟. 4. Accuſatus de crimine gravi, pendente lite confirmari non poteſt, *cap. Omnipotens.* 4. *de accuſat. cap. Tantis Daniel.* 3. *Diſt.* 81. *Authent. ſi quis autem. Collat.* 9. *ff. de Sacroſanctis Epiſc.* Imò lite pendente promotus debet removeri, etſi reipsâ innocens, ita aliqui colligunt ex Gl. Marg. *in d. cap. Tantis v. obrepſit.* Ratio eſſe poteſt, quia talis promotio non videtur poſſe fieri ſine ſcandalo.

Quòd

Quòd ſi tamen accuſator per annum taceret, poteſt deinceps Electus promoveri; imò *in d. Auth. Si quis autem.* Datur trimeſtre ad probandum objecta, quo elapſo,ſi Electus non probetur Reus; ordinatio ejuſdem non impeditur.

Nec deſunt,qui cum bono fundamento dicant, Judicem poſſe hoc trimeſtre ad brevius tempus reſtringere, quò ſcilicet lites citiùs terminentur, & accuſato in caſu innocentiæ faciliùs ſubveniatur. Ne autem malevolis detur cauſa quoſvis Electos impediendi, & accuſatio impediat Confirmationem,debet delictum per unum teſtem,vel alia argumenta eſſe ſemiplenè probatum. Pellizzarius *in Man. Regul. Tom. 2. tr. 9. cap. 2. Sect. 3. Subſect. 1. n.* 168.

℞. 5. Non debet confirmari Electio, ex qua timetur aliquod ſcandalum, etſi aliàs de ſe Electus nullum patiatur defectum, *cap. Ad aures 5. de temporibus Ordinand.* Nec rarum eſt, quòd aliqua aliàs de ſe licita ſint intermittenda ad vitandum ſcandalum.

Ex eadem ratione ſcandali cenſet *Azor. p. 2. Inſt. Moral. Lib. 6. de quarto Decalogi præcepto, cap.* 14. §. 11. rejici poſſe Electum in magna diſcordia, etſi ejus electio ſit facta à majori parte Eligentium ſine magno tamen eorum exceſſu ſupra alteram partem Capituli. Hoc tamen in praxi non erit adeò facile.

℞. 6. Poteſt Confirmator rejicere Electionem, aliàs Canonicam, ſi bono communi ſic expedire videatur. Et ita quidem ſentiunt probati DD. Quod tamen non adeò crudè eſt admittendum, niſi

niſi alia acceſſerit cauſa rationabilis: tenetur enim Confirmator legitimè Electum confirmare, cùm Electus per Electionem Canonicam acquirat jus ad Eccleſiam, ad quam eſt electus, & ad Confirmationem, ut ea ſine cauſa rationabili denegari non valeat. Si autem quodcunque bonum commune ſufficeret, poſſent facilè pleræque electiones rejici. Confir. etiam bono communi expedit, ſi ſemper dignior eligatur & confirmetur, & tamen tenetur Confirmator poſitivè dignum omiſſo digniore electum confirmare: ut dictum hic ℞. 2. Ergo non ſufficit quodcunque bonum commune ad electionem aliquam rejiciendam; niſi illud bonum eſſet valde excellens, quod à perſona electa ſperari non poſſet.

℞. 7. Electio de jure valida, ſed annullanda illicitè confirmatur ab eo, qui non habet poteſtatem in defectu diſpenſandi, quia agitur contra Juris prohibitionem. Sicut autem ipſa electio eſt irritabilis, ſic confirmatio illicitè appoſita erit irritabilis: & ſicut electio ipſa, quamdiu à Superiore non caſſatur, tenet, vel ſubſiſtit mero jure; ſic quoque ſuperveniens Confirmatio, quamdiu à Confirmantis Superiore non caſſatur, tenet mero Jure.

Doctores cum Paſſerino ex ℞. 6. inferunt, quòd etiam unanimiter Electus, qui præſumitur malè recturus, aut laxaturus diſciplinam Religioſam, non poſſit abſque peccato gravi confirmari, dummodò præſumptio iſta ſit gravis & rationabilis; *Arg. Clem. exivi. v. ſi videbitur. de V. S.*

Quoad infamatos vel accuſatos de crimine gravi Obſer-

obſerva : ſi hæc ſit ſolùm *infamia facti*, non poteſt ſtatim talium electio caſſari, vel à Confirmatione rejici, ne ex levi facilitate infamato inferatur injuria. Poteſt tamen Confirmator ex officio, vel etiam ad inſtantiam accuſatoris de tali crimine Electo objecto inquirere : Et ſi deprehendatur, quòd infamia non nitatur ſolido fundamento, poteſt Electus confirmari, niſi fortè aliquod grave ſcandalum inde timeatur.

Si Electus de crimine gravi fuiſſet accuſatus coram tribunali Judicis Confirmatore Superioris, maximè Sedis Apoſtolicæ, Confirmatio deberet differri, ob reverentiam Superioris, & ne Confirmator ſe exponat periculo, contra quem tanquam contra Confirmatorem indigni Superior poſteà valeat procedere, Si accuſatio ſit facta apud alium Judicem qui non ſit Superior, non tenetur Confirmator alterius judicium exſpectare, ſed ſi invenerit accuſationem non niti fundamento, poterit Electionem confirmare, ſi bonum commune, aut alia ratio contrarium non poſtulet. Si electus fuerit de crimine convictus vel confeſſus, per ſe loquendo Electio eſt caſſanda. Relinquitur autem Confirmatoris arbitrio, an Electus per pœnitentiam ſatis deleverit infamiam,

QUÆSTIO XI.

An Confirmator poſſit electum rejicere ex defectu aliquo, qui ſibi extra judicialiter innotuit?

℟. I. Quando notitia defectus hauſta eſt ex ſola Sacra-

Sacramentali Confeſſione, non poteſt Confirmator hâc notitiâ uti ad rejiciendum electum, ne Sacramentum reddat odioſum, ut in ſimili de Eligentibus dictum *Sect. 3. q. 1. dub. 5.*

℞. 2. Quando notitia hauſta eſt aliunde diſtinguendum eſt inter notitiam *extrajudicialem* ſtrictè dictam, & notitiam *purè privatam*. *Extrajudicialis* ſtrictè dicta vocari poteſt, quæ hauſta eſt ſine ſtrepitu & figura judicii ſimpliciter & de plano, ita tamen ut adhuc poſſit eſſe publica, v. g. per literas teſtimoniales aut teſtes non juratos, aliumque modum, qui Judicem vel Superiorem moraliter poteſt certificare de eo, quod inquirit. *Privata* eſt, quam Superior nec ut Judex, nec ut perſona publica, ſed merè privatim acquiſivit.

Quando Confirmator procedit *ad inſtantiam partis*, requiritur notitia aliquo modo *judicialiter* hauſta: ſi procedat merè ex officio, ſufficit notitia *extrajudicialis*: ſaltem quæ ſit hauſta ab ipſo ut perſonâ publicâ. Sequitur ex dictis *q. 9. dub. 3.* ℞. 2. ubi admiſſum, quòd Superiori ex Officio procedenti ſufficiat probatio *extrajudicialis*.

An ſufficiat notitia planè *privata* privatim acquiſita, controvertitur. Pro affirmativa citatur Bannez 2. 2. *q. 67. a. 2. ad 2.* Donatus *Praxis Regularis tom. 2. p. 1. tr. 7. q 9. n. 6.* Ex ratione, ab aliquibus allegari ſolita, quòd non minùs Confirmator proſpicere debeat, ne præficiantur indigni, quàm Elector. Sed Elector poteſt & debet denegare votum illi, cujus defectum novit per ſcientiam privatam: igitur & Confirmator poterit ac tenebitur electum rejicere, cujus defectum novit per ſcientiam privatam.

Alii è contra communiùs negant: Ex ratione, Quòd Confirmator fungatur in confirmando officio non perſonæ privatæ ſed publicæ, etſi confirmatio conferatur extrajudicialiter: At perſona publica ſive Judex quicunque, etſi habeat facultatem judicandi & procedendi ſolâ veritate facti inſpectâ abſque Judicii Ordine, & licet eſſet Princeps ſupremus, non poteſt judicare ſine illo Judicii Ordine, quem Lex naturalis & divina præcipit: inter hæc autem ſunt tria, citatio, probatio & defenſio ſaltem quoad ſubſtantiam & abſque ſolennitate ſumpta: quibus habitis nihilominùs notitia hauſta ipſo facto non eſt ampliùs purè privata. Hinc licet Confirmator judicare poſſit ſecundùm ſuam conſcientiam non tamen poteſt aliquem non-citatum & non-defenſum privare Jure ſuo. Unde eam notitiam quam privatim acquiſivit, deberet tali citato proponere, & inquirere, an ſe contra illam valeat defendere: quo facto iterum notitia illa non manebit purè privata.

Hinc patet, quòd inter Electores & Confirmatores non poſſit fieri plena paritas: illi enim non agunt perſonam publicam, & quaſi-judiciariam, ſicut iſti. Unde etiam paſſim concedunt DD. quòd Electores poſſint procedere ex notitia ſibi ſolis tam propria & privata, ut nequidem ſit deducibilis ad forum externum; cùm è contra teſte ipſo Donato, qui aliàs parti affirmanti patrocinatur, *loc. cit. n. 7.* in Confirmatore requiratur, ut procedat ex cauſa rationabili, quæ apta ſit juridicè probari, ſi fuerit neceſſe.

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

Si Confirmator electionem alicujus digni caſſet, & novam de perſona alterius electionem faciat, eique poſſeſſionem tradat, at primò electus ad Superiorem appellet, atque pro ſe ſententiam obtineat, ſuam electionem malè eſſe caſſatam, uter ſit præferendus?

℞. Probabiliùs primò Electus. Ita Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 2. tr. 9. cap. 2. Sect. 1. n. 58.* Peyrinus *in Formul. Lit. C. cap. 18. n.* 10. apud & contra Hyacinthum Donatum, *prax. Regul. tom. 2. p. 1. tr. 7. q.* 14. Ratio: jure ſuo injuſtè privatus eſt reſtituendus; quod eſt verum, etſi ſpoliatio fiat ab ipſo Judice, juris ordine prætermiſſo, *cap. conquerente. 7. de Reſtit. ſpoliat.* Sed primò Electus in hypotheſi data eſt injuſtè & indebitè privatus jure ſuo; ergo eſt reſtituendus.

Prob. 2. Sicut prima electio non fuit rectè caſſata, ſic nec ſecunda fuit rectè inſtituta: ergo cùm Confirmatio ſit acceſſoria ad electionem, ſicut ipſa ſecunda electio non eſt bona, ſic nec ejuſdem Confirmatio.

Probat Peyrinus adhuc duabus rationibus à pari petitis, ſcil. quòd res duobus ſucceſſivè locata, debeat dari primo Conductori, etſi ea ſecundo ſit tradita, *L. in operis. ff. locati.* Item, quòd auferens alicui rem ſuam, & vendens tertio, etſi huic tradat, primo tamen reſtituere teneatur: ergo idem debebit dici de dignitate per caſſationem

Ll 2 ele-

electionis à primo electo ablata, & ſecundo tradita. Verùm ad hæc ſatìs commodè reſpondet idem Donatus *loc. cit. n.* 12. quòd in datis exemplis primus ſemper habuerit jus *in re*; aſt Electus ante ſuam Confirmationem non habet jus *in re*, ſed ſolùm *ad rem*.

Nec dic 1: Sicut nemo eſt injuſtè privandus jure ſuo, ſic nemo eſt privandus poſſeſſione ſua, etſi eſſet prædo: ſed ſecundus Electus ſupponitur eſſe miſſus in poſſeſſionem, ergo non eſt privandus. ℞. D. Maj. nemo eſt privandus poſſeſſione ſuâ, ſi immiſſio in poſſeſſionem per actum innitentem fundamento vero & valido facta ſit. C. Maj. ſi innitatur fundamento invalido N. Maj. innititur autem immiſſio ſecundi caſſationi primæ electionis, quæ tamen malè caſſata eſt. Hoc facilè permitto, quòd in foro externo, ſi primò electus auctoritate propriâ poſſeſſionem Dignitatis vellet ſibi apprehendere, quòd, inquam, tunc poſſit repelli, & jure ſuo privari: ſicut etiam ſi verus Dominus auctoritate propriâ à prædone rem ſuam propriam aufferre velit, poſtquàm delata eſt in locum tutum, in foro externo jure & re ſuâ privari poteſt; ſed hoc non impedit, quò minùs primò electus vel verus rei Dominus ſit manutenendus, quando juridicè proceditur.

Nec dic 2. jus per electionem acquiſitum eſt revocabile, tenue, & valde imperfectum: ergo licèt prima electio injuſtè, tamen validè, eſt caſſata: ergo etiam licèt ſecunda electio ſit injuſta, erit tamen valida: ergo etiam poſſeſſio vi ſecundæ electionis conceſſa valebit. ℞. N. quòd electio ad

nutum

mutum Confirmatoris ſit revocabils: etſi enim jus ex ea quæſitum non ſit uſquequaque *perfectum* & *in re*, adeò tamen eſt forte, ut Electo tribuat jus juridicè petendi & exigendi Confirmationem, uti concedit ipſe Donatus *loc. cit. tr. 6. q.* 16. ubi ait, etiam Regulares electos abſque læſione voti paupertatis, & abſque vitio ambitionis poſſe inſtituere actionem, & officium Judicis implorare pro Confirmatione obtinenda, caſu quo illa injuſtè differretur. Deinde concors Doctorum ſententia eſt, quòd *Electio* præter cæteras differentias etiam per hoc à *Poſtulatione* differat, quòd *poſtulatio* innitatur *gratiæ*, nec injuria fiat poſtulantibus, ſi poſtulatus non confirmetur; *Electio* verò innitatur *juſtitiæ*, fiatque injuria tam electo, quàm eligentibus, ſi electus non confirmetur:

Quomodò ergo jus per electionem acquiſitum eſt revocabile? Neque in textibus à Donato allegatis oſtenditur hæc revocabilitas libera; ſemper enim adjungitur aliqua cauſa tationabilis, ob quam electio prima poſſit caſſari.

Nec dic 3. Eccleſia viduata per electionem novi Prælati non dicitur ſtatim maritata; Nec Prælatus poſt ſolam Electionem dicitur ſponſus vel maritus, ſed poſt ſolam Confirmationem: Unde ſi Electus ad aliquam Prælaturam moriatur, antequàm confirmetur, non dicitur talis Prælatura vacare, niſi per mortem primi, qui illam poſſederat: ergo ſecundò electus & confirmatus poterit dici Sponſus Eccleſiæ, antecedens colligitur ex *cap. Licet in tantum. 4. de Translat. Epiſc.* ubi Matrimonium ſpirituale Electum inter & ejus Eccleſiam, dicitur in

Electione initiari, in Confirmatione ratificari, & in Conſecratione conſumari. Ex quo ſic arguitur: Vidua: etſi ſponſalia de futuro inierit, manet tamen vidua tamdiu, donec Matrimonium ratum in facie Eccleſiæ contrahat: ergo & Eccleſia tam diu manet vidua, donec Matrimonium ratum cum Electo contrahat: Sed per ſolam Confirmationem Matrimonium ſpirituale fit ratum: ergo. ℞. Eſto, quòd Eccleſia in ordine ad certos effectus dicatur vacare tamdiu, quoaduſque neo-Electus confirmetur: Aſt nego, quòd per Confirmationem ſecundæ electionis Matrimonium ſpirituale poſſit dici ratificatum: Nihil enim Confirmatio ratificat, niſi illa ipſa in ſe ſit rata & valida: ſed dictum eſt, quòd ſecundæ electionis Confirmatio non ſit rata, nec valida: ergo etiam nihil ratificat.

Nec dic 4. Quando res duobus ſucceſſivè venditur, & ſecundo emptori, non verò primo traditur, ſecundus præfertur primo: ergo etiam in Electionibus. ℞. N. conſeq. Diſparitas eſt, quia venditor ſecundo emptori rem venditam validè poteſt tradere, cùm id jura approbent, nec traditionem invalident, *L. Tratiditionibus* 20. *C. de pactis*. At per Confirmationem ſecundæ Electionis nudè ſumptam jus in re ad dignitatem vacantem validè non traditur, ut ex ratione ſecunda in quæſtione allegata colligitur.

QUÆSTIO XIII.

An Electio facta per inſpirationem, vel quaſi-inſpirationem indigeat Confirmatione?

℞. Sub

Digitized by Google

℟. Sub certatione Affirmativè. Vide *Sect.* 1. q. 3.

QUÆSTIO XIV.

An promotus ad Prælaturam viâ poſtulationis opus habeat Confirmatione?

℟. Sufficit ſola admiſſio poſtulationis, quâ ſemel factâ ulterior Confirmatio non requiritur, Lezana *in Summ. qq. Regul. tom.* 2. *tr.* 9. *cap.* 2. *ſect.* 1. *n.* 14. Ratio; ipſa admiſſio poſtulationis confert jus poſtulato; ergo effectum Confirmationis ipſo facto præſtat, ergo ulterior Confirmatio fruſtra requiritur.

QUÆSTIO XV.

An promotus per nominationem, vel præſentationm ad dignitatem vacantem debeat ſpecialiter confirmari?

℟. Negativè: Nam ad nominationem vel præſentationem ſubſequitur inſtitutio vel inveſtitio in Prælatura vel Dignitate vacante, abſque ulteriori Confirmatione. Wagnereck *in cap. poſtquàm* 3. *de Elect.*

QUÆSTIO XVI.

An irritatâ Confirmatione eò ipsò cenſeatur irritatus actus confirmatus?

℟. Negativè: Eſt expreſſum *cap. ſi Confirmationem. de Elect. in* 6. Quia à diverſis ad diverſa non

Digitized by Google

valet argumentum: *L. fin. ff. de Calumniatoribus,* & *L. neque natales cap. de probat.* Confirmatio autem & actus confirmatus ſunt valde diverſa, & ſæpe eſt defectus in Confirmatione, qui non eſt in actu confirmato, v. g. poteſt electio eſſe ad apicem Canonum celebrata, & Superior carere poteſtate confirmandi, vel ab ejus exercitio ratione cenſuræ ſuſpenſus.

QUÆSTIO XVII.

An Elector contemptus, & ad Electionem non vocatus ſit audiendus, ſi poſt Confirmationem Electi cauſam ſuam proponat?

℞. Si Electionem eſſe factam, & Confirmationem impendendam ſciverit, audiri non debet, niſi infra tempus Confirmationem antecedens contradixerit, *cap. fin. de Elect. in* 6. Si tamen conſtet illum ignoraſſe celebratam Electionem, vel Confirmationem impenſam, etiam poſt Confirmationem audiri debet, *cap. fin. qui Matrimonium accuſare poſſunt,* niſi contemptus pacis ſtudio aliis malit acquieſcere, ut dictum ſupra, *Sect.* 1. *q.* 6. §. 2. *dub.* 11.

QUÆSTIO XVIII.

Si Superior alteri committat examen & Confirmationem Electi, is autem confirmet indignum, an Principalis teneatur ex culpa Commiſſarii?

℞. Ex

Digitized by Google

℞. Ex genere ſuo tenentur. Ratio: Tenetur quis ex facto illorum, quorum operâ utitur, ut colligitur ex *L.* 1. *ff. de Publicanis*, *Vectigalibus &c.* Ergo & Principalis imponens alteri Commiſſionem, tenetur ex facto ſui Commiſſarii, utpote cujus operâ utitur: debuiſſet enim ſibi de meliori perſpicere. Wagnereck *in Cap. Nihil eſt.* 44. *de Elect.*

QUÆSTIO XIX.

Quid faciendum Abbatibus Regularibus, poſtquam Confirmationem Electionum de ſe factarum vel à Papa, vel à Generali Ordinis, vel à Patre-Abbate, vel ab alio habente poteſtatem Confirmandi obtinuerunt?

℞. Obtentâ Confirmatione Abbas Epiſcopo Diœceſano, vel alteri habenti communionem S. Sedis Apoſtolicæ præſentatur, plenitudinem Officii, ſeu ante privilegia exemptionis, emiſſionum curam, nunc autem Benedictionis munus ab eo percepturus, ita tamen, ut poſt factam Epiſcopo Profeſſionem, quâ honorem, ſubmiſſionem & reverentiam promittit, eâ occaſione non transgrediatur Ordinis ſui Conſtitutiones. Quòd verò quandoque etiam exempti juxta Pontificale Romanum exigantur Epiſcopis promittere obedientiam, id faciendum ſubintellectâ tacitâ conditione, quantum ſalvis privilegiis & ſtatutis Ordinis licet. Porro ut refertur à Joanne Andrea *in cap.*

Venerabilem de Elect. Abbates Præmonſtratenſes & Ciſtercienſes, cùm bene dicuntur, examinandi non ſunt de doctrina, & extat Bulla Innocentii IV. Præmonſtratenſibus idipſum expreſſè concedens. Nec Præmonſtratenſes, nec Ciſtercienſes Palefridum, vel quid aliud dare debent pro benedictione, niſi exigatur, juxta privilegia vulgata.

QUÆSTIO XX.

Si legitimè electus committat Simoniam in obtinenda Confirmatione, an per hoc tantùm Confirmatio, ſed & præcedens electio irritetur?

℞. Probabiliùs corruit ſola Confirmatio, non Electio. Ita Vallenſis *in Jus Canon. Lib. 5. Tit. 3. §. 14. n. 12.* Ratio: *Cap. Si Confirmationem. de Elect. in 6.* Dicitur, quòd, licet Confirmatio nuncietur caſſa & irrita, non propter hoc præcedens electio (dummodò Canonicè ſit celebrata) intelligatur infirmari; ergo poteſt corruere confirmatio ob vitium Simoniæ ſibi ſoli intrinſecum, manente ſalvâ electione, quæ ab illo vitio fuit immunis. Concedendum tamen è contrario, quòd ſi in Electione Simonia eſſet commiſſa, etſi Confirmatio in nullo ratione ſui defectuoſa eſſet, hæc non ſubſiſteret, quia corruente principali, qualis eſt electio, non poteſt ſtare acceſſorium, qualis eſt Confirmatio.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XXI.

An, & quomodò Electo digno debeat Confirmatio concedi ex juſtitia?

℞. Electum canonicè pro Confirmatione vel per ſe, vel per Capitulum aut alios Deputatos inſtantem tenetur Superior etiam *ex juſtitia* confirmare, ut conſentiunt DD. Dicentes Electionem à poſtulatione inter cætera differre per hoc, quòd prior innitatur juſtitiæ, poſterior gratiæ. Et hinc etiam Regularis aliàs legitimè electus per ſe loquendo non poteſt culpari, ſi nitatur favoribus apud Superiorem impetrare Confirmationem Electionis factæ de ſua perſona. Vide ſupra q. 10. ℞. 2.

Excipe ab hac Reſponſione Generali I. Niſi Papa ex plenitudine poteſtatis ſuæ, concurrente gravi causâ, & exigente publicâ utilitate procederet: tunc enim poſſet aliquem legitimè electum, etiam aliàs dignum, à confirmatione rejicere, ut promoveatur dignior & magis idoneus, ut habent Concordata Germaniæ, §. *Item placet.* Ibi: *Electiones ſi Canonicæ fuerint, confirmabimus, niſi ex rationabli & evidente cauſa de digniore & utiliore perſona duxerimus providendum.*

Excipe II. Niſi ex ſpeciali Jure & ſtatutis quorundam Ordinum Superioribus v. g. Provinciali vel Generali conceſſa ſit poteſtas Electo Confirmationem denegandi, ut dicitur eſſe in Venerabili Ordine PP. Prædicatorum. Verùm de hoc videantur Scriptores dicti Sacri Ordinis.

Obſerva. Si Superior accedente bono communi & causâ

& causâ gravi confirmationem legitimè electo denegare valens, confirmationem reipsâ deneget, juxta Donatum *Tom. 2. Praxis Regularis, p. 1. tr. 7. q. 9. n. 7.* pluresque alios tenetur cauſam negatæ Confirmationis edicere, & probare ſaltem extrajudicialiter & coram Superiore ſuo, licèt non ſit neceſſe, ut hoc faciat coram ipſo, cui confirmationem denegavit. Si enim Electionum confirmatio vel caſſatio ita Superiorum arbitrio vel conſcientiæ commiſſa eſſet, ut nulli tenerentur facti ſui rationem reddere, ſed ſufficeret generatim dicere, id factum eſſe ex cauſa rationabili, aperiretur via privatis Superiorum affectibus cum gravi præjudicio tam Eligentium & Electorum, quàm Religionum, & Eccleſiæ. Et licèt aliàs, dum aliquid alicujus conſcientiæ committitur, ipſius dicto ſit ſtandum, nec contra illum querela moveri poſſit hoc tamen non admittitur, quando agitur de re, quæ præjudicat tertio & bono communi, vel quando intervenit materia juſtitiæ & Juris naturalis ac Divini, præcipientis, ut nulli inferatur præjudicium vél damnum injuſtum,

QUÆSTIO XXII.

An & quomodò ad Confirmationem requiratur, deſuper confectas eſſe literas authenticas?

℞. I. Illi, qui apud Sedem Apoſtolicam promoventur, aut Confirmationem recipiunt, quantumcunque certum nuncium habeant, ſe per Papam in Confi-

Conſiſtorio eſſe declaratos ut Epiſcopos, vel etſi certò ſciant ſuæ promotionis vel confirmationis eſſe expeditas & ad ſe tranſmiſſas, ante eas literas acceptas & Capitulo præſentatas adminiſtrare non poſſunt, neque à Capitulo tanquam Prælati recipi, ut exprimitur *Extrav. Injuncta. inter comm. de Elect.* Licet enim Gratiæ Apoſtolicæ ſive Papales, non per literas, ſed per Signaturam Gratiæ Regiſtratam eſſentialiter perficiantur, conſequenter literæ vel Bullæ continentes Conceſſionem gratiæ non ſint de Subſtantia acquiſitionis Gratiæ Apoſtolicæ, Confirmationis, vel beneficii, ſunt tamen de ſubſtantia probationis; adeoque ſi Papa ſolo verbo aliquem pronunciet Epiſcopum vel Prælatum, aut alicujus Electionem vel proviſionem approbet, erit quidem iſte ſtatim etiam nondum formatis vel expeditis literis verus Epiſcopus vel Prælatus, in foro tamen exteriori ante literas acceptas & præſentatas non poteſt ſe habere ut Prælatum adeundo adminiſtrationem, neque ut Prælatus poteſt recipi, eò quòd gratia ſine literis non poſſit probari. Vide Pirhing *ad tit. de Elect. num. 293.*

Quod tamen intelligitur tantùm de Prælatis titularibus non de merè Commendatariis neque de Cardinalibus teſte Barbosâ *de Offic. Epiſc. alleg. III. n. 35.* & juxta quoſdam non de iis, qui in curia promoti & confirmati literas Papales non poſſunt obtinere v.g. propter Papæ obitum. Qui per dolum ſine dictis literis adminiſtrationi ſe immiſceant, interim nihil ex Eccleſiarum vel Monaſteriorum proventibus poſſunt percipere; quidquid egerint circa adminiſtrationem eſt irritum, Capitula Eccle-

ſiarum

Idem cum proportione extendi ſolet ad eos, qui ſine literis Confirmationis apprehendunt *poſſeſſionem.* Ita ut ſi proviſio vel Confirmatio ſpectet ad Pontificem apprehendens Poſſeſſionem excidat Jure ſuo: alii verò Confirmati ab inferioribus Papâ poſſint validè & impunè, non tamen ſatis quietè & ſecurè poſſeſſionem capere.

Obſerva: Quòd ſpectato Jure communi electus confirmatus vel aliter inſtitutus ante ſolennem inſtallationem, vel realem introductionem in poſſeſſionem poſſit ſtatim adminiſtrare Jura & bona Eccleſiæ, in ſpiritualibus æque ac temporalibus, habet communis DD. *ex c. Noſti. c. Qualiter. &c. de Elect.* in quibus ad adminiſtrandum videtur requiri ſola Confirmatio. Vide Leurenium *Tom.* 2. & Pirhing *ad tit. de Elect. n.* 293.

QUÆSTIO XXIII.

Quouſque ſe extendat poteſtas adminiſtrandi, quam Epiſcopi vel Abbates acquirunt per Confirmationem, ante Conſecrationem vel Benedictionem?

Nota: alia ſpectant ad poteſtatem Juriſdictionis, alia ad poteſtatem Ordinis: Inter ea quæ ſpectant ad poteſtatem Ordinis, aliqua prævię ex Jure Divino & Eccleſiaſtico, alia ſolùm ex Jure Eccleſiaſtico requirunt Conſecrationem vel Benedictionem. Ad poteſtatem *Juriſdictionis* ſpectant, cenſuras ferre, & ab iis abſolvere (quod extra forum pœnitentiale etiam non-Sacerdotibus poteſt competere) cognoſcere & judicare cauſas ſubditorum

tam

tam criminales, quàm non criminales: punire; gratias & privilegia concedere: à vaſallis juramenta recipere: beneficia conferre & erigere, atque in iis inveſtire: præſentatos inſtituere: juriſdictionem tam in foro externo, quàm interno & pœnitentiali delegare, dando alteri poteſtatem abſolvendi ſacramentaliter à peccatis: Indulgentias concedere: Caſus reſervare: Synodos celebrare: & ſimilia exercere. Ad poteſtatem *Ordinis*, & quidem præviè ex Jure divino *Conſecrationem* requirentis ſunt: Ordines Sacerdotales, & Sacramentum Confirmationis conferre: Collatio reliquorum Ordinum ſpectat quidem etiam ad poteſtatem Ordinis non tamen ita ut *Conſecratio prævia* ex parte conferentis neceſſariò requiratur: quia hæc poteſtas etiam Abbatibus conceditur, ut de collatione Ordinum Minorum patet ex quotidiana praxi; & de aliis Ordinibus etiam uſque ad Diaconatum incluſivè patet ex iis, quæ Alviſet *de Privilegiis Regularium Sect.* 3. *cap.* 20. & Gobat *in Experientiis Theologicis, Tract.* 8. *n.* 329. Referunt de Generali, & quatuor Primariis Abbatibus Ordinis Ciſterciensis, quod per privilegium Innocentii VIII. ſubditos ſuos Regulares uſque ad Ordinem Diaconatûs incluſivè promovere potuerint. Conficere Chriſma ſpectat ad poteſtatem Ordinis: an verò hîc neceſſariò ex parte conficientis prærequiratur conſecratio Epiſcopalis, dependet ex illa quæſtione, an Pontifex ſimplici Sacerdoti concedere poſſit poteſtatem Chriſma benedicendi vel conficiendi; quod diſceptatur in utramque partem: Negativa præfertur; quia hæc eſt conformior antiquiſſimo

Eccleſiæ

Eccleſiæ uſui, cujus contrarium non poſſit ullâ ratione vel teſtimonio comprobari, ſcil. quòd ſimplici Sacerdoti unquam talis poteſtas fuerit collata. Unde conſequenter docetur, quòd ad extremam unctionem non ſufficiat oleum ab Epiſcopo electo & confirmato, ſed necdum conſecrato benedictum; eò quòd is ea, quæ ad Conſecrationem pertinent, non poſſit validè exercere, antequàm ipſemet ſit conſecratus. Benedicere Virgines aut Abbates, aut ſacra vaſa, vel veſtes: Altaria & Templa conſecrare, populo ſolenniter benedicere, & alia Pontificialia exercere, ſpectat quidem ad poteſtatem Ordinis, non tamen ita, ut neceſſariò requiratur prævia conſecratio: quia hæc poſſunt competere Abbatibus habentibus uſum Pontificialium, qui tamen non ſunt conſecrati. An verò in his non requiratur prævia benedictio, hìc declarabitur.

℞. I. Epiſcopus confirmatus, necdum conſecratus poteſt adminiſtrando exercere ea omnia, quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalis, non verò, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, & quæ neceſſariò requirunt præviam conſecrationem, ut patet ex *c. Transmiſſam.* 15. *de Elect.* ibi: *Ex quo Electionis tuæ Confirmationem accepiſti, de talibus & conſimilibus (præter ea, quæ majoris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt, miniſterium conſecrationis deſiderant) quod juſtum eſt, & Eccleſiaſtiæ convenit utilitati, ſtatuendi habeas liberam facultatem.* Ita ibi: Exceptio illa: *Præter ea, quæ majoris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt:* non concernit cauſas criminales etiam arduas, ſed ſolùm inquiſitiones illas, quæ ad realem, actualem, & ſolennem degradationem Clericorum

Digitized by Google

ſpectant, utpote, quæ juxta DD. *in c. 2. de excessib.* & Layman *Theol. Moral. Lib. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 4.* Episcopalis conſecrationis miniſterium deſiderant.

R. 2. Abbas confirmatus necdum benedictus exercere poteſt ea, quæ ad Juriſdictionem ſpectant: & quoad hæc Abbates æquiparantur Epiſcopis confirmatis necdum conſecratis. Nam non per benedictionem, ſed per Confirmationem conſtituuntur in ſuo officio & dominio, vel quaſi dominio illius officii, ac jure in re: Ea verò, quæ ſunt Ordinis, non poſſunt Abbates licitè exercere, antequàm ſint benedicti, in iis locis, ubi conſuetudo viget, ut Abbates poſt Confirmationem benedicantur. Si non ſoleant benedici, etiam licitè hæc exercebunt: unde infertur, quòd ubi viget conſuetudo, ut benedicantur, ſaltem *validè* ante conſecrationem illa exerceant: teſte Pirhing *ad tit. de Elect. n. 402.* Tamburino &c. Ratio: Alexander III. *c. 1. de ſuppl. neglig. Prælat.* conceſſit Ciſtercienſibus, ut ſi Epiſcopus tertiò cum humilitate requiſitus Abbates benedicere renuerit, poſſint Abbates ipſimet deinceps Monachos ſuos benedicere: Si autem hæc benedictio foret ſimpliciter neceſſaria, Pontifex potiùs dediſſet facultatem eligendi alium Epiſcopum, à quo priùs benedicantur, quàm abſque benedictione ea, quæ ad poteſtatem Ordinis reducuntur, exercendi.

Præterea Abbates non perpetui non benedicuntur, & tamen gaudent omnibus privilegiis & indultis, quibus fruuntur Abbates benedicti, teſte Pirh. *l. c.* Hinc benedictio iſta Abbatis paſſiva eſt potius de ſolennitate, quàm de ſubſtantia; poſſentque (juxta

Tam-

Tamburinum & plures alios) Abbates ante benedictionem ſuam uti baculo paſtorali, & reliquis Pontificalibus. Vide Leurenium *tom. 2. fori benef.*

QUÆSTIO XXIV.

Quis Confirmationem teneatur petere, an Electus, an eligentes?

℞. De Jure communi debet ipſe Electus petere, juxta *c. Quàm ſit. 6. de Elect. in* 6. ibi: *Quivis Electus intra tres menſes poſt conſenſum Electioni de ſe celebratæ præſtitum; Confirmationem electionis ipſius petere non omittat.* Poteſt autem iſtam confirmationem petere tam per ſeipſum, quam per Procuratorem ſive ex numero eligentium, ſive aliunde conſtitutum. Poteſt etiam Electi amicus abſque ejuſdem mandato, attamen ſub ipſius nomine Confirmationem petere, dummodò id Electus intra tempus ad petendam Confirmationem conſtitutum ratihabeat; *Ratihibitionem* enim *retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari c. 10. de R. J. in 6.* at ſi Electus amico dediſſet mandatum procurandi Confirmationem Confirmatio legitimè impetraretur, ergo etiam legitimè impetrata erit, ſi opera amici ſine mandato expreſſo facta, poſteà fuerit ratihabita. Imo ſi ipſe Electus confirmationem non petat, poſſunt Electores eam petere, dummodò Electus Electioni jam conſenſerit, & confirmationi petendæ non diſſenſerit; *arg. c. cùm inter Canonicos. c. Cùm dilectus.* & *c. Dudum. de Elect.* Unde hinc patet diſparitas inter *Poſtulationem* & *Electionem* quòd *Poſtulantibus* præcipiatur, ut ipſi admiſſionem Poſtulationis petant, *c. Cupientes. 16. de Elect. in* 6. at

Eligentes poſſunt, non tamen tenentur Confirmationem Electi procurare. Ratio verò, quòd Electores imò quilibet alius de Eccleſia inſtare poſſint pro Confirmatione, etſi ab Electo non habeant ſpeciale mandatum eſt, quia petendo Confirmationem cenſentur laborare pro bono Eccleſiæ, & hujus negotium utiliter tractare, quod cuivis, etiam ſine expreſſo mandato, licet.

Quoad Capitula Cathedralia & Regularia, quæ Electorum Confirmationes à Sede Apoſtolica vel ex titulo immediatæ ſubjectionis, vel ex cauſa Appellationis ad eandem Sedem interpoſitæ, petere debent, ſpeciale quid quoad electores conſtitutum eſt *c. Cupientes.* §. *Ad hæc. de Elect.* Ut nimirum Electores duos ex Capitularibus infra idem tempus intra quod electus debet perſonaliter comparere ad Sedem Apoſtolicam ablegent ſufficienter inſtructos, ut Papam de tota Electionis cauſa valeant informare Sumptus ad hoc neceſſarios præſtare debet ipſa Prælatura, ſi habeat bona à Capituli bonis diviſa; ſin verò bona ſint communia, ex iiſdem. Quando electio eſt celebrata in diſcordia, habitæq; fuerunt electiones plures de diverſis perſonis, duo Capitulares ex utraque parte ſunt mittendi, impenſas præſtante Electo vel Electis; idque ſub privatione Juris quæſiti (ſententiæ ferendæ) niſi eos inopia excuſet, & ſic Electoribus onus expenſas ferendi imponat, *gl. l. c. v. impotentia.* Quando verò unicus tantùm eſt electus, cui unus vel alter ſe opponat, ipſi Opponentes ſaltem duo ex ipſis, ſi plures duob⁹ fuerint, per ſe vel ubi impediuntur per Procuratorem expenſis ipſorum Opponentium cum actis Electionis,

nis, & ſufficienter inſtructi coram Sede Apoſtolica compareant, ut per illos Papa plenè informetur.

QUÆSTIO XXV.

An Superior extra ſuum territorium exiſtens poſſit electionem confirmare?

℞. Si ante Confirmationem occurrat Judicium contradictorium, (quatenùs nimirum contra Electionem factæ ſunt aliquæ oppoſitiones) aut ſi Confirmatio danda ſit ſolenniter juxta formam *c. fin. de Elect.* præſcriptam (nimirum cum cauſæ cognitione, & citatione illorum, qui ſe Electioni opponunt) non poteſt Confirmatio concedi ab eo, qui exiſtit extra ſuum territorium, ſine licentia Judicis illius territorii: tunc enim Confirmatio iſta datur in forma *judiciali*, at poteſtatem judiciariam & juriſdictionem in alieno territorio ſine obtenta licentia exercere eſt de jure prohibitum. Si verò Confirmatio datur abſq; omni contradictione opponentium, aut ſine ſtrepitu judiciali; vel ſi intra territorium Confirmantis cauſa jam fuerit diſcuſſa, & ſententia de confirmando lata, poteſt confirmatio fieri extra territorium confirmantis; quia ſic confirmatio iſta eſt actus extrajudicialis & voluntariæ juriſdictionis.

An ſi diſcuſſio negotii vel Electionis fieret ſummariè, extrajudicialiter abſque ſtrepitu & forma judicii (quatenus nimirum Superior, abſque eo quod aliquis contradictor apparuerit, ex officio ſe informat de aliquibus aliunde ſibi indicatis) an inquam tunc iſta diſcuſſio extrajudicialis & confirmatio extra territorium confirmantis fieri poſſit, controvertitur. Pro affirmativa citatur Sanchez *de*

Digitized by Google

Matrim. lib. 3. diſp. 8. n. 6. eò quòd totum hoc negotium videatur eſſe voluntariæ juriſdictionis. Pro negativa facit, quòd abſentia Contradictoris non faciat, ut Judicium non ſit ſolenne & contentioſum, & ut ſententia lata non ſit definita: cùm non fiat ſine citatione, & defenſione cauſæ ſolennis.

QUÆSTIO XXVI.

An Confirmator poſſit confirmationem à ſe datam revocare, & Electionem, quam ipſemet confirmavit caſſare.

℞. Confirmationem datam *per modum ſententiæ definitivæ* non poteſt ipſemet Confirmator caſſare; ſecus eſt, ſi confirmatio ſit data per modum ſententiæ interlocutoriæ. Sequitur ex principiis generalibus de ſententia *definitiva* & *interlocutoria*: Nam ſententia *definitiva* valida ab eodem Judice non poteſt revocari, nequidem de conſenſu partium; & nec ex prætextu erroris alicujus, etiam infra decem dies; licèt enim in melius reformare vellet, *L.* 14. *ff. de re judicata.* Ratio, quia ſententiâ definitivâ lata Judex eſt functus ſuo officio, conſequenter deſinit eſſe Judex, & illius officium exſpirat, *L. Judex.* 55 *ff. eod.* Imò nec ſucceſſor Judicis illius, qui ſententiam tulit, hanc revocare valet, *L. Poſt ſententiam. C. de ſententiis & interlocutionibus.* Si ſententia foret ipſo Jure nulla, non prohiberetur Judex cauſam denuò cognoſcere, & priori ſententiâ revocatâ vel correctâ aliam ferre; quia necdum ſuo officio functus fuit, *L. 4. C. de Accuſ.* Idem dic, ſententia lata ſit ex falſis inſtrumentis, aut propter corruptos teſtes, quæ ſententia compertâ veritate revocari poteſt, *L.*

Divus,

Dividend. §. ff. de re judic. Econtra interlocutoriam Judex etiam abſque partium conſenſu, & nemine opponente vel inſtante revocare poteſt, eſto ab ea juxta Jus Canonicum eſſet appellatum, *c. cùm ceſſante de appellat.* Licèt enim appellatio a definitiva faciat, ut prior deſinat eſſe Judex, & juriſdictio in ſuperiorem Judicem ad quem transferatur; hoc tamen non facit appellatio ab interlocutoria vel gravamine incidente, *L. quod juſſit.* 14. *ff. de re jud.* Hæc cum proportione applicanda ſunt Confirmatori.

Cenſetur Confirmatio eſſe data *per modum ſententiæ definitivæ*, quando fit in figura judicii: aut quando fit in Judicio contradictorio, citatis citandis, & auditis illis, qui aliquid opponendum habuerint, aut quando fit à Confirmatore ex officio quidem procedente, ſed tamen ſolenniter, hoc eſt, examinando teſtes cum juramento & ſervato Juris Ordine: aut procedendo juxta *c. fin. de Elect. in 6.* Nimirum vocando nominatim, ſi qui ſint forte coelecti, aut contradicentes, aut nullo apparente, qui contradicat, generalem citationem in Eccleſia, in qua electio facta eſt, affigendo, præfixo termino competenti peremptorio, ut ſi qui ſint, qui velint, opponere, compareant. Unde à contrario Confirmatio habebit ſecum vim *interlocutoriæ*, quando prædictæ ſolennitates citationes & examinationes ſolennes non ſunt prævie adhibitæ. Cum verò *d. c. fin.* addatur, quòd allegatæ ſolennitates quoad citationes ſint obſervandæ, etſi Electio in concordia celebrata fuerit, ita ut confirmatio aliter facta ſit irrita, & viribus omnino careat, hinc apparet, quòd per ſe loquendo confirmatio ſemper habeat vim ſententiæ definitivæ, adeoque per ſe loquendo nunquam

quam poſſit à Confirmatore caſſari, niſi fortè is haberet poteſtatem ſupremam Electum in- & deſtituendi. Vide Leurenium *tom.* 2.

QUÆSTIO XXVII.

An & quomodò à Confirmatione poſſit appellari?

℞. Ab Electionis legitimæ confirmatione regulariter non admittitur exceptio vel appellatio ad impediendum electionis vel confirmationis effectum; ſed loco appellationis conceſſa eſt accuſatio vel denunciatio contra electum cui Electo intereà pacifica Prælaturæ poſſeſſio eſt danda: ut exprimitur *c. Conſtitut.* 46. *de appellat.* Ne ſcilicet Eccleſia ob diuturniorem vacaturam diſcrimen patiatur. Dixi: *Regulariter non admittitur:* Nam, ſi defectus electionis ſit manifeſtus, aut in continenti probari poſſit, v. g. Electores vel Confirmatorem non habuiſſe poteſtatem eligendi aut confirmandi: vel ſi Electo objiciatur crimen junctum infamiæ, *c. Accedens.* 23. *de accuſat.* aut ſi excipiatur de crimine falſi, v. g. opponendo quòd Confirmatio per falſas literas fuerit impetrata, *arg. c.* 2. *de crim. falſ.* appellationes & exceptiones contra Electum & confirmatum debent admitti dummodò non ſit præſumpcio contra excipientem, quòd malitiosè procedat. Imò *d. c. conſtit.* fit mentio de eo, qui appellavit *non allegatâ rationabili causâ ad impediendam executionem, & effectum electionis & confirmationis,* quod hujus appellatio non debeat admitti. Unde à contrario audiendus eſt, qui rationabilem cauſam habet proponendam contra electum, ne confirmetur; quod exinde colligitur, quia ideò ante Confirmationem debet inſtitui

inqui-

Digitized by Google

inquiſitio, & citari vel nominatim vel generatim, ſi qui adſint, qui velint contradicere: ergo ſi contradictores appareant cum cauſa rationabili, debent audiri. Idem expreſſum eſt *c. ſi poſtquam* 33. *de El. in* 6.

Quòd ſi appellans non excipiat contra electionẽ & Confirmationem, ad impediendum effectum Juris pleni, quod Electo per confirmationem eſt acquiſitum; ſed poſt obtentam poſſeſſionem velit Electum ratione alicujus criminis denunciare vel accuſare, eſt audiendus text. expreſ. *d. c. Conſtitutis*. Tunc enim ceſſat præſumptio, quòd iſtud objiciatur malitiosè ad impediendum poſſeſſionem, & executionem.

Quando ergo contra Electionem ad Confirmationem impediendam rationabilis cauſa opponitur, iſta oppoſitio habet effectus legitimæ appellationis, & imprimis effectum ſuſpenſivum exercet reſpectu Judicis à quo, ſive primi Confirmatoris, ita ut pendente hac appellatione, vel contradictione Juriſdictio Judicis à quo, & poteſtas illius primi Confirmatoris ſuſpendatur, ut jam inſinuatum ſupra 97. Nec aliquid poſſit innovare, vel attentare, ſed omnia relinquere in ſtatu, quo erant tempore interpoſitæ contradictionis vel appellationis, *cap.* 19. 53. *&* 55. *de Appellat.* Effectum *devolutivum* exercet reſpectu Judicis ad quem, quatenùs nimirum cauſam devolvit ad Judicem ad quem, ita ut is de Juſtitia appellationis & cauſæ appellatæ, deinceps cognoſcere, & pronunciare debeat, *cap.* 39. *eod.* Effectum revocatorium attentatorum operatur reſpectu ipſius cauſæ appellatæ, ita ut pendente appellatione in cauſa appellata nihil ſit innovandum, & ſi quid innovatum fuerit vocabitur

Digitized by Google

attentatum, quod ſtatim & ante omnia per Judicem ad quem remedio attentatorum eſt revocandum & irritandum, *cap. Dilectis filiis. 35. eod. & L. un. ff. Nihil innovari appellatione interpoſitâ.* Et hoc quidem, ſi appellatum fuerit à ſententia *definitiva:* Si verò appellatum fuerit ſolùm ab *interlocutoria*, & gravamine ante ſententiam definitivam, non debet Judex ad quem ſtatim poſt appellationem attentata revocare, priusquàm conſtiterit cauſam appellandi fuiſſe legitimam; niſi Judex ad quem negotio ad ſe devoluto Judici à quo inhibuiſſet, ne ulterius procedat, & iſte nihilominùs aliquid attentâſſet, *cap. Non ſolùm. 7. eod. in 6.* Hoc remedium attentatorum locum etiam habet in appellatione extra-Judiciali; quia per hanc ad minimum inducitur lis pendens: at lite pendente generaliter nihil eſt innovandum, *cap. 1. & 2. Ut lite pendente nihil innovetur.*

Dub. 1. *An ſit audiendus, qui vult excipere contra Electionem confirmatam?*

℞. Regulariter non eſt audiendus, niſi fortè tempore confirmationis fuerit abſens, aut etſi fuerit in vicinia, poſſit tamen per veriſimilia indicia aut conjecturas probare ſuam ignorantiam, & probationem hanc juramento confirmare. Si exceptio non fiat contra *electionem*, ſed denunciatio Canonica contra *electum*, ne inhabilis Eccleſiæ præficiatur, regulariter eſt audiendus etiam poſt Confirmationem aut conſecrationem. Pithing *ad tit. de Elect. n.* 322. Exceptiones autem contra Electionem etiam confirmatam, quando opponi poſſunt, exponendæ ſunt Confirmatori, qui poteſtatem habet de illis judicandi.

Dub.

Dub. 2. *Quinam à Confirmatore, dum vel confirmationem indebitè confert, vel Electionem caſſat, poſſint appellare?*

℞. 1. Quando ex Electionis confirmatione vel caſſatione pendet intereſſe commune alicujus Capituli vel Communitatis, non poteſt quilibet ſigillatim ex Capitulo nomine proprio pro electi confirmatione agere, ſed ſolus is, qui à Capitulo conſtitutus eſt Procurator: quia in illis, quæ ad Communitatem ſpectant, ſtatur majoris partis determinationi, ita ut plurima vota, etſi non ſint reipsâ omnium omninò unanimia, valeant, dummodò nihil injuſti decernant. Imò ſi ex Electionis caſſatione enaſcatur injuſtitia vel injuria communitati, quæ ſit talis, ut eam major pars condonare valeat, non poteſt majore parte injuriam condonante, minor pars, vel aliquis Electorum in particulari injuriam proſequi: quia facultas proſequendi electionem non competit alicui particulari ex jure proprio, ſed ex Jure Collegii vel Capituli; hinc injuria non eſt facta alicui Electori, ut agit perſonam particularem, ſed in quantum gerit perſonam & negotium Capituli. Cùm ergo (ſuppoſito, quòd electione primâ caſſatâ jus procedendi ad novam Electionem ad Capitulum redeat, & non devolvatur ad Superiorem) injuria per injuſtam caſſationem Capitulo illata ſit talis, quæ poſſit remitti, rectè infertur, quòd hâc remiſſione à majori parte factâ, minor pars debeat acquieſcere.

℞. 2. Si ex Electionis con- vel infirmatione alicui Electori particulari, aut cuivis de populo pendeat aliqua utilitas propria illi *debita*, aut damnum

habeat

injuſtum; v.g ſi ſit rationabilis timor, ne electus habeat colluſionem cum hoſtibus, aut inclinet ad ſe ducendum populum ad fidem Acatholicam, per ſe loquendo quilibet de populo poterit à data confirmatione appellare; quia ſic quilibet in particulari in juribus ſuis particularibus injuſtè gravatur. Quòd ſi utilitas particularibus enaſcitura eſſet *indebita*, ita ut hi particulares ad iſtam utilitatem nullum jus obtineant (qualis eſſe poteſt, quòd Electus ſit ejus conſanguineus) ſi caſſetur electio, non poteſt ratione iſtius utilitatis ſolius appellatio interponi, quia ſic nullum jus læditur, neque quis ſinjuriam accipiendo gravatur, Vide Leuren. *Tom.* 2. *Fori Benefic.*

Dub. 3. *An Electores à caſſatione Electionis appellare valeant, quando is, qui alias legitimè electus eſt, nec habet jus ad confirmationem?*

℞. Si hoc jus electus amiſerit *ex aliquo defectu ſuo culpabili*, v. g. quia fuit negligens in Confirmatione debito tempote petenda: non poſſunt Electores à Caſſatione appellare: quia ſic Electus non eſt confirmabilis: ergo fruſtra pro confirmatione inſtarent Electores. Si vero *ex aliqua lege vel ſtatuto particulari* Electus non haberet jus ad Confirmationem & tamen confirmari poſſet, poſſunt Electores ab Electionis caſſatione appellare: quia licet Electus non conſequatur aliquod jus, Capitulum tamen habet jus petendi confirmationem, & defendendi electionem à ſe factam, ſicut & quoslibet alios actus Capitulares, (etiam tales, qui planè ſunt voluntarii, nullumque omninò Jus tertio tribuunt) vertitur enim ipſorum honor vel vituperium, ſi electionem vel alios

actus

actus dicantur bene vel malè aut nulliter peregiſſe.

Dub. 4. *An Electores poſſint à caſſatione Electionis appellare & cauſam proſequi, ſi Electus ipſe non velit ſimul agere?*

℞. Si pro fundanda Electionis, caſſatione prætendatur *defectus formæ*, quòd nimirùm in forma fuerit erratum) poſſunt Electores cauſam proſequi, ſi Electus habeat ſe negativè, & nec petat, nec contradicat, quòd Electores pro ejus Confirmatione inſtent: quia ſi dicatur defectus in forma commiſſus, fundamentum caſſationis refunderetur in ipſos Electores; adeoque ſi fundamentum hoc non ſubſiſteret, & defectus formæ reipsâ non ſubeſſet, conqueri poſſent, ſe indebitè gravatos. Quòd ſi Electus diſſentiat, vel contradicat, & nolit, ut Electores pro ſua confirmatione inſtent, & ipſemet nolit agere, cenſebitur renunciare juri ſuo qualicunque, quod habere poſſet; adeoque tunc fruſtra Electores pro confirmatione inſtarent, ut ſequitur ex dictis q. 3.

Si pro fundanda Electionis caſſatione prætendatur defectus tenens ſe *ex parte Electi*, non poſſunt Electores cauſam proſequi, niſi electus ſimul cum illis agat, aut citatus perſonaliter vel per Procuratorem ſuum compareat: de hujus namque gravi præjudicio agitur; cùm poſſit contingere, ut Electus ad declinandam majorem confuſionem mallet à cauſa abſtinere, quàm confirmationem in Judicio appellationis proſequendo, defectum ſibi objectum magis propalare.

Dub. 5. *An ab Electionis con-vel infirmatione liceat*

Digitized by Google

liceat immediatè ad Prælatum mediatum appellare. prærerito immediato Superiore, ad quem aliàs ſpectat confirmatio vel infirmatio aut caſſatio Electionis?

℞. 1. Si appellatio iſta immediatè fiat ad Sedem Apoſtolicam, valida eſt & licita, & quàmvis facta eſſet extra judicialiter habet effectum ſuſpenſivum ac devolutivum ita ut ſi inferior electionem con-vel infirmet, irritum agat, niſi priùs fuerit Canonicè ab appellatione receſſum. Colligitur ex *cap. Si poſtquam 33. de Elect. in 6.* Ubi exprimuntur Electiones celebratæ in Eccleſiis *Cathedralians vel Regularibus*. Et licèt de Jure *Civili* in appellationibus adeò neceſſariò attendi debeat gradatio, ut nequidem ad Imperatorem præterito Judice intermedio appellare liceat, *L. Imperatores. 21. ff. de Appellationibus*. Ne ſcilicet Juriſdictiones confundantur: Licèt quoque eadem gradatio à Judice inferiore, qui ſententiam tulit, ad ejus Superiorem proximum & immediatum, non verò ad alium ſive æqualem, ſive Superiorem mediatum ſit de Jure *Canonico* ſervanda; *cap. 65. de appellat. & c. Romana. eod. in 6.* In cauſis tamen fori Eccleſiaſtici, vel etiam Laici quoad eos, qui temporali Eccleſiæ Romanæ juriſdictioni ſubſunt, poteſt à quolibet Judice inferiore ad ſummum Pontificem immediatè appellari, *cap. 7. 31. & 52. eod.* Quod etiam extenditur ad Legatum de Latere in ſua Provincia, *cap. 1. de Officio Legati*: utpote qui in ſua Provincia gerit vices Papæ. Et ratio diſparitatis inter Judices Laicos & Pontificem Romanum eſt, quòd Principes Superiores Laici Juriſdictionem inferio-

ſum Judicium à ſe abdicârint, *d. L. Imperatores.* An Pontifex Romanus omnium Judicum inferiorum eſt Ordinarius, & cum omnibus Ordinariis concurrentem Juriſdictionem obtinet, *cap. ſi duobus 7. de Appellat.* & Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. Cap. 20. de Reform.* Neque is aliquibus Ordinariam vel delegatam Juriſdictionem communicando, ſuam à ſe abdicat.

Obſerva: Licèt aliàs, regulariter non obſtante appellatione factâ, ante ſententiam definitivam, poſſit Judex Ordinarius inferior à quo fuit appellatum in cauſa procedere, donec appareat, an Superior, ad quem fuit appellatum, cognitâ veritate acta velit reſcindere, *cap. Non ſolùm 7. §. Ita verò de Appellat. in 6.* Specialiter tamen ſtatutum eſt in caſu, quo ab electione, in Cathedrali vel Regulari Eccleſia ad Sedem Apoſtolicam extra vel intra Judicium appellatur; ut tunc inferior teneatur ſtatim ab omni confirmatione abſtinere, nec poſſit ulterius progredi, aliàs confirmatio nullam obtinebit roboris firmitatem, *d. c. ſi poſtquam.* Secus eſt ſi ad inferiorem Judicem appelletur, ut habet communis DD. cum Pirhing *ad tit. de Elect. n. 313.* Hoc enim ſtatutum eſt ob reverentiam Sedi Apoſtolicæ, teſte Gloſſa *in d. c. ſi poſtquam. v. ad Sedem Apoſtolicam.* Ita ut nequidem appellatio ad Legatum à Latere quoad iſtud punctum habeat plus privilegii. Etſi enim hæc appellatio eſſet valida, adhuc tamen æquiparatur aliis appellationibus, quæ non habent tam efficacem virtutem ſuſpendendi omnem poteſtatem Judicis à quo, donec altior ſuperior, ad quem fuit appellatum, ipſi inhibeat facultatem ulterius procedendi.

℞. 2. Si appellatio fiat ad alios Judices Pontifice inferiores ſervanda eſt gradatio, ita ut non poſſit fieri immediatè ad Superiorem mediatum, omiſſo medio, ut colligitur ex dictis, ℞. 1. Niſi, Judex intermedius fuerit impeditus, v. g. ab officio ſuſpenſus, vel excommunicatus; aut Juſtitiam adminiſtrare reſpuat; aut ſit compars, contra quam litigatur; aut compars litigans ſciens in appellatione præteritum eſſe aliquem intermedium, compareat coram mediato, & non opponat exceptionem in contrarium, tunc enim etiam de Jure Civili valebit appellatio, eò quòd ſic cenſeatur prorogata iſtius mediati Judicis juriſdictio, quam prorogationem partes litigantes facere poſſunt, etiam non requiſito Judicis intermedii conſenſu; ut patet ex principiis generalibus de modo ſortiendi forum per prorogationem, per quam quis ultro in Judicem non ſuum vel incompetentem conſentire poteſt, *cap. ſignificâſti.* 18. *de foro competenti.*

Dummodò excipias Clericum, qui nequidem juratò poteſt in ſe juriſdictionem Judicis Laici prorogare, *cap Si diligenti.* 12. *eod.* Et dummodò prorogatio tendat in Judicem, qui habeat juriſdictionem cauſæ proportionatam. Neque enim prorogans juriſdictionem planè novam poteſt conferre, *L. Privatorum. C. de Juriſdict. omn. Judicum.* Apud Religioſos cùm ſuperiores intermedii ſuis Superioribus Primariis, v. g. Generalibus ſint ratione voti obedientiæ magis ſubordinati, quàm alii Judices ſive Eccleſiaſtici, ſive Laici faciliùs admittitur appellatio ad Superiorem mediatum v. g. Generalem, prætermiſſo ſuperiore intermedio, v. g. Provinciali.

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA
De
Poſtulatione Prælatorum.

QUÆSTIO I.
Quid ſit Poſtulatio?

℞. POſtulatio ut hic ſumitur, definitur à Valenſi *h. t. n.* 2. quòd ſit *concors certa ac ſupplex Capituli, vel aliorum petitio, apud Superiorem facta, ut certa aliqua perſona ad Prælaturam promoveatur, ad quam ob aliquod impedimentum vel defectum jure eligi non poteſt cùm tamen Eccleſiæ utilis futura ſperetur.*

Dicitur 1. *Concors*, per quod indicatur ad Poſtulationem requiri plura vota, quamvis non debeant *omnes* Capitulares in unum conſentire: Nam etiam electio dicitur *Concors*, quamvis non omninò *omnes* conſentiant in unum electum, ſufficit ergo plures conſenſiſſe: Dummodò plures vocem activam habuerint alioquin unus ſolus reſiduus poſtulare non prohibetur.

Dicitur 2. *Certa:* per quod excluduntur formulæ poſtulandi ſibi adverſantes, imperfectæ,

conſtantes verbis dubiis & ambiguis. Hinc poſtulatio vel Electio eſt irrita, ſi fiat ſub talibus formis: *Eligo poſtulando, & poſtulo eligendo?* Vel, *Eligo poſtulandum, & poſtulo eligendum:* Vel, *eligo in poſtulandum*, vel *poſtulo in eligendum:* vel, *eligo & poſtulo, prout poteſt meliùs de jure valere.*

In iſtis enim formis verba ſunt incerta. Si tamen dubitetur cum fundamento, utrum quis ſit eligendus an poſtulandus, poteſt hæc ultima forma admitti. Is verò qui ſic poſtulatus vel electus fuerit, ſi velit conſentire in promotionem ſuæ perſonæ, debet neceſſariò eligere alterutram viam vel electionis vel poſtulationis, ne in incerto vagetur. Et poſtquàm unam viam elegerit, non habet poteſtatem redeundi ad aliam: v. g. ſi velit defendere ſe eſſe electum, non poteſt aſſumere poſteà, ſe eſſe poſtulatum, vel viciſſim. Hæc omnia conſtant ex *cap. perpetuo. un. h. t. in 6.*

Cenſet quidem ibi Gloſſa *v. probabiliter*, eſſe locum ultimæ formæ in ſolo *dubio facti*, v. g. quando dubitatur, an promovendus ad Prælaturam vel dignitatem attigerit ætatem legitimam: Nihilominus alii DD. etiam extendunt ad *dubium juris:* v. g. quando dubitatur, an ob factum aliquod (de quo conſtat) non ſit redditus irregularis: Cur enim nos diſtingueremus, ubi Lex vel textus Juris non diſtinguit?

Dicitur 3. *Supplex:* ut innuatur, quòd Poſtulatio innitatur gratiæ faciendæ, & non tribuat Poſtulato jus ad Dignitatem, ad quam poſtulatur.

tur. Unde Superior non admittendo poſtulationem, *per ſe loquendo*, nec poſtulato, nec poſtulatoribus infert injuriam, *cap. 3. Bona memoria. il. 1. h. t.* Hinc etiam notat Engel *ad h. t. n. 3.* quòd Poſtulatio in jure non dicatur *confirmari*, ſed *admitti*, eò quòd illud, quod confirmatur, ſupponat præexiſtens aliquod jus. Cenſet Donatus *prax. Regul. tom. 2. p. 1. tr. 1. q. 1. n. 11.* quòd hoc ſolùm ſit verum inſpecto *Jure communi:* Aſt in ſuo Ordine Prædicatorum ex privilegio quoad effectum Confirmationis nulla ſit differentia inter Poſtulationem & Electionem, ſed fiant eodem modo, & Confirmator poſſit confirmare electum vel poſtulatum, prout melius ſibi viſum fuerit, & ſæpe hunc præ illo, tamen ex cauſa, quia ſcil. poſtulatus exiſtimatur magìs utilis & neceſſarius.

Dixi: Superiorem non admittendo poſtulationem non inferre injuriam *per ſe loquendo*: quia ex accidenti poteſt facilè ſi fortè non poſtulato, tamen Eccleſiæ, pro qua fit poſtulatio, inferri injuria vel damnum. Caſum ſpecificat Wagnereck in *d. c. 3. Bona Memoria. V. non tam ex juſtitia, quàm ex gratia.* ſcil. ſi poſtulatus ſit potens ad defendendam Eccleſiam, aut bene doctus, ſimilibuſque qualitatibus inſtructus, licèt ſit illegitimè natus, aut nondum habeat ætatem canonicam: Tunc enim, ſi non reperiatur alius, per quem tamen bene conſulatur Eccleſiæ, fieret injuria poſtulatoribus, vel potiùs Eccleſiæ, pro qua fit poſtulatio, ſi ea non admittatur. Nam quod uno ſenſu eſt gratia (qualis eſt admiſſio po-

ſtulationis) illud alio ſenſu & reſpectu poteſt eſſe debitum. Cenſet verò Engel *h. t. n.* 3. *in fine.* quòd in data hypotheſi poſtulantibus vel poſtulato non tam actio propria contra denegantem admiſſionem, quàm imploratio officii apud Judicem ſuperiorem competat.

Dicitur 4. *Ob aliquod impedimentum vel defectum:* Si enim horum nullum ſubeſſet, ceſſaret finis poſtulationis, & ſubingrederetur via Electionis. Debet autem hoc impedimentum vel defectus non à culpa pura tranſitoria, ſive peccato, quòd præteriit, ſed vel à diſpoſitione Juris, vel aliquâ indecentiâ morali & civili permanenti deſcendere: Neque enim quis ſtatim ideò debet ſolùm poſtulari, ut non poſſit eligi, quando commiſit aliquod peccatum impertinens, v. g. commiſit exceſſum in potu, aut ſemel tantùm locutus eſt verba ſcandaloſa, iracunda &c. alioqui non adeò multi poſſent eligi, cùm non ſint uſquequaque frequentes, qui non aliquando deliquerint.

Sunt impedimenta electionis aliquando ſine, aliquando cum defectu, vel potiùs defectus ipſe. Impedimentum *ſine defectu* eſt. I. quando quis jam eſt in aliqua dignitate ſuprema vel Epiſcopali conſtitutus.

Hinc Epiſcopus in uno loco non poteſt viâ electionis promoveri ad Epiſcopatum vel Archi-Epiſcopatum in altero loco, *c.* 2. *&* 3. *de Tranſlat. Epiſc.* II. Si nondum ſit Religionem profeſſus, & agatur de eo aſſumendo in Abbatem, *cap. cum Monaſterrum.* 13. *de Elect.*

Impedimenta *cum defectu*, vel potiùs ipſi defe-

defectus ſunt: I. Defectus natalium. Hinc illegitimè natus non poteſt eligi, ſed debet poſtulari, *cap. Innotuit. 20. de Elect.* II. Defectus ætatis, *c. Dudum. 22. eod.* III. Defectus Ordinum, *d. c. dudum. & C. multis. de ætate & qualitate & ordine præficiendorum.* Ex hoc defectu Laicus non poteſt eligi in Epiſcopum. *c. Oſius. diſt. 61.* Nec conſtitutus ſolùm in Minoribus, *c. præterea. de ætat. & qualit. & Ord. præfic.*

Dantur etiam impedimenta vel defectus, ob quos aliqui non tantùm eligi, ſed & poſtulari prohibentur; Sic *Extrav. inter communes. un. diſpendiis. h. t.* ſtatuitur, ne, qui vigeſimum ſeptimum ætatis annum non attigerit, ad Cathedralem; Nec Religioſi Mendicantes, ad Eccleſias Cathedralibus inferiores, aut ad Monaſteria extra ſuos Ordines poſtulentur: ſecùs facta ſint irrita. Contrafacientes ſcienter eâ vice privantur poteſtate eligendi ac poſtulandi, & per triennium ſuſpenduntur à beneficiis, quæ in Eccleſia, pro qua poſtulârunt, obtinent. Poſtulati verò, qui negotium Poſtulationis de ſe factæ per ſe vel per alium fuerint in Curia Romana proſecuti, illud ibi in publico vel privato Conſiſtorio proponi facientes, etiam ſe duntaxat diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ committendo, ſi ſe annum vigeſimum ſeptimum non attigiſſe ſciverint, uſque ad annum trigeſimum quintum; Cæteri verò Sæculares & Religioſi extra ſuorum Ordinum adminiſtrationes perpetuò ineligibiles ad quaſcunque Dignitates Eccleſiaſticas, & beneficia quælibet obtinenda decernuntur. Hucuſque *d. Extrav. diſpendiis.* Quæ tamen non ad omnem

Digitized by Google

rigorem uſu ſervatur. Simile impedimentum eſt, ſi poſtulandus violârit aliquod interdictum Eccleſiaſticum, qui *c. Adhæc*, 1. *h. t.* decernitur impoſtulabilis paſſivè: Ratio eſſe poteſt, quòd indignus ſit Dignitatibus Eccleſiaſticis, qui deſpexit claves Petri, & Eccleſiaſticam læſit poteſtatem. Imò ob eandem rationem non ſervans interdictum eſt ſuſpenſus ab officio, beneficio, & omni juriſdictione; conſequenter nec eligere, nec excommunicare, nec beneficium conferre poteſt, *c. ult. de Exceſſ. Prælat.* Qui autem indignus eſt ad eligendum, eſt etiam indignus ad poſtulandum, quia per poſtulationem devenitur ad electionem, ut notant DD. communiter in *c. Innotuit.* 30. *de Elect.*

Dubium 1. *Quotuplex ſit Poſtulatio?*

℞. Communiter dividitur in ſolennem, & minùs ſolennem ſive ſimplicem. *Solennis* eſt, quæ inſtituitur rectà ad Superiorem, ut in impedimento canonico poſtulati diſpenſet. *Minùs ſolennis*, ſive *ſimplex* eſt, quæ nullum ſupponit impedimentum canonicum ex parte Poſtulati, adeoque etiam nullam petit diſpenſationem contra Jus, ſed ſolùm requirit licentiam vel conſenſum Superioris illius, qui poſtulatur: v. g. Si Religioſus à Canonicis eligatur in Epiſcopum, vel profeſſus unius Monaſterii eligatur in Abbatem alterius Monaſterii, de quo vide plura infra *q.* 14.

Differunt hæ duæ Poſtulationes in variis.

I. Poſtulatio *ſolennis* exigit diſpenſationem in impedimento Canonico ex parte Poſtulati ſe tenente: Econtra *ſimplex* non exigit diſpenſatio-

nem,

niem, ſed ſolam licentiam Superioris, etiam talis, qui aliàs in nullo impedimento canonico poſſet diſpenſare.

II. Poſtulatio *ſolennis* admiſſa à Superiore habet vim electionis & confirmationis, ita ut hâc admiſſione factâ poſtulatus acquirat jus, ac ſi fuiſſet electus, nec indigeat ulteriori confirmatione.

Econtra Poſtulatio *ſimplex* ſeorſim & ſecundùm ſe ſumpta, licet admittatur, nondum tribuit jus ullum ſic poſtulato, ſed inſuper neceſſaria adhuc eſt electio (niſi poſtulatio hæc *ſimplex* fiat modò Electione jam peractâ) & Electi confirmatio.

III. Poſtulatio *ſimplex* ſecundùm ſe ſumpta non neceſſariò fit collegialiter, ſed ſufficit, quocunque modo tollatur obſtaculum, vel obtineatur Superioris conſenſus; etſi id fieret ab extraneo: Secùs eſt de poſtulatione *ſolenni*: cùm enim hæc continere debeat aliquam formam canonicam providendi Eccleſiæ viduatæ, non poteſt fieri, niſi ab Electoribus capitulariter congregatis, ut dicetur infra *q.* 21. *n.* 2. *ad Dub.*

IV. In Poſtulatione *ſolenni* Electores non poſſunt poſtulandum petere ſub termino *Eligo:* ſed neceſſariò debent dicere: *Poſtulo*, vel termino huic æquivalentem adhibere: aliàs actus erit nullus: nam Electio poſtulandi eſt nulla: Econtra in poſtulatione *minùs ſolenni* nihil intereſt, an Electores utantur vocabulo Electionis, an Poſtulationis, ut colligitur ex *cap. ſi Religioſus.* 27. & *c. Nullus.* 28. *junct. Gl. v. Eligatur. de Elect. in 6.* ubi Regulares aſſumpti ad Regimen

 alia-

aliarum Eccleſiarum ſeu Prælaturarum dicuntur eligi, non obſtante, quòd ſint minùs ſolenniter poſtulandi. Ita P. Reiffenſtuel ad *Lib.* 1. *Decret.* *h. t.* §. 1. *n.* 9. Vide etiam infra *q.* 20.

Dubium 2. *Quotupliciter Poſtulatio minùs ſolennis fieri poſſit?*

℟. Dupliciter: Primò *ante Electionem*, dum nimirum priùs petitur à Superiore perſonæ eligendæ, ut ſubditum ſuum eligi patiatur. Hæc Poſtulatio nullum jus Poſtulato tribuit, ſed ſolum hunc habet effectum, ut ſi obtentâ Superioris licentiâ eligatur, ſtatim poſſit conſentiendo electionem acceptare. Secundò *poſt Electionem*; dum ſcil. poſtulandus eligitur ſub tacita conditione, ipſo jure ſubintellectâ: *Si Superior licentiam conceſſerit*: quâ licentiâ poſteà obtenta electio purificatur, poteſtque Electus illicò Electionem acceptando ſibi ex ea Jus acquirere. P. Reiffenſtuel *loc. cit. n.* 8. cum Sylveſtro & Pirhing.

Ex data definitione & infra dicendis relucent quatuor cauſarum genera ad Poſtulationem concurrentia.

I. *Cauſa efficiens* ſunt ipſimet Poſtulantes: Poſſunt autem poſtulare omnes illi, qui poſſunt eligere: Poſtulatio enim à Superiore admiſſa habet vim Electionis & Confirmationis, & in Jure Electio ac Poſtulatio quoad Jus ſuffragandi æquiparantur, *c.* 1. §. *fin.* & *c.* 4. §. *cæteri. h. t.* & *c. Innotuit.* 20. *de Elect.* Unde etiam Compromiſſarius datus abſolutè ad eligendum, poteſt poſtulare

ut

ut dicetur *q. 5.* Quòd verò Procurator conſtitutus ad proſequendam electionem nequeat proſequi poſtulationem juxta *d. cap. innotuit. §. fin.* Ratio eſt, quòd Procurator non poſſit extendere mandatum ſuum ad diverſum genus cauſæ, *L. Maritus. C. de Procuratoribus.* Ergo nec datus ad proſequendam electionem poterit mandatum ſuum extendere ad proſequendam poſtulationem. Præterea Procurator conſtitutus ad proſequendam electionem datur ad petendam juſtitiam, non verò gratiam: at ſi poſtulationem vellet proſequi, debet neceſſariò gratiam petere. Compromiſſarius autem (niſi ipſius facultas ſit expreſſè reſtricta) datur tam ad procedendum viâ Juris conferendi per electionem, quàm petendi gratiam per poſtulationem, ut patet ex *C. in cauſis. 30. de Elect. junct. Gl. v. poſtulatio.* Hinc etiam qui præſcriptione acquiſivit jus eligendi, poterit quoque poſtulare, ut dicetur infra *q. 12.*

II. *Cauſa materialis* vel ſubjectiva, aut potiùs objectiva ſunt illi, qui poſtulari poſſunt. Poſſunt autem poſtulari omnes illi, qui officio vel Prælaturâ digni eſſent, niſi laborarent defectu vel impedimento aliquo Canonico diſpenſabili. Sunt autem impedimenta vel Defectus diſpenſabiles 1. Defectus natalium in illegitimè natis, *d. cap. Innotuit.* 2. Defectus Ordinis ad Prælaturam requiſiti, *Arg. C. dudum 22. eod.* 3. Defectus ætatis paucorum annorum. 4. Vinculum alterius Epiſcopatus &c. Impedimenta vel defectus indiſpenſabiles ſunt, in quibus non poteſt, vel non ſolet diſpenſari: quales ſunt, ſi quis ſit hæreticus, criminoſus necdum

emendatus, excommunicatus, ſuſpenſus, non ſervans interdictum, omninò illiteratus, mutilatus, epilepticus, ſpurius, ex damnato coitu natus, aut alium gravem animi vel corporis defectum patiens &c.

Ubi obſervant DD. quod ſi quis pluribus impedimentis vel defectibus ſit obnoxius, dum petitur diſpenſatio, omnes debeant exprimi, aliàs diſpenſatio corruet tota ea titulo ſubreptionis, *Arg. c. 1. de ætat. & qualit. in 6.* Et ſcienter poſtulantes pro una vice privantur jure eligendi, ſeu poſtulandi, teſte Layman. *in princ. h. t. Coroll. 2.*

III. *Cauſa Formalis* eſt forma ſcrutinii deſcripta *cap. Quia propter de Elect.* tanquàm magis ſecura, non verò tanquàm neceſſaria juxta dicenda *q. 21.* In eo poſtulatio æquiparanda eſt Electioni, quòd poſtulantes teneantur poſtulationem præſentare poſtulato, quamprimùm commodè poſſunt, etſi negligant infra octo dies hoc facere, puniantur, ſicut Electores in hoc puncto negligentes, *Arg. C. Quàm ſit Eccleſiis. de Elect. in 6.* & *cap. Cupientes. §. cœterum. & §. Denique eod. in 6. junct. Gl. v. conſenſum.* Ne nimirum diuturna vacatio ſit Eccleſiæ diſpendioſa. Poſtulatus quoque tenetur intra menſem mentem ſuam explicare, quòd conſentiat conditionatè, vel ſe committat diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ ad modum, qui refertur *part. 1. Sect. 3. q. 20.* Aliàs amittet non quidem jus aliquod ſtrictum (utpote quale vi Poſtulationis non conſequitur) ſed tamen ſpem gratiæ & jus æquitatis, quâ æquum fuerat poſtulationem ſuæ perſonæ admitti. Vult Sylveſter, poſtu-

poſtulationem debere publicari Capitulo, non tamen neceſſariò populo. Alii econtra cum Leurenio *Fori Benefic. Tom. 2. q. 214.* Exigunt aliquam publicationem tanquam neceſſariam, per quam etiam populo Poſtulatio innoteſcat, ut pro ſuo intereſſe poſſit agere apud Superiorem, & contra Poſtulatum excipere, ſi judicetur inidoneus.

IV. *Cauſa Finalis*, principalis eſt utilitas Eccleſiæ viduatæ, aliquando etiam eſt utilitas ipſius Poſtulati, ut nimirum ſic aliqua recognitio habeatur ejus doctrinæ vel meritorum, maximè ſi quæ Eccleſiæ præſtitit.

QUÆSTIO II.

Quænam ex Jure communi in Poſtulationibus ſint pœnæ, ſi Poſtulatus ſit indignus?

℞. Majore parte indignum poſtulante poteſtas tam eligendi, quàm poſtulandi ad Minorem partem Capituli devolvitur, *cap. Gratum gerimus. 2. de Poſtulat. Prælat.* Hoc tamen Wagnereck *in d. cap.* contra Panormit. & alios benigniùs explicat, dicens: Canonicos ibi non amiſiſſe privilegium vel poteſtatem eligendi præcisè ideò, quia poſtulârunt indignum, ſed quia poſtulationem à Sede Apoſtolica caſſatam innovare tentantes, conceſſâ ſibi ex Apoſtolica benignitate gratiâ abuſi ſunt. Imò in aliis caſibus poſtulantes ſcienter indignum, non ſunt *eo ipſo* privari jure eligendi, ſed ſolùm privabiles, ut clarè ſatis docet *cap. ſcriptum eſt.*

40. in

40. *in fin. de Elect*, ſolùm dicens in futurum, Poſtulantes ſcienter indignum, debere hac vice meritò privari poteſtate eligendi ſeu poſtulandi. Nec obſtat, quòd Eligentes ſcienter indignum pro ea vice ſint *ipſo jure* privati poteſtate eligendi, *cap. cùm in multis de Elect.* conſequenter idem dicendum videatur de poſtulantibus indignum. Nam ℞. pœnalia ſunt reſtringenda, non extendenda ultra caſus expreſſos *cap. 15. de R. J. in 6.* Vide infra *q. 19. & p. 1. Sect. 3. q. 1. Dub. 7.*

QUÆSTIO III.

In quo Poſtulatio diſtinguatur ab Electione?

℞. In variis I. Poſtulatio ſupponit in poſtulato defectum & impedimentum Canonicum, *cap. Innotuit, 20. de Elect.* Non Electio. II. Poſtulatio innititur gratiæ, ut dictum ſupra in definitione; Electio juſtitiæ. III. Poſtulatio completur per ſolam admiſſionem; Electio indiget confirmatione. IV. Si poſtulatus ante admiſſionem poſtulationis ingerat ſe adminiſtrationi, poſtulatio eſt ipſo jure nulla, & Poſtulatores id permittentes ſunt illâ vice privati poteſtate eligendi & poſtulandi, *cap. Bona memoria 23. de Elect.* Electus autem etſi ſe ingerat adminiſtrationi ante confirmationem, Eligentes non privantur jure eligendi, neque Electio eſt irrita ipſo jure, ſed ſolum irritanda, *cap. Qualiter 17. de Elect.* Et electus amittit jus ex electione acquiſitum, *cap. avaritia eod. in 6.* Poteſt enim Electus privari jure ſibi quæſito, etſi electio non irrite-

ritetur, ſi nimirum dicatur, quòd electio admittatur ſolùm ex gratia, ita ut liberè à Superiore poſſit rejici. Imò notat P. Reiffenſtuel *in h.t. n.* 15. quòd Poſtulatus ante factam à Superiore admiſſionem Poſtulationis nequidem poſſit abſolutè & poſitivè conſentire, & Poſtulationem ſimpliciter acceptare: Alioqui cenſeretur ambitioſus, ac proinde tanquàm ambitioſus rejiceretur in Curia, poſtulatione caſſatâ, ut teſtantur Hoſtienſis, Joann. Andreas & Fagnanus *in cap. Etſi unanimiter. n.* 12. *h.t.* Hinc ſi poſtulatus velit conſentire, poteſt dicere: *Non diſſentio*: vel *committo me diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ*: aut conſentiet, non abſolutè, ſed conditionatè, quantùm eſt ex ſe, ac ſub diſpenſationis conditione. Ita Reiffenſtuel *loc. cit.* cum Paſſerino & Engel *h.t.n.* 3. V. Poſtulatus requirit plura vota, quàm Electus, ſi poſtulatio concurrat cum electione, ut dicetur infra *q.* 28. VI. Electores non poſſunt reſilire ab electione ſemel facta, poſt publicatum ſcrutinium, *cap. publicato.* 58. *de Elect.* poſſunt Poſtulantes, ut explicabitur *q.* 5. VII. Electus ſuis ſumptibus tenetur confirmationem procurare: admiſſio verò poſtulationis obtinenda eſt ſumptibus Poſtulantium, & non Poſtulati, *cap Cupientes.* 16. §. *ſi verò.* & §. *Denique de Elect. in* 6. cùm enim Electus proſequatur confirmationem ex vi Juris ſibi quæſiti, & tanquam ſibi debitam, etiam congruum eſt, ut ipſemet ſumptus ſuppeditet: Econtra cùm in Poſtulatione ipſimet poſtulantes petant gratiam fieri, etiam congruè ipſis onus ferendi expenſas imponitur.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

In quo Poſtulatio differat à Nominatione?

℞. In hoc I. quòd Poſtulatio propriè loquendo ſit tantùm de uno, Nominatio verò de pluribus, ſcil. quando duo vel tres excellentiores de Capitulo nominantur Papæ vel Superiori, habenti jus admittendi Poſtulationem,& petitur per Capitulum, ut Eccleſiæ de aliquo illorum provideatur: vel quando plures proponuntur Capitulo, ut de illis tantùm fiat ſcrutinium. II. quòd Poſtulatio fiat cum ſolemnitate; non verò Nominatio. Sed Wagnereck *in cap. Bonæ memoriæ. il.* 1. *h. t.* Dicit, quòd ſit par utriuſque effectus & ratio quoad ſolemnitatem; nec Poſtulatio eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter ratione numeri Poſtulatorum differat à Nominatione.

QUÆSTIO V.

An, & quomodò Poſtulantes poſſint variare?

℞. Poſtulatio communi conſenſu facta & Pontifici inſinuata variari non poteſt, ne frequentes fiant illuſiones, & judicium Pontificis à poſtulantium arbitrio pendere videatur, *cap.* 4. *Bonæ memoriæ, il.* 2. *h. t.* quod DD. communiter extendunt ad alios Superiores jus admittendi poſtulationem habentes, ita ut poſtulatio iis præſentata variari nequeat; Hinc à contrario antequàm Poſtulatio Superiori

periori præſentetur, poſſunt Poſtulantes invito Poſtulato variare,& nuncium ſive Procuratorem revocare, antequàm poſtulationem reipsâ præſentârit, dummodò revocatio ad ipſum perveniat, conformiter *ad cap. ex parte Decani.* 33. *de Reſcriptis.* Et hoc procedit 1. Etſi poſtulatio fuerit plenè publicata; quia per publicationem nullum jus acquirit Poſtulatus; cùm ratione defectûs Canonici ſit inhabilis. Procedit 2. Etſi poſtulatio fuerit ad Superiorem deſtinata, dummodò necdum ſit actualiter Superiori tradita: quia per Poſtulationis deſtinationem ad ſuperiorem factam necdum Poſtulato Jus aliquod acquiritur: neque per hoc fiet illuſio, aut Judicium Superioris dicetur à Poſtulantium arbitrio pendere, ſi deſtinatio ad Superiorem directa revocetur, antequàm Superiori inſinuetur. Procedit 3. Etſi poſtulatio fuiſſet ipſi Poſtulato præſentata, & ab eo conſenſus conditionatus præſtitus, imò etſi Poſtulantes promiſerint ſe non variaturos, quia ex tali poſtulatione vel promiſſione Poſtulantium nullum Jus ad dignitatem acquiritur Poſtulato, cùm ejus inhabilitas per prædicta necdum ſit ſublata: ergo poſtulatio adhuc poteſt variari.

Si tamen variatio fieret abſque omni cauſa, variantes pro foro conſcientiæ non vacant omni culpâ, quia ſi abſit omnis cauſa honeſta, variatio ipſo facto involvit aliquam levitatem, & peccatum inconſtantiæ, & facilè cedit in præjudicium honoris & reputationis Poſtulati; imò tale factum involvit aliquam contumeliam, *Arg. L. ſi verò. §. fin. ff. Qui ſatis dare cogantur.* Unde Paſſerinus apud

Reiff-

Reiffenſt, *ad Jus Canon. Tom.* 1. *h. t. n.* 19. Contra Abbatem & Sylveſtr. notat, quòd ſi poſtulatus de conſenſu Poſtulantium aliquas expenſas fecerit, teneantur Poſtulantes, poſtquàm à Poſtulatione receſſerint, dictas expenſas refundere, quia non eſt licitum variare cum alterius detrimento vel præjudicio, *cap. Mutare,* 33. *de R. I. in* 6.

Nec dic cum Abbate & Sylveſtro: Poſtulatus nullum Jus habuit vi illius Poſtulationis ad Prælaturam: ergo fuit ambitioſus, ſi propterea expenſas fecerit: ſed ambitioſo non ſunt refundendæ expenſæ: ergo. ℞. 1. N. ſeq. Maj. licèt enim non habeat jus ad Prælaturam, ſe tamen huic non intrudit marte proprio, ſed à Capitulo, & præſumptivè à DEO vocatus, ergo non debet ambitionis argui. ℞. 2. T. Maj. D. Min. ambitioſo non ſunt refundendæ expenſæ factæ marte proprio C. factæ de conſenſu aliorum, quorum intererat Poſtulationem admitti. N. Min.

QUÆSTIO VI.

An eò ipſo, quòd detur alicui poteſtas eligendi, ſit etiam commiſſa poteſtas poſtulandi?

℞. Affirmativè; dummodò poteſtas eligendi ſit data abſolutè, patet *ex cap. In cauſis* 30. *de Elect.* Unde à contrario, ſi poteſtas eligendi non ſit commiſſa vel delegata abſolutè; ſed ſolùm ut procedat viâ electionis, etiam Commiſſarius non

Digitized by Google

non poteſt plus attentare, Vide Pirhing *Lib. 1. tit. 6. n. 222.*

QUÆSTIO VII.

An valeat Poſtulatio facta, contemptis abſentibus habentibus jus eligendi?

℞. Negativè: per text: expreſſ: *cap. 4. Bonæ memoriæ. il. 2. h. t.* Quod intellige, ſi contemptus proſequatur contemptum. Sicut enim contemptus in *Electione* poteſt ex pòſt remittere contemptum ſuum, & electionem factam ratificare conſentiendo, *cap. quod ſicut. 28. de Elect.* ſic idem poterit facere contemptus in *Poſtulationibus.*

QUÆSTIO VIII.

Quid Juris, ſi ante admiſſam à Superiore Poſtulationem recipiatur Poſtulatus?

℞. Recipientes Poſtulatum ad Eccleſiam tanquàm Inſtitutum vel Adminiſtratorem, ante admiſſionem poſtulationis à Superiore factam, privati ſunt poteſtate eligendi, & ad alios licèt pauciores, imò pauciſſimos poteſtas eligendi devolvitur: Et ſi omnes ſint privati, devolvitur ad Papam in Eccleſiis Cathedralibus: ipſa verò Poſtulatio de tali perſona ſe dicto modo in adminiſtrationem ingerenti facta renunciatur irrita ipſo jure, *c. Bona memoria. 23. de Elect.* Quod intellige, ſi ſponte & ſcienter recipiatur, ſi enim per vim ſe intruderet, delictum ejus non debet Eligentium cauſam facere deteriorem.

Digitized by Google

QUÆSTIO IX.

Quem effectum tribuat breve eligibilitatis, aut quid conferat diſpenſatio, quâ per Sedem Apoſtolicam quandoque conceditur, ut ad alterum Epiſcopatum tranſire liceat, more retento?

℟. Tribuit Epiſcopo poteſtatem, ut ſi ſaltem majora & ſaniora Capituli vota habeat, poſſit in Poſtulationem conſentire, ſibique Jus acquirere ac ſi eſſet electus, ita ut Pontifex vi datæ diſpenſationis, eum confirmare teneatur. Hinc talis Poſtulatio inſtar Electionis haberi debet. Aliqui nihilominus ex *arg. c. ult. de translat. Epiſc.* judicant tutius eſſe, ſi Capitulares retineant nomen Poſtulationis, eo quòd ſaltem ſpectatâ origine eſt poſtulandus. Layman *in qq. Canonicis de Elect. cap.* 1. *q.* 10.

QUÆSTIO X.

An ſi major Capituli pars delinquat poſtulando indignum, & minor pars nec conſentiat nec contradicat, an inquam minor pars poſſit puniri cum majori?

℟. Affirmativè, ſi abſque notabili incommodo minor pars poſſit expreſsè contradicere, & ſciverit indignitatem poſtulandi: ſi enim tunc expreſsè non contradicat, delicto majoris partis connivet, conſequenter nec ipſa eſt ſine delicto, adeoque etiam puniri poteſt cum majori parte. Quid quòd in

in cauſa Electionis & Poſtulationis quodvis membrum ſeorſim ſumptum obligetur, quantum eſt de ſe, utiliter gerere negotium ſuæ Eccleſiæ, conſequenter contradicere teneatur, ità ut ſecùs faciendo non ſatisfaciat ſuo officio, atqui ille, qui non ſatisfacit ſuo officio, eſt in culpa craſſa & punibilis: ergo etiam talis tacens eſt punibilis.

QUÆSTIO XI.

An poſſit præſcriptione acquiri jus vocis activæ in poſtulatione?

℞. Affirmativè: Eſt expreſſum *cap. 4. v. Nos igitur. de Poſtul.* Idem magis patebit ex quæſtione ſequenti.

QUÆSTIO XII.

An qui præſcribit jus eligendi, etiam præſcribat jus poſtulandi?

℞. Affirmativè: Ratio: In promotione ad Archi-Epiſcopatum Strigonienſem Suffraganei illius Archi-Epiſcopatûs, ſcil. Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, & quidem alii ſe oppoſuerunt poſtulationi, aſſerentes, quòd ſe contemptis, qui tamen haberent ſimul jus eligendi, fuerit electio attentata: Subjungitur autem *cap. 4 v. Nos igitur poſtulationem. h. t.* quòd debeat requiri in electione vel poſtulatione illorum Suffraganeorum aſſenſus, *ſi eſſet de antiqua & approbata conſuetudine requirendus.* Unde ſic arguo: Iſti Suffraganei habuerunt jus votandi ſolùm ex *conſuetudine*, conſequenter ex quadam præſcriptione: Et prætenderunt ab initio ſolùm jus *eligendi*, ex quo modò intu-

intulerunt, ſibi etiam competere jus dandi vocem in *Poſtulationibus:* ergo qui præſcribit jus eligendi, rectè infert, ſe etiam habere jus poſtulandi: Nec enim Pontifex hanc illationem reprobavit, ſed ſimpliciter decrevit, ut requiratur illorum conſenſus, ſi ex antiqua conſuetudine, modo ab illis allegato, requirendus fuerat.

Nec dic 1. Tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum, ut habet vulgat Juriſperitorum parœmia ex *c.* 3. *de R. J. in* 6. juxta quod ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit: ſed præſcribens cenſetur & ſupponitur tantùm poſſediſſe actus electionis & non poſtulationis: ergo præſcripſit tantùm jus eligendi, & non poſtulandi. ℞. D. Maj. niſi non poſſeſſum ſit connexum poſſeſſo, vel via perveniendi ad poſſeſſum N. ſi non ſit connexum, vel via ad illud C. Maj. Quòd poſtulatio ſit via perveniendi ad electionem, patebit ex dicendis infra. *q.* 27.

Nec dic 2. Præſcriptio, cùm ſit odioſa, non eſt extendenda *c. cùm contingat. de Decimis:* ergo nec præſcriptio Juris eligendi extendenda eſt ad acquiſitionem Juris poſtulandi: nam poſtulatio eſt planè diverſa ab Electione. ℞. D. antec. non eſt extendenda ad caſus in Jure nec formaliter, nec virtualiter comprehenſos aut connexos C. ſi ſint annexi, vel ſaltem virtualiter comprehenſi N. antec. Quòd poſtulatio ſit connexa cum electione patet ex eo, quod ſit via ad electionem. Quòd verò ſub præſcriptione Electionis Jus ipſum virtualiter ſaltem, ſi non formaliter comprehendat poſtulationem, patet ex *cit. cap.* 4. *h. t.*

Quòd

Quod ſi tamen extraneus admiſſus ad *Electionem*, fuiſſet ſemper excluſus à *Poſtulatione*, debet dici, quòd in hoc caſu extraordinario duntaxat præſcripſerit jus eligendi: hìc enim locum habet Regula: *Tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum.*

Petes. *Quænam requirantur ad Jus poſtulandi vel eligendi præſcribendum?*

℟. Requiruntur I. quadraginta anni cum titulo ſaltem colorato: ita ut ſi extraneus, qui non eſt de Capitulo, prætendere velit jus poſtulandi vel eligendi viâ præſcriptionis ſibi competere, docere debeat, ſe per quadraginta annos fuiſſe in pacifica quaſi-poſſeſſione hujus juris, cum patientia & ſcientia Capitularium, quæ eſt loco tituli. Et hi quadraginta anni ſufficiunt, etſi fortè, qui præſcribit, uni tantùm electioni, tanquàm jus habens interfuerit, quia nimirum Prælatus, cujus electioni cohabitavit, quadraginta annis Eccleſiam rexit, teſte Layman *in cap. Bonæ. 4. de poſtulat. n. 2.* ex *Gl. in cap. 3. in trium. de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Sine titulo præſcriptio non completur, niſi tempore immemoriali *cap. 1. de præſcriptionibus. in 6.* Nam Jus commune & præſumptio reſiſtit tali extraneo. Requiritur II. bona fides, ut ſcil. ille extraneus rationabiliter credat ſibi jus eligendi competere, v. g. ratione dignitatis, quam obtinet. Requiritur III. ut præſcripturus non ſit aliàs defectu canonico impeditus.

QUÆSTIO XIII.

An Cardinalis in Epiſcopum promovendus debeat poſtulari, an eligi?

℟. Doctores in quinque Claſſes abeunt. Prima eſt, quòd olim Cardinalis potuerit in Epiſcopum eligi, hodiè debeat poſtulari; eo quòd olim Epiſcopatus ſuperior fuerit dignitate Cardinalitiâ, hodiè Cardinales etiam Diaconi, Epiſcopis ſint Superiores illoſque præcedant. Verùm, tranſeat, quod Cardinales habeant majus officium, & ratione hujus de novo obtinuerint aliquam præcedentiam, non tamen habent majorem dignitatem, quam Epiſcopi, idque propter Ordinem Epiſcopalem, quo non reperitur major. Deinde nullo jure cautum eſt, quòd majoritas Dignitatis præbeat impedimentum Canonicum Electionis, ut quis in tali Dignitate conſtitutus debeat ſtrictè poſtulari. Et ideò hæc ſententia pleriſque diſplicet.

Altera vult, quòd Cardinalis Epiſcopus ſit poſtulandus, & Cardinalis Presbyter vel Diaconus eligendus. Si hæc ſententia dicat, quòd in Cardinali Epiſcopo ſola Dignitas Epiſcopalis ſit fundamentum poſtulationis, concordat apertè Juribus quibus exprimitur, quòd Epiſcopus (dummodò non omni Diœceſi renunciârit) ad alium Epiſcopatum ſit poſtulandus, *cap.* 2. & 3. *de Translat. Epiſc.* Si verò dicat, quòd Dignitas Cardinalitia ſit ſimul fundamentum poſtulationis, non apparet, quomodò Cardinalis Presbyter vel Diaconus ſit eligibilis, cùm iſti verè habeant Cardinalitiam Dignitatem.

Tertia docet indefinitè, quòd Cardinalis in Epiſcopum non poſſit eligi, ſed debeat poſtulari; ex ratione, quòd ideò Epiſcopus ad alium Epiſcopatum non poſſit eligi, ſed tantùm poſtulari, quia ſua

ſuæ alligatus Eccleſiæ, ſine permiſſione Sedis Apoſtolicæ liberum non habet volatum, *c. ult. de Poſtulat.* At Cardinales etiam ſunt allegati Eccleſiæ Romanæ, debentque Eccleſiæ univerſali conſulere, ac Papæ aſſiſtere, cum quo unum corpus conſtituunt, unde *cap. Per-Venerabilem.* 13. §. *Sunt autem. Qui filii ſint legitimi*, dicitur: *Sunt autem Sacerdotes Levitici generis Fratres noſtri* (ſcil. Cardinales) *qui nobis Jure Levitico in executione Sacerdotalis Officii Coadjutores exiſtunt.* Præterea, *c. Bonæ memoriæ.* 3. *de Poſtulat. Prælat.* Cardinalis Presbyter S. Praxedis iteratis vicibus dicitur in Epiſcopum Ravennenſem *Poſtulatus* & quidem pluſquam duabus Capitularium partibus conſentientibus, quod eſt ſignum Poſtulationis ſtrictæ. Quid quòd illa ipſa Cardinalis poſtulatio non fuerit admiſſa, quod eſt ſignum, illam poſtulationem pependiſſe ex gratia (quod congruit veræ poſtulationi) & non fuiſſe debitam ex Juſtititia, quod convenit Electioni ſtrictè dictæ. Denique tituli Cardinalium dicuntur Diœceſes & æquiparantur Epiſcoporum Eccleſiis, ergo ſicut Epiſcopi, ſic Cardinales debent poſtulari. Et ſic ſentiunt Wagnereck *in c. Bonæ memoriæ. v. Prædictum Cardinalem. de Poſtul. Præl.* Azor *Inſt. Mor. p.* 2. *Lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 15. *&c.*

Quarta cenſet cum Fagnano *in d. c. Bonæ memoriæ. n.* 16. quòd Cardinalis nondum Epiſcopus in Epiſcopum ſit eligibilis: Quia non ideò præcisè Epiſcopus debet poſtulari, quia nudè alligatus eſt ſuæ Eccleſiæ, ſed quia alligatus eſt certò modo, nimirum vinculo matrimonii ſpiritualis, quod per

electionem initiatur, per confirmationem fit ratum, & per conſecrationem conſummatur, *c.* 2. *de Tranſlat. Epiſc.* unde ſicut ſtante matrimonio carnali non poteſt initiari ſecundum ſic nec habito uno Epiſcopatu tranſiri ad alterum. Econtra Jura nullibi dicunt inter Cardinales & Eccleſiam univerſalem vel titulos ſuos Cardinalitios intercedere matrimonium ſpirituale.

Quinta cum S. Joanne Baptiſta Ebberth *in Selectis Juris certaminibus, certam.* 4. *n.* 25. veriſimiliùs docet, quod Cardinalis in Epiſcopum ſit poſtulandus, ſed poſtulatione minùs ſolenni, quæ reipsa eſt electio: Sicut enim *d. c. Bonæ memoriæ* dicitur Cardinalis *poſtulatus*, ſic *in cap.* 57. *de Elect.* dicitur *Electus:* Optimè hi textus conciliantur, ſi in priori poſtulatio minùs ſolennis intelligatur. Quòd verò ibidem pro Cardinali numerus votorum duas tertias excedens fuerit allegatus, factum eſt, ut Pontifex eo faciliùs moveretur ad dandum conſenſum, & non quaſi minor numerus ſolam votantium medietatem excedens non ſuffeciſſet. Quod ibidem Pontifex fecerit mentionem gratiæ, & Cardinalis poſtulationem non admiſerit, totum ſubſiſtit, quia ad poſtulationem minùs ſolennem requiritur Superioris conſenſus vel licentia, quæ non debetur Electo vel Poſtulato ex Juſtitia, adeoque gratiis annumerari poteſt. Quod Tituli Cardinalium æquiparentur Eccleſiis Epiſcoporrum, verum eſt non quoad Ordinem & matrimonium ſpirituale, ſed quoad Officium & Juriſdictionem: prior titulus eſt fundamentum poſtulationis ſolennis, non

poſte-

poſterior: nam paſſim conceditur, quod Abbates in ſuos ſubditos habeant juriſdictionem quaſi-epiſcopalem & tamen non ideoque debent ſolenniter poſtulari ad Epiſcopatus, ut dicetur *q.* 16. Nec obſtat, quod Cardinalatus & Epiſcopatus ſint incompatibiles in eadem Perſona, niſi Papa diſpenſet, *arg. cap.* 3. *de Poſtul. Præl.* adeoque non appareat, quomodo Cardinalis ad Epiſcopatum poſſit eligi: nam ℞. Ad hoc non requiritur ſtricta diſpenſatio, ſed potiùs conceſſio licentiæ, idque propter incompoſſibilem reſidentiam in propria Eccleſia Epiſcopali, ad quam eſt electus & ſimul in alma urbe Roma, ubi ratione Cardinalatûs debet reſidere, ut Pontifici valeat aſſiſtere. Et ſi dicatur quandoque ſtricta diſpenſatio intercurrere, illa non eſt præcisè ratione Dignitatis Cardinalitiæ & Epiſcopatûs, ſed ratione beneficiorum, quatenus nimirum ſupponitur, unum eundemque non eſſe capacem pluralitatis beneficiorum, ut abſque diſpenſatione plura beneficia ſimul retinere valeat: habitâ autem diſpenſatione ſimul in diverſis Eccleſiis retinendi beneficia, poteſt poſteà ſic diſpenſatus in quavis earum Eccleſiarum eligi.

QUÆSTIO XIV.

An Regulares aſſumendi in Epiſcopos debeant poſtulari, an eligi?

℞. Si nullum aliud impedimentum ſubſit, quàm Ratio Statûs Religioſi, reipsâ eliguntur,

& poſtulantur minùs ſolenniter. Ratio: Poſtulatio ſolennis eſt, quando Poſtulandus laborat impedimento canonico, & poſtulatio dirigitur ad eum, qui ſuper impedimento poteſt diſpenſare. Sed Regularis quà talis non laborat impedimento, quo à ſuſcipiendo Epiſcopatu tam in Regularibus quàm Sæcularibus Eccleſiis impediatur (nam Jura expreſsè dicunt Regularem poſſe eligi ad Dignitatem Epiſcopalem, *cap. Nullus Religioſus. 28. de Elect. in 6. & Clem. 1. eod.*) & Poſtulatio dirigitur ad ſuperiorem Regularem, qui non habet poteſtatem providendi Eccleſiæ Cathedrali, nec diſpenſandi ſuper impedimentis Canonicis pro Eccleſia aliena: ergo Regularis in Epiſcopum non poſtulatur ſolenniter. Quoniam tamen Regularis non poteſt Epiſcopatum acceptare ſine licentia ſui Superioris, *cap. Si Religioſus. 27. de Elect. in 6.* hinc poſtulatur minùs ſolenniter.

Dub. 1. *An Superior poſſit cogi ad licentiam dandam, ſi eam indebitè vel culpabiliter neget?*

℟. Affirmativè: *arg. c. Nullus. 17. de Jure Patronatûs.* ibi: *Nullus Laicus decimas, aut Eccleſiam, aut quidquid Eccleſiaſtici juris eſt, ſine conceſſione Sui Pontificis* (ſive Epiſcopi, ut hìc notat Wagnereck contra Panormitanum, qui vult intelligi Pontificem Romanum) *Monaſteriis vel Canonicis conferat; Et ſi quis Epiſcopus improbitatis vel avaritiæ causâ conſentire noluerit, Romano Pontifici nuncietur: & quod offerendum eſt, tunc ejus licentiâ offeratur.* Ex quo rectè infertur, quòd idem ſit faciendum in ſimili, ſi Superior Regularis nolit dare licentiam ſuo Regulari

gulari ſubdito, ut poſſit acceptare Epiſcopatum, ad quem eſt electus vel poſtulatus,

Dubium 2. *Quid faciendum, quando Abbas vult dare licentiam, ſed Conventus reclamat?*

℞. Prævalet voluntas Abbatis abſque conſenſu Conventûs, imò irrequiſitis conventualibus. Eſt expreſſum *cap. ſi Religioſus.* 27. §. *quia verò. de Elect. in 6.*

Dubium 3, *Cujus Superioris conſenſus requiratur?*

℞. Requiritur conſenſus Superioris immediati teſte Layman *in cap. Quam ſit. n.* 4. *h. t. in* 6. Unde ſi ſit Religioſus privatus, conſenſus ſui Abbatis; Si Abbas ſubjectus Ordinario, conſenſus ſui Epiſcopi; Si exemptus, conſenſus Summi Pontificis, vel Legati de latere, eſt neceſſarius. Engel *h. t. n.* 8. *prope finem.* Layman *in qq. Canonicis, cap.* 1. *q.* 12.

Dubium 4. *An requiratur Superioris licentia, ſi Papa ſcienter alicui Regulari Epiſcopatum conferat?*

℞. Negativè: cenſetur enim Papa ipſo facto diſpenſare. Idem dicendum, quando Canonici petunt à patre filium familias adhuc ſub poteſtate patria conſtitutum, ut eum aſſumant in Epiſcopum: Et quando Clericus unius Capituli, vel ſubditus unius Epiſcopi, alibi expetitur in Epiſcopum, in quibus caſibus ſemper licentia Patris, Capituli, vel Epiſcopi eſt exquirenda, Wagnereck *in c. Bonæ memoriæ. h. t.* Niſi Pontifex ſupremus omnium Epiſcopus & Pater ſpiritualis ſcienter dignitatem conferat,

Dubium

Dubium 5. *An nomine dignitatis Epiſcopalis, ad quam Religioſus poteſt promoveri, veniant etiam alia Prælaturæ habentes curam animarum?*

℟. Teſte Leurenio *Fori benefic. p.* 1. *Sect.* 1. *cap.* 2. *q.* 50. utrumque eſt probabile? Leſſius *lib.* 2. *de Juſt. cap.* 41. *n.* 99. aſtipulatur affirmativæ his verbis: Tertiò eſt capax (nimirum Regularis) dignitatis in Eccleſia ſæculari, ut Præpoſituræ, & Decanatûs, ſi propriè habent curam animarum ſæcularium, quia ratione hujus curæ, ad quam Religioſi inprimis videntur idonei, jure illis conceſſum eſt, ut poſſint beneficia habere. Si verò non habent curam animarum, niſi reſpectu Capituli, dubium eſt. Tamen probabile eſt, eſſe capacem, quia nuſquam prohibetur. Ita Sylveſter. *v. Religio.* 7. *q.* & 6. ex Panormitano, & meritò; quia hic etiam ratio curæ & doctrinæ (ob quæ conceſſum eſt illis à Jure beneficia obtinere) locum habet. Ad hæc tamen & alia beneficia ſæcularia non eſt Regularis promovendus, niſi neceſſitas vel magna utilitas Eccleſiæ poſtulet, ne & Monaſteria præcipuis viris ſpolientur, & ambitioni porta aperiatur. Ita Leſſius, cui concordat Gloſſa *in Clement.* 1. *de Elect.* & ad eandem ſententiam inclinat Engel *ad tit. de Capellis Monach. n.* 6. Pellizarius *in Man. Regular. tom.* 2. *tr.* 8. *c.* 6. *Sect.* 4. *n.* 235. &c.

Pro negativa citantur Caſtropalao, Suarez. *De Relig. Tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 27. &c. Et quidem de Religioſis Mendicantibus iſta negativa videtur efficaciter probari ex dicendis *Dub.* 9.

Dub.

Dub. 6. *Quot vota habere debeat Regularis ut obtineat Epiſcopatum, vel aliud beneficium ſæculare, cujus proviſio à pluribus ſuffragatoribus pendet, v.g. ſi fiat per electionem, vel poſtulationem, vel præſentationem plurium Patronorum ſimultaneam præſentationem habentium &c.*

℟. Doctores diſtinguere ſolent inter Religioſos Ordinis Mendicantium, & non-Mendicantium: item inter beneficia curata cum juriſdictione, quales ſunt Prælaturæ, & inter ſimplicia, v. g. Canonicatus, ac curata ſine juriſdictione, v.g. Parochiæ. Si Religioſus ſit Ordinis Mendicantium, qui promoveatur ad Prælaturam vel Epiſcopatum indiget votis omnium gaudentium Jure vocis activæ, ita ut vel uno deficiente aut contradicente illi nullum jus ad dictam Prælaturam extra adminiſtrationem proprii Ordinis conſiſtentem acquiratur.

Si Religioſus ſit Ordinis non-Mendicantium, requiritur & ſufficit major pars gaudentium Jure vocis activæ, *cap. Quorundam de Elect. in 6.* Diſparitas inter utroſque hos Ordines, cum Sanchez *Lib.* 17. *cap.* 16. *n.* 44. ſolet dari, quòd Mendicantes ob profeſſionem excellentioris paupertatis magis fugere debeant lites, ſtrepitus, diſcordiarum, & ambitionis vias.

Si ſermo ſit de beneficiis ſimplicibus, v.g. Canonicatibus, aut curatis abſque juriſdictione fori externi, v.g. Parochiis, quæ beneficia ſint electiva, & nihil aliud Regularibus etiam Mendicantibus obſtet, ſufficit eos electos eſſe vel nominatos

à ma-

à majori parte gaudentium Jure vocis activæ: quia iſta beneficia non ſunt propriè Prælaturæ, & conſtitutio relata *in d. cap. Quorundam.* Eſt pœnalis ac exorbitans à Jure antiquo, adeoque non extendenda.

An verò Regularis Mendicans creatus Epiſcopus, ſi eligatur vel potiùs poſtuletur ad alterum Epiſcopatum; debeat in hac ſecunda electione vel poſtulatione habere omnium vota, an ſufficiat major & ſanior pars, controvertitur. Negativa exinde videtur eſſe probabilis, quòd talis jam ſit exemptus ab obligationibus Religionis, & induerit ſtatum ſuperiorem; ac textus *d. cap. Quorundam.* Videatur loqui de ſolis Religioſis indigentibus licentiâ Religioſi Prælati: imò dictum decretum ſit odioſum, ac reſtrictivum electionis à Jure communi ſtatutæ. Affirmativa tamen ſolet præferri, eò quòd talis, licèt ſit exemptus ab oneribus Religionis, non tamen eſt liber à ſubſtantialibus Religionis, cum adhuc ſit verè Religioſus. Vide Sanchez *loc. cit. n.* 28. & Leurenium *loc. cit. q.* 59. & 60.

Dub. 7. *An Religioſus abſque licentia ſui Superioris poſſit ſaltem validè conſentire electioni vel poſtulationi de ſe ad aliquam Prælaturam, extra ſuum Monaſterium vel Eccleſiam?*

℞. Negativè: Et ſi ſecùs facere vellet, in pœnam præſumptionis, electio vel poſtulatio minùs ſolemnis, ipſo facto omnino viribus vacuatur, *cap. ſi Religioſus. 27. de Elect. in 6.*

Dub. 8. *An valeat licentia a Superiore conceſſa ſuo Religioſo ſubdito, ut poſſit conſentire electioni,*

ctioni, ſi quam de ipſo fieri in futurum contigerit?

℞. Negativè: conceſſio enim talis licentiæ parat viam ambitioni, adeoque nullius eſt firmitatis per textum expreſſum *Clem. ult. de Elect.* Unde conceſſio licentiæ debet eſſe in ordine ad electioctionem jam celebratam acceptandam, non verò in ordine ad modò faciendam. P. Reiffenſtuel *ad Jus Canon. Tom.* 1. *ad tit.* 6. *de Elect. & Electi poteſt. n.* 316.

Dub. 9. *An Religioſus ad quaſvis Prælaturas intra-vel extra Ordinem ſuum poſſit poſtulari?*

℞. Quòd ad Epiſcopatus poſſit poſtulari Poſtulatione minùs ſolemni patet ex dictis *ad q.* 14. Ad Eccleſias non-Epiſcopales ſive Cathedralibus inferiores, & ad Monaſteria extra ſuos Ordines, Religioſi Mendicantes non poſſunt poſtulari; imò poſtulatio talis eſt irrita, & ſcienter Poſtulantes pro iſta vice privantur poteſtate eligendi & poſtulandi, atque ſuſpenduntur per triennium ab omnibus beneficiis, quæ obtinent in illa Eccleſia, ad quam ita poſtulârunt, *Extrav. un. h. t. inter communes.* Sic quoque *Clem.* 1. *h. t.* prohibetur, ne Religioſus aliquis in Prælatum alterius Religionis eligatur.

Excipe: niſi ſpecialis cauſa exigat talem poſtulationem, ut habet *Gl. in d. Clem:* 1. *v. Eligatur.* Tunc tamen iſta Poſtulatio deberet dirigi ad Papam, cùm aliæ Poſtulationes admitti poſſint ab Epiſcopo. Sic quoque Paſſerinus apud Leurenium *Fori Benefic. Tom.* 2. *q.* 235. *n.* 3. Docet, quòd

quòd proféſſus unius Ordinis ad Prælaturam alterius Ordinis poſtulari poſſit, intellige: cum cauſa.

QUÆSTIO XV.

An Epiſcopi in partibus (quales ſunt in aliquibus Epiſcopatibus Germaniæ ſuffraganei, Vicarii in Pontificalibus) ſint in veros Epiſcopos eligendi an poſtulandi?

℞. Sunt poſtulandi: Ita Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus DD. Joannes Bernardus Sacrorum Canonum Herbipoli quondam Profeſſor, nunc Epiſcopus in partibus Eccleſiæ Chryſopolitanæ, Reverendiſſimi & Celſiſſimi Principis ac Epiſcopi Herbipolenſis ſuffraganeus *in ſuis M. S. h. t.* ex P. Reiffenſtuel *in Jus Canon. h. t.* §. 2. *n* 41.

Concordat Leurenius *Fori Benefic. Tom.* 2. *q.* 221. *n.* 2. Ubi tales Epiſcopos vocat ſuffraganeos ſive Nullatenſes. Ratio: juxta ſtylum Curiæ Romanæ hujuſmodi Epiſcopis ſolent conferri Brevia eligibilitatis, quod foret ſuperfluum, ſi de jure eſſent eligibiles. Deinde iſti Epiſcopi, licet eorum Cathedrales ſint in manibus inimicorum, ſunt veri Epiſcopi copulati ſuæ Eccleſiæ, ac eodem ritu, quo cæteri Epiſcopi conſecrantur, & in Concilio Tridentino ut veri Epiſcopi ſubſcripſerunt. Denique eorum Eccleſiæ etiam ſub manibus Infidelium manent Cathedrales ſicut anteà, *Clem. in pleriſque* §. *volentes. de Elect.* Quòd autem iidem Epiſcopi dicantur

dicantur carere Clero & Populo, non obſtat, quia ſufficit manere veros Epiſcopos, ita Illi.

QUÆSTIO XVI.

An Abbates, Præpoſiti, vel Decani tam Sæculares, quàm Regulares ſint eligendi, an poſtulandi in Epiſcopos?

℞. Sunt eligendi. Ratio: ideò Epiſcopi debent poſtulari, quia matrimonium ſpirituale contraxerunt cum ſuis Eccleſiis, *cap. ſicut vir. & cap. ſicut alterius. XVII. q. 2. cap. intercorporalia. de Tranſlat. Epiſc.* ergo cùm inter Abbates, Præpoſitos, vel Decanos & eorum Eccleſias non reperiatur tanta conjunctio, deficit ratio, cur debeant poſtulari ſaltem ſolemniter, & non poſſint eligi.

QUÆSTIO XVII.

An Epiſcopus ſtatim à die Electionis fiat ineligibilis pro alia Eccleſia, ita ut ex tunc debeat poſtulari?

℞. Negativè: ſed tantùm à die Confirmationis, licet necdum ſit conſecratus. Pirhing *in Jus Canon. Lib. 1. h. t. 5. §. 2. n. 10. Ratio 1. Partis*: Epiſcopus tantùm electus, & nondum confirmatus poteſt Electioni de ſe factæ renunciare abſque Superioris licentia *cap. ſi electio. 26. de Elect. in 6.* Ergo nondum eſt alligatus illi Eccleſiæ, ad quam eſt electus: ergo ceſſat ratio, cur debeat poſtulari. *Ratio 2. partis.* Matrimonium ſpirituale, quod eſt

inter Epiſcopum & ejus Eccleſiam per electionem tantùm inchoatur, conſequenter eſt reſcindibile: per confirmationem verò fit ratum, & per conſecrationem tantùm conſummatum *cap. Licet ult. de Translat. Epiſc.* Atqui habens matrimonium ratum impeditur, ne poſſit tranſire ad ſecunda vota, & ſine diſpenſatione Pontificis manet firmiter alligatus ſuæ primæ Sponſæ: ergo etiam Epiſcopus confirmatus habitâ ſolâ confirmatione impeditur, ne poſſit tranſire ad aliam Eccleſiam: maximè cùm ex tunc à ſua prima Eccleſia ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ diſcedere nequeat.

Dubium, *An Epiſcopus, poſtquàm ſuo Epiſcopatui renunciavit, ut promoveatur ad aliam Eccleſiam, debeat poſtulari, an verò eligi?*

℟. Si nullum aliud impedimentum Canonicum concurrat, debet eligi, ut habet communis apud & cum Reiffenſtuel *Tom.* 1. *ad Jus Canon. tit.* 5. *n.* 39. Quia renunciatione prioris Eccleſiæ per Pontificem acceptatâ, diſſolutum fuit omne vinculum, ita ut talis nulli Eccleſiæ per ſpirituale matrimonium ſit ampliùs alligatus: ergo non adeſt ratio, cur debeat poſtulari.

QUÆSTIO XVIII.

An Clericus Sæcularis poſſit poſtulari in Abbatem Regularium?

Obſerva quæſtionem non procedere de Abbate *Commendatario*: Nam iſti Abbates ſunt potiùs œconomi, quàm habentes veram juriſdictionem

in

in utroque foro, cum juribus & privilegiis Abbatialibus. Unde etiam in Monaſteriis, quibus præfectus eſt Abbas Commendatarius, Profeſſiones non fiunt in manibus Abbatis Commendatarii, ſed vel Generalis Ordinis, vel Patris Abbatis, vel Prioris loci, tanquam Abbatem Regularem repræſentantis, ut habent Statuta S. & Can. Ord. Præmonſtrat. *diſt.* 1. *c.* 17. *n.* 20. Adeoque facilè concedi poteſt, quòd in Abbatem Commendatarium poſſit aſſumi perſona ſæcularis. Itaque de Abbate Regularium verò.

℞. Teſte Wagnereck *in c. Officii ſui.* 38. *verſ. fuit in Abbatem electus. de Elect.* utraque ſententia tam affirmativa, quàm negativa habet Patronos. Gloſſa vult non poſſe poſtulari: Joannes Andreas & Innocentius volunt poſſe: eò quòd textus *in c. cùm ad noſtram.* 37. & *d. c. Officii ſui.* qui videntur inter ſe contrariari, non faciant mentionem *Poſtulationis*, ſed ſolius *Electionis.* Addunt tamen poſtulationem talem non poſſe admitti per alium, quàm ſolum Papam. Quænam ſententia ſit præferenda, in defectu Juris decidentis, eſt difficile judicatu. Videtur commoda Reſponſio diſtinguens, quòd juxta *curſum ordinarium* non poſſit poſtulari; nam juxta *Extrav. Diſpendiis inter comm. h. t.* Religioſi Mendicantes non poſſunt poſtulari ad Eccleſias Cathedralibus inferiores: ergo etiam congruum eſt dicere, quòd Clericus ſæcularis Epiſcopo inferior, non poſſit poſtulari in Abbatem Eccleſiæ Regularis, de *curſu ordinario*: Si tamen Pontifex vellet de plenitudine poteſtatis dare licentiam, non poſſet oſtendi repugnantia, cur Clericus ſæcularis non poſſet poſtulari

in Abbatem verum Regularium: Nam ratio Statûs ſecularis præcisè non eſt impedimentum indiſpenſabile: quia Pontifex, qui non eſt Religioſus, ſed Clericus ſæcularis, eſt Generalis Supremus omnium Ordinum Religioſorum, adeò ut Religioſi non tantùm obligatione generali, ſicut omnes fideles, ſed etiam ſpeciali ex vi voti Obedientiæ teneantur obedire Pontifici, ſicut, imò magìs, quàm tenentur ſuis Prælatis Ordinis, ut docet Sayrus *in Clavi Regia. lib. 6. c. 10. n.* 17. ergo Ratio Statûs ſæcularis non eſt impedimentum nequidem ex plenitudine poteſtatis diſpenſabile; Unde Novitius, licet ad Prælaturam in proprio vel alieno Ordine eligi non valeat, *c. Nullus Religioſus. de Elect. in 6.* poteſt tamen ad dictas Prælaturas poſtulari, ſi adſit neceſſitas, & ipſe in Ordinis Conſtitutionibus ſufficienter ſit inſtructus, ita Leurenius *Fori benefic. tom. 2. q. 225. n. 4.*

QUÆSTIO XIX.

An Poſtulatio indigni ſit valida?

℞. Cum P. Engel. *h. t. n.* 10. ſi Poſtulatus ſit indignus indignitate *indiſpenſabili*, v.g. quia eſt ſcandalosè criminoſus, impœnitens, hæreticus, infamis, omninò illiteratus &c. Poſtulatio eſt ipſo jure nulla, & talem ſcienter poſtulantes pro ea vice privantur ipſo jure poteſtate eligendi & poſtulandi, ſequitur ex dictis *q.* 2. & de Nominantibus ſcienter indignum idem tenet Fagnanus *in cap. 3. Bonæ memoria. n. 45. h. t.*

Si indignitas ſit quidem *reipsâ diſpenſabilis*, ſed non ſoleat niſi difficulter diſpenſari (quod ex ſtylo

Curiæ

Curiæ deſumendum eſt) Poſtulatio eſt ſolùm annullanda, non ipſo jure nulla, & ſcienter talem poſtulantes poſſunt pro ea vice privari jure eligendi vel poſtulandi, non tamen ſunt ipſo jure privati. Nihilominùs in *Extrav. Ad Regimen.* 13. *inter comm. de præbendis.* & in Concordatis Germaniæ. §. 2. Dignitates illæ, in quibus poſtulationes vel electiones factæ ſunt minùs canonicè, authoritate Papæ (ad quem ſpectat earum admiſſio vel confirmatio) Sedi Apoſtolicæ reſervantur.

Si denique indignitas vel potiùs incapacitas ſit *diſpenſabilis*, & ſoleat diſpenſari, Poſtulatio valet, nec poſtulantes aliquam pœnam incurrunt: Omnis enim poſtulatio ſupponit aliquam incapacitatem diſpenſabilem in poſtulato; aliàs non per poſtulationem, ſed per electionem promovendus eſſet. Hucuſque dicta intellige cum proportione etiam de *Nominantibus* indignum.

QUÆSTIO XX.

An ſi certò eligibilis poſtuletur, actus ſit nullus?

℞. 1. Cum Engel *ad tit. de Poſtulat. Prælat. n.* 7. *in fine.* hoc dependere ab arbitrio Confirmatoris, an velit reſcindere, nec ne: cùm enim perſona eligibilis ſit vere habilis ad dignitatem, ad quam eligitur, & Confirmator habeat poteſtatem æquè admittendi poſtulationem, ac confirmandi electionem; hinc videtur in ejus eſſe arbitrio non quidem, quòd ſtrictè confirmet actum (cùm Confirmatio ſupponat præceſſiſſe *electionem*, quod hic factum non eſt) ſed quòd admittat vel rejiciat tanquàm poſtulationem.

 Nec

Nec dic: Si certò poſtulandus eligatur, actus eſt nullus: ergo etiam viciſſim. ℞. 1. N. conſeq. diſparitas eſt: quòd Confirmator procedens viâ ordinarii, & exercens munus puri Confirmatoris, non habeat, nec poſſit habere intentionem confirmandi electionem de perſona *inhabili*: ergo cùm perſona certò poſtulanda ſit inhabilis, intentio Confirmatoris non eſt, confirmandi electionem factam de tali perſona. Econtra perſona certò eligibilis, etſi poſtuletur, non eſt inhabilis ad talem dignitatem: ergo poteſt admitti: ergo actus non eſt in ſe planè nullus, ſed eſt in arbitrio Confirmatoris, an velit admittere, an propter aliqualem incertitudinem verborum reſpuere; Nihilominùs ℞. 2. cum Pirhing *h. t. n.* 34. Diſtinguendo ſi certò eligendus poſtuletur ſimpliciter, & non ſolemniter, v. g. petatur ab Epiſcopo, ut Clericum ſibi ſubditum ad Decanatum vel Præpoſituram, aut à Generali Ordinis, ut Religioſum ſubditum in Prælatum aſſumi permittat, valet & licet poſtulatio, quia ex nullo capite poteſt oſtendi vitium: debet tamen adhuc accedere ſolemnis electio, nam illa licentia conceſſa eſt ſolùm quid prævium, & in ordine ad electionem de illa perſona faciendam. Si verò certò eligendus poſtuletur *ſolemniter*, poſtulatio eſt ipſo jure nulla. Ratio: Poſtulatio non poteſt eſſe valida, niſi forma poſtulandi ſit valida, atqui hæc forma: *Poſtulo eligendum:* eſt invalida per text. expreſſum *cap. un. h. t. in 6.* ergo nec poſtulatio illa. Deinde licèt perſona certò eligibilis non ſit inhabilis ex aliquo defectu, adeoque poſtulatio eligendi non ſit irrita ob defectum perſonæ poſtulatæ; eſt

tamen

Digitized by Google

tamen irrita ob vitium ipſius poſtulationis, quæ cùm ſit inducta in ſubſidium electionis, eo ipſo, quòd poſtuletur, qui poſtulatione non indiget, deſtituitur illa poſtulatio ſuo fine intrinſeco, adeoque eſt nulla & irrita, aliud eſt, ſi foret dubium, an ſit eligendus, ut dictum *q. 1. v. certa.*

QUÆSTIO XXI.

An forma præſcripta in cap. 42. Quia propter. de Elect. debet etiam obſervari in poſtulationibus?

℞. 1. In Poſtulatione *ſimplici* completè ſumptâ debet obſervari. Ratio: talis poſtulatio eſt vel involvit veram Electionem, ergo debet menſurari regulis veræ electionis.

℞. 2. In Poſtulatione *ſolemni* tutius eſt obſervare formam Scrutinii, & alias ſolemnitates ad Electionem canonicam requiſitas, imò teſte Donato Laynenſi *in prax. Regul. tom. 2. p. 1. tr. 1. q. 3. n. 4* in ſuo Sacro Ordine S. Dominici *electiones & poſtulationes* ex privilegio debent fieri eodem modo: Hoc tamen inſpecto jure communi probabiliùs non eſt de neceſſitate rigoroſâ. Ita Laymann *in cap. un. n. 5. h. t. in 6.* mutans id, quod dixerat *in qq. de prælat. Elect. q. 80.* cum ipſo ſentit Pirhing, Engel, Paſſerinus &c. Dant Rationem communiter, quia ſi in poſtulatione deberet ſervari forma præſcripta *cap. Quia propter.* & fieri, quæ requiruntur ad electionem Canonicam, non poſſent poſtulantes reſilire à Poſtulatione, antequam ea Superiori eſſet præſentata, ſicut nec Eli-

gentes ab electione, quod tamen eſt contra jura, ut dictum *q.* 5.

Electio & Poſtulatio dicuntur in Jure æquiparari; at hoc ſolùm verum eſt quoad finem, ad quem tendunt, ſcil. quoad proviſionem Eccleſiarum faciendam: quòd verò non æquiparentur quoad ſolemnitates, conſtat ex *q.* 3.

Dubium. *Quænam ſpecialiter ſint in Poſtulationibus neceſſariò ſervanda?*

℟. 1. In Poſtulationibus Regularium vota debent dari ſecreta, quia ob identitatem rationis S. Congregatio Cardinalium ſic eſt interpretata Concilii Tridentini Decretum *Seſſ.* 25. *de Regular. c.* 6. ut teſtatur Engel *h. t. n.* 9. ℟. 2. Poſtulatio *ſolemnis* debet fieri collegialiter, ſeu capitulariter, idque ad minimum congregatâ majori parte Capituli, adeò, ut ſicut Electio facta à minori parte Capituli per ſubſequentem conſenſum ſingulorum non convaleſcit, *cap. Auditis. de Elect.* ita nec Poſtulatio ſeu Nominatio. Fagnanus *in cap. Bonæ memoriæ.* 3. *h. t. n.* 46. ℟. 3. Tutius eſt, ut ſicut in Electionibus juxta dicta *part.* 1. *Sect.* 1. *q.* 6. §. 11. formari debet Electio communis, ſic quoque habeatur poſtulatio communis, hoc tamen de rigore non eſt neceſſarium, ut colligitur ex ℟. 2. *hìc q.* 21.

QUÆSTIO XXII.

Quid ſi Superior legitimè Poſtulatum repellat?

℟. Si hoc faciat malitioſè, & poſtulatus ſit idoneus, tenetur repellens repulſo de ſimili beneficio providere, juxta Fagnanum *in cap. Bonæ memoriæ*

Digitized by Google

moria. n. 64. h. t. argumento deſumpto *ex cap. Paſtoralis. 29. de Jure patron.* Ubi decernitur, quòd ſi Laicus Patronus ad Eccleſiam vacantem duos ſucceſſivè præſentet, valeat inſtitutio de ſecundo, non obſtante appellatione priùs factâ per primum: Epiſcopus tamen, qui malitiosè primum repulit, compellatur eidem in beneficio competenti providere: ergo idem videtur dicendum de poſtulato ad Eccleſiam vacantem, malitiosè repulſo. Verùm poteſt negari paritas: nam quæ ſunt Juris Patronatûs, ibi Epiſcopus tenetur præſentatum idoneum admittere, & ſi ipſum repellat, facit ipſi injuriam: at Poſtulatus, etſi ſit perſona idonea ad regendam Eccleſiam, non debet admitti, nec fit ei injuria, ſi repellatur, ut dictum in definitione *q. 1. v. ſupplex.*

QUÆSTIO XXIII.

Apud quem Superiorem debeat fieri Poſtulatio?

℟. Poſtulatio *ſolemnis* debet dirigi ad eum & admitti ab eo, ad quem aliàs ſpectat Prælati Confirmatio, dummodò is ſuper impedimento & defectu electionis poſſit diſpenſare, Pirhing *h. t. §. 3. n.* 14 ubi in ſpecie docet Poſtulationem *Epiſcopi* ad alium Epiſcopatum admittendum eſſe à ſolo Papa, è contra perſonæ ineligibilis ad aliam Eccleſiam vel dignitatem Epiſcopatu inferiorem etiam ab Epiſcopis admitti, dummodò defectus ex parte perſonæ poſtulatæ ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis; & ob hanc cauſam Epiſcopus non poteſt admittere Poſtulationem ad dignitatem habentem curam

animarum, ſi perſona poſtulata ſit minor viginti duobus annis, ut colligitur *ex cap. un. de ætat. & qualit. & Ord. præfic. in 6.* Concil. Trident. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* Poſtulatio *minùs ſolemnis* dirigenda eſt ad eos, quorum conſenſus vel licentia eſt neceſſaria, ut poſtulatus ad hanc Prælaturam promoveatur.

QUÆSTIO XXIV.

Quando proſequentes vel impugnantes Poſtulationem aut Electionem poſſint expenſas repetere?

℞. Si qui impugnent, & vel maximè, ſi obtineant contra Electionem minùs Canonicam, vel Poſtulationem & ſuccumbunt aut aliàs Poſtulationem damnoſam Eccleſiæ, poſſunt ab Eccleſia ſumptus repetere. Ratio: tales utiliter gerunt negotium Eccleſiæ: ergo non ſunt defraudandi ſuis expenſis.

℞. 2. Qui motu proprio abſque conſenſu vel commiſſione à Capitulo factâ impugnant Poſtulationem & ſuccumbunt, aut aliàs Poſtulationem vel Electionem de propria perſona factam proſequuntur, regulariter non repetunt ſumptus. Nam tales vel gerunt ſolùm negotium ſuum, vel ſi velint gerere negotium Eccleſiæ, illud non gerunt utiliter. Si tamen actor ſit Regularis, debet ei ſuccurri ex bonis Eccleſiæ: cùm enim bona propria non habeat, nec debeat privari vel impediri à proſecutione ſuorum jurium, videtur habere regreſſum ad Eccleſiem, ita Engel. *h. t. n. 5. Arg. cap. Ex parte. II. De accuſat.*

Quod

Quod verum eſt, ſi actio non fuiſſet *temerè* inſtituta: nam cùm poſtulatus ante admiſſam poſtulationem non habeat jus nequidem ad rem, ad dignitatem, ad quam poſtulatur, hinc ſi actio Regularis temerè inſtituta non cedat in utilitatem Monaſterii, & conventus non conſenſerit in talem actionem, atque aliàs delictum perſonæ non debeat redundare in detrimentum Eccleſiæ, *cap. 76. de R. I. in 6.* non video, quomodò Monaſterium in circumſtantiis modò poſitis ad refundendas expenſas poſſit aſtringi.

QUÆSTIO XXV.

An Capitularis invitus poſſit cogi ad poſtulandum?

℞. Negativè: quia nemo invitus cogitur renunciare juri ſuo. Hinc etſi major pars conſentiat, quod velit ptocedere viâ Poſtulationis, non poteſt per hoc cogere partem minorem, ut idem faciat: quia renunciare viæ electionis concernit Capitulares ut ſingulos, non ut omnes collectivè ſumptos: ergo non poſſunt inviti cogi ad renunciandum juri eligendi, ſicut nec major pars Capituli non poteſt, minorem partem cogere, ut inſiſtat viæ compromiſſi.

Nec obſtat, quòd ad geſta Capituli plùs non requiratur, quàm ut major pars conſentiat, & quod major pars Curiæ fecerit, pro eo habeatur, ac ſi omnes egerint, *L. quòd major pars.* 19. *ff. ad Municipalem*, *& cap.* 1. *de his quæ fiunt à majori parte*

parte Capituli. Nam ℞. Hoc non eſſe verum univerſaliter, & in iis, quæ concernunt Capitulares ut collectivè ſumptos,

QUÆSTIO XXVI.

An liberum ſit Capitularibus poſtulare vel eligere?

℞. Ex Jure communi nullus Capitularis cogitur procedere viâ Electionis, ſed etſi alii omnes per vota ſua eligerent, poteſt unus ſolus per votum ſuum poſtulare: quia nullum jus commune reperitur circa hoc aliter ſtatuiſſe: Hoc tamen unum votum reſpectu Poſtulati non poteſt habere fructum vel effectum, quia in hoc caſu concurrentis Electionis deberet Poſtulatus habere duas tertias reſpectu, côelecti. Poteſt nihilominùs hoc votum id efficere, ut impediat alterius electionem: Nam ut quis ſit electus, debet habere de jure communi majora vota reſpectu Capituli totius, hoc eſt, ultra medietatem, ut dictum *p.* 1. *Sect.* 1. *q.* 17. Ponamus jam totum Capitulum conſtare ex votantibus octodecim, & ex illis unum habere voces novem, alterum octo, tertium poſtulatum ſolùm unam: ſi dicatur hæc una vox poſtulans eſſe irrita, & nulla, ille qui haberet novem, haberet ultra medietatem, adeoque eſſet electus: ſi verò dicatur eſſe valida, ille cum ſuis novem vocibus haberet ſolùm medietatem, non ultra, adeoque nondum eſſet canonicè electus.

QUÆ-

QUÆSTIO XXVII.

Quo ſenſu ſit vera illa Parœmia, quòd per Poſtulationem deveniatur ad Electionem?

℞: Hoc ſenſu, quòd Poſtulatio admiſſa de jure ſolùm habilitet poſtulatum, ut poſſit eligi, uti notant DD. *in cap. Innotuit. 20. de Elect.* Hic tamen Ordo hodiè non ſervatur à Curia Romana, ſed Pontifex admittendo Poſtulationem illam ſtatim corroborat.

QUÆSTIO XXVIII.

Quod vota Poſtulatus habere debeat, ut poſtulatio ſit valida?

℞. 1. Quod non requiratur, ut omnes omninò Capitulares in favorem unius ſua vota direxerint, eſt commune inter Doctores. *Ratio.* Quod à majore parte Capituli fit, cenſetur factum à toto Capitulo concordi, & conſentiente. *Arg. cap. 1. de iis, quæ fiunt à majore parte.* Et, quod major pars curiæ egerit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint. *L. quod major ff. ad Municipalem.* Atqui poſtulatio in concordia facta valet, ergò & poſtulatio à majore parta facta valebit, etſi non omnes omninò in favorem unius ſua vota direxerint.

℞. 2. Quando poſtulatio non concurrit cum electione, requiritur & ſufficit, quod poſtulatus habeat vota majora, & ſaniora, hoc eſt, ultrà

me-

medietatem,licet non habeat duas tertias. Layman in *c. Bonæ de Poſtulat. n.* 5. Azor *p. 2. Lib. 6. cap.* 17. *q.* 3. Barboſa *Juris Eccleſ. Lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 12. & cæteri communiter contra Hoſtienſem & nonnullos alios volentes inferiorem Papâ, non poſſe admittere poſtulationem factam duntaxat à majore parte Capituli, *Ratio* hujus Reſponſionis petitur ex ℞. 1. Ubi ſimpliciter ex jure allegatur, quod facta â majore parte Capituli cenſeantur facta à toto concordi Capitulo: ſed facta à tot Capitularibus,ut numerus ſuperet medietatem, licet non aſcendat ad duas tertias, cenſentur verè facta à majori parte Capituli: ergo etiam cenſentur facta à toto Capitulo,ſubſumo: ſed poſtulatio facta à toto Capitulo eſt valida, ergo. Confirmatur, *Cap. Bonæ 3. de Poſtulat.* Dicitur: quod non ſoleat admitti; nam argumentum à contrario ſenſu petitum in jure eſt validum, & forte. *L.* 1. *ff. de officio ejus,cui mandata eſt juriſdictio. Gl. in cap. cùm Apoſtolica. v. datur intelligi. De his, quæ fiunt à Prælato.*

Nec obſtat,quod *cap. cum Poſtulationem h. t.* Dicatur: Poſtulationem hanc nonniſi ex ſpeciali gratia eſſe admittendam ergo non videtur valida. ℞. N. Conſeq. Nam etiam poſtulatio cum duabus tertiis, imò omnium votis facta ſolùm ex gratia admittitur,& tamen eſt valida, ergo ex hoc capite poſtulatio à majori parte facta non poteſt impugnari.

℞. 3, Ut poſtulatio concurrens cum electione ſit valida,& prævaleat electioni,neceſſe eſt, & ſufficit,

ſit, quod numerus poſtulantium ſit duplò major, numero Eligentium, adeoque, quod poſtulatus pro ſe habeat duas tertias votantium. Prima pars de neceſſitate patet *ex c. ſcriptum eſt. 40. de Elect. & de Electi poteſtate.* Secunda pars de ſufficientia probatur: quia potentia Univerſitatis, veluti tota in duabus partibus reſidet. *L. nulli ff quod cujuſque univerſitatis.* Ergo, quod duæ partes faciunt, cenſetur ipſum totum facere, ſed poſtulatio, quæ moraliter ab ipſo toto concorditer fit, valet, ergo & illa, in qua duæ tertiæ conſenſerunt in unam perſonam.

Econtrà: ſi in concurſu poſtulationis cum Electione, vel unica unitas deficiat, quò minus numerus poſtulantium ſit duplò major numero Eligentium, electio eſt confirmanda, etſi aliàs à majori parte ſit facta. Dicitur autem poſtulatio cum electione concurrere, quando unus ab una parte Capituli poſtulatur, alter eligitur. Totum hoc exemplificatur in caſu: ſint v. g. Votantes 48. ex his 16. eligant Paulum, ſi reliqui 31. unanimiter poſtulent Epiſcopum aliquem in aliâ Eccleſia jam proviſum, præferri debet poſtulatio Epiſcopi: quia numerus poſtulantium eſt duplò major numero eligentium, ut verbis claris exprimitur *d. cap. ſcriptum eſt*: Si vero ex illis triginta duobus vel unus votum ſuum diſpergat ad aliquem tertium, etſi poſtulatus habeat vota triginta unum, præferri debet Electus votis ſedecim. Nam *d. cap. ſcriptum eſt.* Dicitur ſimpliciter: *Quodſi ad faciendum duplò majorem* numerum ſimul omnes prædicti minimè ſufficerent, ſive *dignus, ſive indignus fuerit poſtulatus,*

ſtulatus, tu poſtulatione repulſâ, electionem Plebani auctoritate noſtrâ confirmes, dummodò nil obſiſtat eidem, quod ipſum tanto præſulatu reddat indignum. Ita ibi: ſed ſi vel unica unitas deſit, jam ipſo facto numerus poſtulantium non eſt duplò major numero Eligentium, ergò.

Quod ſi duæ partes Capituli in poſtulationem alicujus non conſenſerint, ſed major tantùm pars poſtulârit, & minor pars Capitularium elegerit alium, & nihilominùs utraque tam poſtulatio, quam Electio Superiori præſentetur, juxta Pirhing *ad tit. de poſtulat. Prælat. n.* 18. Layman. *in C. Bonæ.* 3. *eod. n.* 5. Non diſſentiente Leurenio *Fori Beneficialis Tom.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 1. §. 2. 9. 209. *n.* 4. Poteſt ſuperior pro arbitrio, conſideratis circumſtantiis, & qualitatibus perſonarum, vel poſtulationem admittere, vel electionem confirmare vel utramque rejicere, adeò, ut nequidem Electo in hoc caſu aliquod jus acquiratur ante conſenſum Confirmatoris: quia ſi poſtulantes, qui duas partas Capituli non faciunt, unà cum Electione factâ à minore parte aliorum Capitularium poſtulationem ſuam ſuperiori præſentent, eo ipſo tacitè cenſentur conſentire, ut vel eorum poſtulatio admittatur, vel aliorum electio confirmetur cum ſciant, quod poſtulatio, quæ concorditer ab omnibus, vel ſaltem à duabus partibus Capituli facta non eſt, non admittatur, niſi ex gratia ſpeciali, & quidem magis ſpeciali, quàm ſit illa, cui aliàs etiam poſtulatio facta unanimiter, aut à duabus partibus adhuc innititur, ita illi.

Addit Lotterius apud Leurenium *loc. cit.* quod Papa, ſi velit, poſſit admittere poſtulationem illam cele-

:elebratam à non duplò majori numero, id tamen
ıunquàm faciat, ubi Poſtulatio cum electione
·oncurrit. Sed & in Germania hoc facere, ſpecia-
em, videtur pati difficultatem ratione Concor-
latorum Germaniæ, in quibus §. IV. Pontifex
Nationi Germanicæ promiſit, quòd Electiones
ſi Canonicæ fuerint) confirmare velit, niſi ex ra-
ıonabili & evidenti cauſa ac de Cardinalium Con-
ilio de digniori & utiliori perſona duxerit provi-
lendum, ſed electio, dum in concurſu Poſtulatio-
ıis non habet majora, adhuc poteſt reputari Ca-
ıonica, juxta *d. c. Scriptum eſt.* Ergo ſi hæc non
onfirmetur, ratione Concordatorum Germaniæ
atietur aliquam difficultatem.

Obſerva: ut Electio præferatur poſtulationi fa-
tæ à minori numero Capitularium quàm duabus
artibus, debet electus ſaltem unum votum habere
ltra unam tertiam: teſte Leurenio *l. c.* & Pir-
ing *l. c. n.* 18. *ex d. cap. ſcriptum eſt*: Ubi ſolùm
icitur poſtulationem eſſe admittendam, quando
umerus poſtulantium in duplo major eſt numero
ligentium, ſive, quod idem eſt, quando poſtu-
ıtus habet duas tertias, & electus ſolùm
nam tertiam votorum: ergo à contrario, ut ele-
:io præferatur, debebit electo adhuc unum votum
ſe ſuperadditum, ut is habeat ultra unam tertiam.
'ide ſupra *p.* 1. *Sect.* 1. *q.* 17. *Obſerv.* 3. Ubi id-
ıſum ſpecificatum eſt Electione Colonienſi.

Obſerva. 2. In concurſu Electionis cum poſtu-
.tione, ſi nullus poſtulatus habeat duas tertias, præ-
rendus eſt electus, qui habet unum votum ultra
ıam tertiam, etſi adhuc alii eligibiles acceperint

aliqua vota: v. g. ſi capitulum conſtaret votantibus viginti ſeptem: quindecim ex eis poſtularent Antonium, decem eligerent Marcum, & duo eligerent Sergium: hoc caſu Antonius poſtulatus haberet quidem majora ſcilicet vota duo vel ſaltem ſeſqui ultra medietatem, & hinc ſi reliqui Marcus & Sergius etiam debuiſſent poſtulari, fuiſſet admittenda poſtulatio ejuſdem Antonii: ſed quia hi duo fuerunt electi, hinc poſtulatio illa non habet requiſita ſufficientia, ut debuerit electioni præferri. Marcus habens decem, haberet unum votum ultra tertiam (nam novem eſt tertia pars ex viginti ſeptem) adeoque iſtius electio eſt confirmanda, non obſtante, quòd etiam Sergius eligibilis habuerit duo vota. Licèt iſte caſus non ſit adeò claris verbis *in d. c. ſcriptum*: expreſſus exinde tamen deducitur, quia juxta allegatos DD. in idem caput ſcribentes, ſimpliciter conceditur, quòd in concurſu poſtulationis cum electione ſit præferendus electus per vota unam tertiam excedentia: ſed in caſu poſito imprimis poſtulatio concurrit cum electione: & præterea non obſtante, quòd Sergius habeat duo vota, ſimpliciter tamen adhuc verum eſt, quòd Marcus ſit electus per vota unam tertiam excedentia: ergo Marcus eſt præferendus.

Si ponamus, quòd Antonio poſtulato, quindecim votis, Marcus electus haberet novem vel octo, Sergius tria vel quatuor, nec electio nec poſtulatio prævaleret: Non Poſtulatio, quia poſtulatus non haberet duas tertias votorum, ſive numerus eundem poſtulantium non fuit duplo major numero eligentium: Neque etiam electio: quia Marcus necdum habuit

»nit ultra unam tertiam, ſed ad ſummum præcisè
ınam tertiam, vel unum votum minus tertiâ parte.
Si ponamus, quòd Antonius poſtulatus fuiſſet
'otis quatuordecim, Marcus electus votis ſeptem,
ergius poſtulatus votis ſex: Iterum nec poſtula-
io nec Electio prævaleret: Non poſtulatio: quia
icet numerus poſtulantium Antonium ſit duplo
najor numero eligentium Marcum, non tamen eſt
n duplo major comparativè ad totum Capitulum;
uod tamen videtur requiri: Licet enim textus
utis id non aſſerat verbis ſatis expreſſivis, DD. ta-
nen communiter textum *d. cap ſcriptum eſt.* ſic
nterpretantur, quòd in concurſu poſtulationis cum
lectione poſtulatus habere debeat, duas tertias
otantium. Neque electio: ex dicta ratione, quòd
Marcus non ſit electus votis unam medietatem ex-
edentibus.

Si ponamus, quòd Antonius poſtulatus fuiſſet
otis tredecim vel infra, ita ut nequidem habuerit
najora, Marcus electus fuerit votis decem, Sergius
otis quatuor videtur idem dicendum, quod ſupra
irca initium hujus obſervationis ſecundæ nimirum
lectionem Marci eſſe præferendam! An idem di-
endum ſit, ſi vice verſâ Antonius poſtulaus ſit votis
uatuor Marcus electus votis tredecim (nondum
onſtituentibus majora, ſive unum ultra medieta-
em) & Sergius etiam electus votis decem, non
oſtenditur ſatis in jure expreſſum. Ratio dubi-
andi videtur eſſe, quòd Marcus habens vota tre-
lecim necdum habeat ultra medietatem, ergo non
oteſt dici habere omnia requiſita ad Electionem
n pleno rigore perfectè Canonicam: Si verò dicatur,

quòd plenus rigor hìc non requiratur, eò quòd poſtulatio concurrat cum electione: Videtur poſſe opponi, quòd pro tunc ſufficiat habere ſolùm ultra unam tertiam, ergo etiam Sergius poterit ſe exhibere tanquàm habentem requiſita, cùm & ipſe habeat ultra unam tertiam: Quòd verò Marcus habeat vota plura, non videtur obſtare, eò quòd ille exceſſus ſupra Sergium necdum ſuperet medietatem totius Capituli, adeoque non videatur conſiderandus. Verùm potiùs ſtandum pro Marco: quia imprimis verum eſt, quòd in caſu poſito electio concurrat cum poſtulatione, ergo etiam conſequens eſt, quòd nō requiratur, ut electus habeat majora reſpectu totius Capituli: Hoc enim generaliter à DD. cōcedi ſolet, pro quovis caſu, quo poſtulatio concurrit cum electione. 2dò: licèt Marcus non habeat ultra medietatem, habet tamen majora reſpectu coëlecti; ergo huic coëlecto eſt præferendus, ſuppoſito, quod majoritas reſpectu totius Capituli non ſit neceſſaria: juxta regulam vulgatam: Plurima vota valent.

Obſerva. 3 Dum dicitur in concurſu poſtulationis cum electione admittendam eſſe poſtulationem, dummodò numerus poſtulantium eſt duplo major numero eligentium, ſubintelligitur, ſi poſtulatus ſit perſona digna: quia ſi ſit perſona indigna, ſed cujus indignitas fuerit ignorata, tam poſtulatiò quàm electio corruit: ſi indignitas fuerit cognita, illi ſic ſcienter indignum poſtulantes, pro hac vice privantur poteſtate eligendi vel poſtulandi, quæ poteſtas pro tunc ipſo facto ad alteram (quantumvis minorem) partem, quæ perſonam dignam elegit, devolvitur, & electio ab ipſis facta eſt confirmanda

per

per textum expreſſum ſæpe citato *cap. ſcriptum eſt:* *in fine:* Ibi. *Si verò numerus Poſtulantium inventus fuerit duplo major, quemadmodum prædictum eſt, & perſona poſtulata reperta fuerit indigna, Tu tam poſtulationem quàm electionem non differas reprobare: Niſi forſan omnes aut major pars poſtulantium præſumptione damnabili poſtulaverint ſcienter indignum ut hâc vice meritò debeant eligendi ſeu poſtulandi poteſtate privari. Et hoc quoque caſu electionem confirmes, ſi eam de perſona idonea conſtiterit celebratam.* Ita ibi. Plura de hac privatione poteſtatis eligendi vel poſtulandi vide ſupra *part.* 1. *Sect.* 3. *q.* 1. *dub.* 7.

QUÆSTIO XXIX.

An invalidè electus ob defectum, quo laborabat, poſſit dein poſtulari?

℞. Si defectus eſſet diſpenſabilis, & Capitulares hanc perſonam, ignari defectûs elegiſſent, poſſunt errorem ſuum ſibi detectum mox corrigere, eundem poſtulando: ſecus eſt, ſi conſcii defectûs talem perſonam elegiſſent, tunc enim pro illa vice privati eſſent poteſtate eligendi & poſtulandi ex titulo, quo ſcienter elegerint indignum. cum Laym. *in cap. Innotuit. de Elect. n.* 8.

QUÆSTIO XXX.

Quis, pro admiſſione Poſtulationis teneatur vel poſſit laborare? An Poſtulatus, an Poſtulantes?

℞. Debent ipſimet Poſtulantes laborare pro hac admiſſione, *Arg. c. Cupientes. de Elect. in 6.* in tantum, ut Poſtulatus Poſtulationi abſolutè conſentiens arguatur ambitionis; cujus multò magis argueretur ſi ipſemet pro admiſſione poſtulationis laboraret. Vide *part. 1. Sect. 3. q. 20. dub. 2.*

PARS TERTIA

De

COADJUTORIIS.

NE afflictio addatur afflicto, & Paſtori debilitato alterum incutiatur faſtidium, ſi honoris ſui faſtigium ipſi è veſtigio ſubmoveretur, Jura *cap. 3. 5. & 6. de Cleric. ægr.* & conſuetudines notiſſimæ receperunt Coadjutores, quos coadjuvandi quaſi Tobiæ ſeniores ſpecioſo encomio *Baculos ſenectutis ſuæ* ſalutare poſſent. Plura Coadjutoriarum exempla videre eſt apud Thomaſinum *in Vet. & nov. Eccleſ. Diſcipl. p. 2. L. 2. c. 59.* ita ut earum obſervantiam reperire liceat in ipſo Apoſtorum Principe ſibi Adjutores Linum vel Cletum aſciſcente, *cap. ſi Petrus VIII. q. 1.* Pro complemento Methodi Eccleſiis providendi de Paſtore cape ſequentia ex Concilio Tridentino, Card. de Luca, Pignatello, Fagnano, Thomaſino, Barbosa, Azor, Gavanto, Gonzalez, Franciſco Leone, Arnoldo

à S.

à S. Leonardo, Leurenio, Sannig, Philippo Braun, Pirhing Vallenſi, Wagnereck, Engel Sanctionibus utriuſque Juris, Statutis Præmonſtratenſibus, aliisque Auctoribus, quos inſpiciendi facultas obtigit.

QUÆSTIO I.

Quid & Quotuplex ſit Coadjutoria?

℞. 1. Coadjutoria eſt gratia, quâ per illum, qui poteſtatem habet, perſona idonea in ſublevamen alterius perſonæ aſſiſtentiâ indigentis, aut in bonum ipſius Eccleſiæ vel Reipublicæ certo officio adminiſtrando juſta de cauſa deputatur. Praxis docet, hanc definitionem non eſſe intelligendam, quaſi coadjuvandus neceſſariò actu Coadjutoris operâ indigere debeat: ſufficit enim, quòd Coadjutor habitu poſſit alterum adjuvare, & hinc onus habituale pro cauſa finali Gratiæ Coadjutorialis in Bullis Pontificiis ſolet exprimi. Coadjutor eſt, qui ex cauſa Juris, vel Judicis auctoritate ad hoc datur, ut Adminiſtratoris, vel Præſidentis, vel Rectoris officium coadjuvet.

A Coadjutore ſic deſcripto reipsâ (ſecluſis ſpecialibus Facultatibus quandoque conceſſis) vix differunt Adminiſtratores, qui Epiſcopis à ſua Diœceſi legitimè abſentibus, vel diſpenſatione Apoſtolicâ ad Epiſcopatum ante legitimam ætatem promotis à Sede Apoſtolica conceduntur. Solet tamen Jus *cap. 3. 5. & 6. de Cleric. ægr.* hoc nomen ſpecialiter attribuere illi, qui Prælato per ſe ad Eccleſiam ſibi commiſſam regendam apto, ſed ab actuali exercitio ſui officii ob morbum per-

petuum impedito datur, ad ipſum coadjuvandum, ejuſque munus exequendum. Ita Reiffenſtuel *ad tit. de Cleric. ægr. n. 35.*

℞. 2. Ratione materiæ alia Coadjutoria eſt *ſæcularis*, quando Principi ſæculari, vel etiam Eccleſiaſtico quoad adminiſtrationem in temporalibus Coadjutor datur, prout per Papam datus fuit Regi Portugalliæ, *cap. 2. de ſuppl. negl. Prælat. in 6.*

Alia eſt *ſpiritualis*, quando Prælato Eccleſiaſtico quoad adminiſtrationem rerum ſpiritualium Coadjutor datur. Hæc ſubdividitur in temporalem & perpetuam. *Temporalis* ſive revocabilis eſt, quæ datur ad tempus ſcilicet Coadjuti vitâ, aut impedimento durante, ſine futura ſucceſſione. *Perpetua* eſt, quæ ita datur, ut quam primùm Coadjuti beneficium vel Dignitas per illius ceſſum vel deceſſum vacârit, in eodem ſuccedat Coadjutor. Hæc continet vim gratiæ exſpectativæ, habetur pro odioſa, adeoque ſtrictè eſt intelligenda, & pro hac requiruntur ponderoſæ cauſæ, ac juris ſolennitates, juxta Trid. *Seſſ. 25. c. 7. de Reform.* Exemplum hujus habemus in S. Bonifacio Archi-Epiſcopo Moguntino, qui à Zacharia Papa licentiam obtinuit, ſibi Coadjutorem cum futura ſucceſſione aſſumendi, *c. Petiiſti. 17. VII. q. 1.*

QUÆSTIO II.

Quæ Coadjutoriæ ſint Juri Conformes, vel in quibus beneficiis aut dignitatibus locum habeant?

℞. 1.

℞. 1. Coadjutoriæ *perpetua* cum futura ſucceſſione pro Canonicatibus aliiſque beneficiis inferioribus Cathedralium, Collegiatarum, aliarumvè Eccleſiarum exorbitant à Jure Communi & Tridentino. Thomaſinus *loc. cit. n.* 11. Fagnanus fusè *in C. Nulla de Conceſſ. Præb. à* n. 50. *& ſeqq.* contra Lotterium *de re benef. Lib.* 2. *q.* 25. *n.* 20. &c. Ratio: Nullus in Corpore Juris clauſus textus oſtenditur, in quo Coadjutoriæ perpetuæ in beneficiis inferioribus fiat mentio. Deinde Tridentinum *Seſſ.* 25. *de Reform. cap.* 7. ait: *In Coadjutoriis quoque cum futura ſucceſſione idem poſthac obſervetur, ut nemini in quibuſcunque beneficiis Eccleſiaſticis permittantur.* Et hæc Conſtitutio Tridentini ipſum etiam Pontificem comprehendit, non quidem vi coactivâ, *arg. c. ſignificâſti de Elect.* bene tamen vi directivâ, *c. ult.* §. *His ita. XXV. q.* 1. *& L. Digna vox. C. de LL.* ita tamen ut ipſe in hac Lege valeat diſpenſare, & has gratias Coadjutoriales concedere, ſaltem niſi præjudicetur Concordatis Germaniæ.

Imò in beneficiis ſimplicibus aut Canonicatibus nequidem Coadjutoria *ſimplex* ac *temporalis* locum habet: quia in his beneficiis nulla adeſt adminiſtratio, & regulariter nullum aliud annexum eſt onus, quàm legendi Horas vel exequendi functiones Ordinis, at Eccleſia cum beneficiatis infirmis & ſimili causâ inhabilibus diſpenſat quoad recitationem horarum, & executionem functionum Ordinis, relinquendo illis omnes fructus beneficiorum: ergo hic deficit finis dan-

di Coadjutorem, qui eſt, ut favor Eccleſiæ & Coadjuto exhibeatur. Teſtatur tamen Card. de Luca *Theatr. Veritatis & Juſtitiæ tom.* 14. *tr.* 5. *In Annotat. ad Trid. diſt.* 45. *n.* 7. in Italia & Hiſpania, aliiſque partibus, in quibus Tridentinum obſervatur, pene nullum Coadjutoriarum perpetuarum in Eccleſiis Cathedralibus & Metropolitanis eſſe uſum, bene tamen in Eccleſiis ac beneficiis inferioribus, puta Parochialibus, Dignitatibus & Canonicatibus Cathedralium vel Collegiatarum.

℞. 2. In Eccleſiis Cathedralibus aut Regularibus Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione non exorbitant à Jure Communi; Patet *ex cap. Petiiſti. VII. q.* 1. & Tridentino *loc. cit.* ibi: *Quòd ſi quando Eccleſiæ Cathedralis aut Monaſterii urgens neceſſitas aut evidens utilitas poſtulet Prælato dari Coadjutorem, is non aliàs cum futura ſucceſſione datur, quam hæc cauſa priùs diligenter à Sanctiſſimo Romano Pontifice ſit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quæ à Jure & decretis hujus Sanctæ Synodi in Epiſcopis & Prælatis requiruntur: aliàs conceſſiones ſuper his factæ ſubreptitiæ eſſe cenſeantur.* Ita ibi. Ideò autem Coadjutoriæ tales in beneficiis ſimplicibus ſunt proſcriptæ, non in Eccleſiis Cathedralibus aut Regularibus, quia, licèt etiam in his periculum captandæ mortis alterius poſſit intercurrere, (quæ eſt magna ratio priores Coadjutorias proſcribendi) præponderare tamen quandoque poteſt neceſſitas urgens, & evidens Eccleſiæ utilitas, quæ faciliùs peri-

periculum pati poſſet, ſi in Epiſcopatibus vel Abbatis Prælato exiſtente inhabili non daretur Coadjutor, quàm ſi in ſolis beneficiis inferioribus id non fieret, utpote in quibus periculum animarum non imminet, aut ſi quod immineat, non deſunt, qui ſub competenti ſalario Coadjutoriam etiam ſine futura ſucceſſione ſuſciperent; cùm econtra experientiâ teſte in Epiſcopatibus & Abbatiis perſonæ qualificatæ vix induci poſſint ad onus Coadjutoris ſuſcipiendum, niſi cum futura ſucceſſione.

℞. 3. Coadjutoria *perpetua* à ſolo Papa ad ſolum coadjuvandi conſenſum, aut etiam citra eum abſque Capitularium ſive Electorum conſenſu conceſſa repugnat concordatis Germaniæ, Branden, Piaſecius, Nicolarts *ad Concordata Germaniæ tit. 1, dub. 8, n. 6.* Nam concordata excludunt quaſcunque gratias præventivas & exſpectativas reſervationes, collationes, & quaſcunque diſpoſitiones, quæ Ordinariorum jus collationem, lectionem, ſeu diſpoſitionem in ſex menſibus immediant: at Coadjutoria perpetua cum futura ſucceſſione ſine conſenſu Capitularium conceſſa eſt ad minimum gratia præventiva, quæ horum jus impedit: ergo.

℞. 4. Coadjutor *temporalis* poteſt dari in omnibus beneficiis majoribus duplicibus, dignitatibus præeminentiis utriuſque ſexûs, dummodò juriſdictionem vel adminiſtrationem aliquam obtineant, ſpeciatim Archi-Diacono, *cap. Conſultationibus. Cleric. ægrot.* Epiſcopis & Prælatis Superioribus, *c. Ex parte eod.* Rectoribus Eccleſiarum Paro-

Parochialium, *C. De rectoribus. eod.* Habentibus perſonatum vel beneficium quodcunque certi officii, & Generalibus perpetuis alicujus Religionis. Pagnanus *in d. c. conſultationibus, n. 3. & 5.* Eſt quoque probabile, quòd in dictis beneficiis Jurisdictionalibus aut curatis, v. g. Archi-Diaconatu, Præpoſituris, Decanatibus & Paſtoratibus poſſit dari Coadjutor *perpetuus* cum futura ſucceſſione: Ideò enim Tridentinum permittit Epiſcopatibus & Monaſteriis Coadjutorias perpetuas, ut ſic aliqualiter compenſentur labores, quos Coadjutor durante Coadjuti vitâ ſuſtinet: at eadem ratio applicari poteſt iis, qui ſunt Coadjutores Archi-Diaconorum, Parochorum, &c.

QUÆSTIO III.

Quis Coadjutorem poſſit dare vel aſſignare?

℟. Coadjutores *perpetuos* ſolus Papa in Dataria poteſt concedere vel admittere, juxta communem Doctorum conformiter ad Trident. *Seſſ. 25. de Reform. cap. 7.* In dignitatibus tamen & beneficiis Electivis Pontifex non ſolet, & reſpectu Nationis Germaniæ ſalvis Concordatis non poteſt hoc facere ſine conſenſu Capitularium, ut dictum *q. 2.* Si Coadjutoria perpetua à Pontifice ſolo alicui in Germania conferretur cum clauſulis derogatoriis ſolùm generalibus, judicatur invalida. Nam Pontifex, etſi juxta probabilem quorundam ſententiam Concordatis derogare valeat, hoc tamen non niſi rariſſimè & ex cauſa juſta facit, ita ut Paulus V. die

27.

7. Martii, Anno 1613. declaraverit derogationem concordatorum in quadam Coadjutoriæ conceſſione appoſitam fuiſſe ſub- & obreptitiam.

℞. 2. Coadjutores *temporales* Epiſcopis & Epiſcopo majoribus dat ſolus Papa & non Legatus à latere: quia hæ Coadjutoriæ annumerantur cauſis majoribus, quæ ad ſolum Papam ſpectant. Poteſt tamen in locis à Civitate Romana nimiùm diſſitis Epiſcopus ſenio, infirmitate perpetuâ, vel ſimili impedimento continuo gravatus ex auctoritate Apoſtolica de conſenſu ſui Capituli vel majoris partis illius, unum vel duos Coadjutores temporales aſſumere. Si Epiſcopus contradicat, Capitulum nil poteſt innovare, ſed tam Epiſcopi, quàm Eccleſiæ ſtatus ad Pontificem eſt referendus: niſi Epiſcopus incurrerit amentiam, tunc enim Capitulum aut duæ partes ipſius poſſunt ad Conſtitutionem Coadjutoris temporalis procedere, eâdem Apoſtolicâ auctoritate. Totum hoc eſt expreſſum *cap. un. de Clerico ægrot. in 6.* Ex cujus textu ſequitur imprimis, quòd uni & eidem duo Coadjutores poſſint dari dividendo inter eos onera & adminiſtrationem Coadjuti: quæ enim in hoc abſurditas vel impedimentum? Hoc tamen intellige de ſolis Coadjutoriis *temporalibus*: cùm enim eidem Coadjuto in eodem beneficio vel dignitate non poſſint ſuccedere ſimul plures, hinc nec poſſunt eidem reſpectu ejuſdem dignitatis dari Coadjutores plures. Sequitur ſecundò ex eodem textu, quòd Capitulum in hoc caſu non poſſit plures quàm duos Coadjutores dare: cùm enim Capitulum nonniſi ex delegata Pontificis poteſtate Coadjutores

res dare poſſit, debet ſervare limites mandati: at mandatum ſive delegatio poteſtatis in textu *d. cap. un.* determinatè exprimit ſolùm unum vel duos Coadjutores, & hoc ideò ne multiplicatis Coadjutoribus graventur Eccleſiæ, ex quarum reditibus peterentur alimenta Coadjutorum, *Gl. hic. V. Aut duos.* Sequitur tertiò, quòd Capitulum invito Epiſcopo (niſi is ſit amens) Coadjutorem dare, vel eundẽ ad Coadjutorem acceptandum cogere non poſſit: nam textus dicit, quòd Epiſcopo contradicente Capitulum nihil poſſit innovare, ſed totum ſtatum ad Pontificem referre debeat, niſi Epiſcopus incurrerit amentiam. Pirhing *ad tit. de Cleric. ægrot. n.* 14. Addit hanc rationem à priori: quia inferior juriſdictionem erga ſuperiorem exercere non poteſt, *cap. Inferior* 16. *de Major. & obed.* Capitulum autem eſt ſubjectum Epiſcopo, velut membra capiti.

Reliquis Prælatis Epiſcopo inferioribus, aliiſque curatis beneficiatis nonexemptis poſſunt Epiſcopi, Legati Apoſtolici, aliique Collatores Ordinarii Coadjutores *temporales* dare, ex Trid. *Seſſ.* 21. *cap.* 6. *de Reform.* Quod de beneficiis non-electivis, & non dependentibus à Patrono Laico intellige: his enim Legati Apoſtolici & Epiſcopi ſine conſenſu Capitularium vel Patronorum Laicorum Coadjutores temporales dare non poſſunt, *Arg. cap. cùm Dilectus.* 28. *de Jure Patronatûs.* vi cujus ſtatuitur, quòd Legatus Sedis Apoſtolicæ à Latere poſſit ſibi reſervare Eccleſiam vel beneficium primò vacaturum, illudque, cùm vacaverit, conferre certæ perſonæ irrequiſito Patrono Eccleſiaſtico, hoc tamen non poſſit facere inconſulto Patrono

Laico,

Laico, vel Clerico, cui jus præſentandi competit titulo patrimoniali vel Laico.

Abbatibus, aliiſque Prælatis *non-Regularibus exemptis* ſolus Papa Coadjutorem *temporalem* poteſt dare, teſte Barboſâ *de Offic. & poteſt Epiſc. alleg.* 50. *n.* 8. Prælatis Regularibus exemptis Coadjutorem talem dare ſpectat ad Generalem vel *D*efinitorium, ubi cujuſvis Ordinis Conſtitutiones & Privilegia Apoſtolica ſunt inſpicienda, teſte Aſcanio Tamburino *De Jure Abb. Tom.* 1. *Diſp.* 13 *q.* 1. & 2.

Infer: Prælati aliique Eccleſiarum Curatorum Rectores juxta quoſdam non poſſunt propriâ authoritate ſibi aſſumere Coadjutorem, quia hoc ſoli Epiſcopo de conſenſu Capituli ex ſpeciali gratia à Trid. *loc. cit.* conceditur; Poſſunt tamen eo caſu ſibimet ipſi Vicarios temporales pro tempore durantis impedimenti (v.g. morbi curabilis) conſtituere, etiam ſine licentia Epiſcopi in beneficiis curatis; ita Fagnanus *in c. Conſultationibus. eod. n.* 12. & 13. eruit *ex arg. c. Pervenit. il.* 2. *de appellat.* & *L.* 1. §. *Hujus rei. ff. de Offic. ejus, cui mandata eſt juriſdictio.*

In quo verò Vicarius iſte temporalis à Coadjutore temporali differat, non exprimit. Certè cum juxta P. Reiffenſtuel *q.* 1. ℞. 1. allegatum, à Coadjutore vix differant Adminiſtratores conceſſi iis, qui diſpenſatione Apoſtolicâ ad Epiſcopatum ante legitimam ætatem ſunt promoti, etiam non apparet clarè quoad rem magna differentia inter hujuſmodi Vicarios temporales ad tempus impedimenti durantis datos & inter Coadjutores temporales ad idem

ad idem tempus datos ; Unde nonnulli teſte Leurenio *de Vicario Epiſcopali tr.* 2. *q.* 306. Coadjutorem *Vicarium* Epiſcopi vocant, eò quòd Vicario nomine adminiſtret, & Gonzalez *ad Reg.* 8. *Concell. Gl.* 5. §. 90. *n.*40. dicit, quòd Coadjutoriæ ſint ferè *Vicariæ* temporales. Sic quoque A.R.P. Arnoldus à S. Leonardo Coadjutoriis ſubordinatis annumerat varia Vicariorum Epiſcopalium genera, v.g. 1. In Pontificalibus Suffraganeum, 2. in ſpiritualibus contentioſis Officialem, 3. in Spiritualibus gratioſis Vicarium Generalem ſpecificè ſumptum, 4. in Temporalibus Cancellarium. Hinc aliqui cum Card. Tuſcho formant hanc regulam, quòd Coadjutoria, quando non eſt in toto, ſed tantùm in parte miniſterii, ſit favorabilis & permiſſa ſine Superioris titulo vel conſenſu ; ſecus ſi detur in toto & pro tota cura.

QUÆSTIO IV.

Quænam prævie requirantur & ex quibus cauſis Coadjutoriæ concedantur.

℞. 1. In Coadjutoriis *temporalibus* ſolemnitas alia ex Jure communi non requiritur, quàm ut petens Coadjutorem fidem (& quidem ſi exigatur, juratam) faciat, ſe præ infirmitate vel ſimili impedimento non eſſe ſufficientem ſuo muneri exequendo.

2. In Coadjutoriis *perpetuis cum futura ſucceſſione.*

3. Primò;

3. Primò. Si Eccleſia quædam haberet Patronum Laicum, non cenſetur Coadjutoria *perpetua* à Papa concedi ſine ejuſdem Patroni conſenſu: quia per Coadjutoriam transfertur aliqualis titulus in Coadjutorem; qui ſi conferretur Patrono invito, Laicos fideles à piis fundationibus poſſet avertere.

4. Secundò: Ad concedendam Coadjutoriam *perpetuam* reſpectu dignitatum & beneficiorum *Electivorum* Papa ubique locorum ſolet, & in Germania juxta Concordata debet deſiderare conſenſum Capituli: Licèt enim ſalvis Concordatis Pontifex urgente Eccleſiarum neceſſitate Capitulares monere, imò & aſtringere poſſit, ut Coadjutorem cum futura ſucceſſione poſtulent, Capitularibus tamen diſſentientibus hunc vel illum Coadjutorem obtrudere non poteſt, etiam Epiſcopo ſolo deſiderante, ut dictum *q.* 2. *n.* 3.

5. Tertiò: requiritur conſenſus Coadjuvandi, & quidem magis quàm Capitularium, ita ut Coadjutoria ſecus data regulariter ſit nulla: teſte Card. de Luca, *de Regul. diſc.* 53 *n.* 16. *tom.* 14. *tr.* 1. Dixi: *Regulariter:* etſi enim ſit contra Concordata, ſi Pontifex contra conſenſum Capitularium Coadjutorem perpetuum obtrudat, ſecus tamen eſt, ſi quandoque ſolo Prælato invito ſic exigentibus cauſis rationabilibus Coadjutor detur. Unde dilapidatori bonorum Eccleſiaſticorum, etiam invito, conſuevit dari Coadjutor, adminiſtratione in hunc translatâ. Idem dic, ſi Rector Eccleſiæ eſſet ignorans, imperitus gubernandi, aut in eo concurrerent cauſæ, ob quas beneficio eſſet privandus.

6. Poteſt conſenſus iſte præſtari per Procurato-

rem ad hoc *ſpecialiter* conſtitutum: Cùm enim admiſſio Coadjutoris ſit una ex cauſis magis arduis, hinc Procurator efficaciter non poteſt loco ſui Principalis conſentire, niſi mandato ſpeciali ſit munitus.

7. Si conſenſus Coadjuti per metum injuſtum ſive ipſi directè, ſive aliis ejus conjunctis v. g. fratribus vel amicis incuſſum ſit præſtitus, poteſt poſteà metum paſſus reclamare, quia qui beneficium renunciavit ex metu, poteſt illud repetere, debetque reſtitui, *c. 2. 3. & 4. de his, quæ vi metuſvè cauſâ.* ergo etiam ex metu injuſto in Coadjutorem conſentiens poterit poſteà reclamare. An verò conſenſus iſte debeat reſcindi, an fuerit ab initio nullus dependet ab illa quæſtione, an actus ex metu facti ſint validi, nec ne: de quo vide Canoniſtas *ad tit. de his, quæ vi metuſvè cauſa.*

8. Exprimit A. R. P. Arnoldus à S. Leonardo *de Coadjutoria perpetua, cap. 4. n. 14.* quòd requiratur, ut Coadjutus *in perſonam Coadjutoris* conſentiat, aliàs gratia Coadjutoriæ conceſſæ ſit ipſo jure nulla, propter metum captandæ mortis ejus. Quod admitto, ſi intelligatur de conſenſu generali in aliquam Coadjutoris perſonam; Secus, ſi intelligatur de conſenſu particulari in hanc individualem perſonam: quia, licet Coadjuvandus Capitularibus abſque præjudicio libertatis certam perſonam pro Coadjutore ſuo tam privatim quàm publicè in Capitulo proponere ac recommendare valeat (nam talis propoſitio ex una parte ſupponitur carere violentiâ, metu gravi injuſto activo, ſubornatione malâ, precibuſque importunis: & ex altera parte gerit ſpeciem tractatûs informatorii, ac conſulto-

ri

rii ante Electiones omni Jure conceſſi, vi cujus fiat inquiſitio in qualitates eligendi) non tamen poteſt Capitulares cogere, ut in eandem ſecum perſonam conſentiant, aliàs libertas electionis non ſatìs ſuſtineretur.

9. Poteſt Coadjuvandus conſenſum ſemel præſtitum revocare, dummodò res ſit adhuc integra Card. de Luca, *loc. cit.* Si mandatum Procuratorium eſſet revocatum, at revocatio Procuratori vel Dataria Officialibus non innotuiſſet, ſubſiſtit conſenſus per Procuratorem præſtitus, *Clem. un. de renunc.*

10. Quartò: In coadjutoria *perpetua* cum futura ſucceſſione quoad Epiſcopatus & Monaſteria (quibus juxta *q. 2. n. 4.* accenſentur Præpoſituræ, Archidiaconatus, Decanatus, & ſimiles Dignitates electivæ) requirit Tridentinum *Seſſ. 25. de reform. c. 7.* ut cauſa neceſſitatis, aut evidentis utilitatis, uti & qualitates in Coadjutorem aſſumendi diligenter à Pontifice diſcutiantur. Solet illa diſcuſſio ſive cognitio fieri extrajudicialiter in Conſiſtorio per Cardinales, ut de Coadjutore Abbatis teſtatur Card. de Luca, *l. c. n.* 14. Addit R.P. Arnoldus à S. Leonardo *c. 4. in fine*, ex Flaminio Pariſio, hanc diſcuſſionem vel cognitionem capiendam eſſe in pleno Conſiſtorio, propter arduitatem & momentum negotii, *arg. c. un. de Cler. ægr. in 6.*

11. Ex hoc ſequitur, quòd ad Coadjutoriæ perpetuæ valorem requiratur cauſa rationabilis, niſi fortè Pontifex de plenitudine poteſtatis, quam habet in Beneficialibus, vellet Coadjutoriam aliquam ſine præviis cauſis concedere; quæ conceſſio videtur eſſe valida.

 12. Por-

12. Porrò pro Coadiutoriis *temporalibus* non requiritur alia cauſa, quàm favor Eccleſiarum, & fidelium ipſis ſubditorum, uti & ipſius Coadiuvandi: neque enim Prælatus eſt ſtatim amovendus vel ad reſignandum compellendus, ſi ob ſenium vel infirmitatem reddatur inhabilis, ne nimirum afflictis addatur afflictio, *cap. pen. de Cler. ægr. c. cùm percuſſio. VII. q. 1. L. Jure ſuccurſum. ff. de Jure dotium.* & ne alii, qui vident Clericos ita inhumaniter tractari, ex hoc arceantur à Clericatu, & Status Eccleſiæ turbetur, *cap. Cùm percuſſio. 1. de Cler. ægrot.*

13. Pro Coadjutoriis *perpetuis* cauſæ generales ſunt urgens neceſſitas aut evidens Eccleſiæ utilitas, ut exprimit Tridentinum; cui quaſi ſecundariò accedit favor ipſi Coajutori exhibendus: quia nimirum æquum eſt, ut qui vivente Prælato aptus inventus eſt oneri portando, etiam poſt illius obitum aliis etſi fortè æquè aut magìs dignis præferatur.

14. In Specie, cauſæ rationabiles ex parte *Eccleſiarum* ſunt, ut avertantur diviſiones, alienationes, contentiones, bella inteſtina, & ſimilia mala, quæ inter competitores ambitioſos ſede vacante & pendente termino ad eligendum dato quandoque oriri ſolent.

15. Ex parte *Coadjuvandi* Cauſa *prima* eſt Senium, quod ſe ſolo ſufficere poteſt ad dandum Coadjutorem tam temporalem, quàm perpetuum. Ut verò quis in ordine ad hunc effectum dicatur Senex, aliqui requirunt annos 70. Alii cum Pignatello *tom. 4. conſult.* 137. *n.* 2. contenti ſunt annis

60. præ-

Digitized by Google

60. præſcindendo, ab aliis corporis imbecillitatibus. Alii admittunt annos 55. dum accedit aliqua debilitas. Alii hoc committunt arbitrio Superioris.

16. Secunda cauſa eſt infirmitas mentis & corporis, & quidem incurabilis perpetuò impediens exercitium Officio Coadjuti incumbens: *cap. un. de Cler. ægr. in 6. v. impeditus perpetuò. & c. Ex parte. 5. eod. v. gravi & incurabili morbo.* Si morbus ſit curabilis & temporalis, ac non impediens executionem negotiorum propriorum, poterit in Dignitate conſtitutus ſibi Vicarium conſtituere, at de rigore juris non debet ipſi dari Coadjutor. Pro ſufficienti infirmitate judicatur, ſi quæ Epiſcopum impediat feſtivitatibus ſolennibus celebrare, aut cogat abſtinere à collatione Ordinum, conſecratione Eccleſiarum, Viſitatione Diœceſis. Pignatellus *loc. cit.*

17. An electo in Epiſcopum & confirmato, ſi ante conſecrationem oculorum vel linguæ officium deperdat, aut aliâ ratione fiat inhabilis, dandus ſit Coadjutor, an potiùs in totum amovendus, controvertitur: Fagnanus *in c. conſultationibus. de Cler. ægr. n. 7.* vult ipſum non eſſe conſecrandum, ſed amovendum: eo quòd Epiſcopus, non obſtante ſuâ Confirmatione, ante conſecrationem debeat adhuc novum ſcrutinium ſubire, *c. 1. de ætat. & qual.* in quo minus idoneus repertus non eſt admittendus. Contrarium tuetur Vincentius apud eundem; eo quòd Confirmatus reipsâ ſit Prælatus, Prælaturâ autem nemo ſine culpa privari debeat. Prior ſententia videtur conformior rigori juris, poſterior

æquitati. Quòd verò prædicti defectus, ut & paralyſis ac lepra, ſi oriantur poſt conſecrationem Electi, præbeant ſufficientem cauſam dandi Coadjutorem, paſſim conceditur.

18. Ratione *Lepræ* nonnulli DD. faciunt differentiam inter Epiſcopos & alios Prælatos vel Rectores Epiſcopo inferiores: Epiſcopo leproſo volunt dari poſſe Coadjutorem, *c. Rectoribus de Cler. ægr.* Alios volunt omninò à Prælatione & beneficio amovendos, propter ſcandalum & abominationem populi. Verùm Fagnanus *in c. conſultationibus, de Cleric. ægr. n.* 21. hanc differentiam non agnoſcit, vultque propter lepram nullum amovendum eſſe ex toto, ſed ſolùm quoad exercitium Coadjutorem illi eſſe dandum, titulo & habitu curæ penes leproſum remanente, per quod ſcandalum & abominatio populi ſufficienter arcetur.

19. Quòd infirmitas mentis ſive dementia & furor ſit cauſa dandi Coadjutorem, patet ex *c. un.* §. *Si verò. de Cleric. æg. in* 6. Sicut enim juxta *L. Qui furore ff. de Statu hominum*, furioſus retinet Magiſtratum ante furorem obtentum, ſic quoque Epiſcopus vel Prælatus furioſus ſuam dignitatem ante furorem obtentam retinere poterit, ita ut ſolo Coadjutore ſublevetur.

20. *Tertia* cauſa eſt illiteratura & imperitia coadjuvandi, Conc. Trid. *Seſſ.* 21. *de reform. c.* 6. Dicuntur hìc illiterati & imperiti, qui inhabiles ſunt ad exploranda ea, quæ muneri ſuo incumbunt. Huc facit *c. Quoniam in pleriſque. de Offic. Judic. Ordin.* ubi ſtatuitur, ut Epiſcopus habens ſub ſe nationes diverſarum linguarum, quibus neſcit per ſeipſum prædi-

prædicare, aut Divina Officia juxta cujuſvis ritum celebrare, Vicarium (qui ſpeciem alicujus Coadjutoris gerit) ſibi pro nationibus illis conſtituat.

21. *Quarta* cauſa eſt Negligentia Coadjuvandi: Sic Regi Portugalliæ negligenter Regnum adminiſtranti Papa aſſignavit Coadjutorem, *cap. 2. de ſuppl. negl. Prælat. in 6.*

22. *Quinta* eſt Dilapidatio: ſi nimirum Coadjuvandus ſuſpectus ſit de bonorum dilapidatione, *c. Venerabili, de Offic. & poteſt. Judicis delegati*: ita tamen ut Coadjutor, per ſe loquendo, ſit deſignandus tantùm pro illis functionibus, in quibus Coadjuvandus eſt ſuſpectus, adeoque ſi dilapidator ſpiritualia ritè adminiſtret, Coadjutor tantùm quoad temporalia eſſet deſignandus.

23. *Sexta* Captivitas, ſi Prælatus ſit ab hoſtibus captus. Verùm quoad Epiſcopos *c. Si Epiſcopus. de ſuppl. negl. Præl. in 6.* habetur, quòd Epiſcopo ab hoſtibus capto adminiſtratio ad Capitulum devolvatur, adeoq; Coadjutor non eſt reipsâ neceſſarius.

24. Denique numeroſitas populi in Parochiis vel Epiſcopatibus præbet juſtum fundamentum Coadjutorem concedendi.

QUÆSTIO V.

An Coadjutor cum futura ſucceſſione eligi, an poſtulari debeat?

℞. 1. In rigore non eligitur: Ratio: Electio propriè dicta locum habere non poteſt, niſi Eccleſiâ vel dignitate actu vacante, *c. Bona memoriæ. 36. de Elect.* & electio tribuit electo jus ad rem ad dignitatem, ac concedit actionem exigendi confirmationem tanquàm debitam: at in caſu Coadjutoriæ dandæ Eccleſia vel dignitas non vacat actu: &

admiſſio conſensûs ad Coadjutoriam tam à Coadjuto, quàm Capitularibus dati nititur ſolâ gratiâ & beneplacito Papæ, ut ſequitur *ex q. 3.* Dum ergo Pontifex in Brevi, quo Capitulares ad aſſumendum Coadjutorem cum futura ſucceſſione hortatur, utitur verbo: *Eligatis:* non ſumitur hoc verbum rigoroſè pro perfecta & Canonica Electione, ſed genericè, prout ſignificat aliquam promotionem ad dignitatem Eccleſiaſticam à Jure toleratam, cujuſcunque ſit ſpeciei. Vide Card. de Luca *ad Trid. diſc. 45. in fine. & de Canon. & Capit. diſc. 27. & 38.* Dùm verò Capitulares quandoque in præſtatione conſensûs ad Coajutoriam procedunt per modum formalis electionis ſub rigidis Juris formalitatibus, agunt pluſquàm *de Jure com.* tenerentur, idque ideò ut privata ſingulorum Capitularium vota per ſcrutinium celentur ad æmulationes fortiùs declinandas. Dixi: *De Jure communi* nam juxta Statuta Præmonſtrat. *diſt. 2. c. 8. n. 3.* Coadjutoris electio eâ facienda eſt libertate & formâ, quâ futuri Abbatis electio; eſtque electus cōfirmandus, ac in poſſeſſionem ſuæ Coadjutoriæ eo modo, quo electus Prælatus in poſſeſſionem ſuæ Prælaturæ, mittendus; ſalvo, quòd vivente Prælato Conventus Coadjutori obedientiam non promittat.

℞. 2. Conſenſus quem Capitulares ad conſtituendum Coadjutorem dant, accedit ad ſpeciem poſtulationis, non tamen eſt rigoroſa Poſtulatio. Ratio 1. partis, quia adinſtar Poſtulationis nititur gratiâ, & de ſe nullum jus tribuit ad Prælaturam, antequàm à Pontifice approbetur, unde & in Brevibus Apoſtolicis quandoque vocatur *Poſtulatio.* Ratio 2. partis, quia Poſtulatio vera non poteſt fieri, niſi Eccleſia

vacan-

vacante: illa quaſi electio Coadjutoris ſit Eccleſia necdum vacante. Hinc

Infer. 1. Aſſumendus in Coadjutorem non neceſſariò indiget prævio brevi eligibilitatis, ſive Indulto Papali, quo denominatio ſuæ perſonæ in Coadjutorem permittatur, ſed ſatis eſt, Capitulares ad dictam denominationem ex ſe proceſſiſſe, illamque offerre Papæ, ejuſque beneplacitum exſpectare. Leurenius *de Vicario, tr.* 2. *q.* 359. Ratio 1. quia in hoc caſu conditiones & ſubtilitates Electionis Canonicæ non requiruntur: ergo nec Breve eligibilitatis. 2. Quia Caadjutoria cum futura ſucceſſione eſt compatibilis cum alio Epiſcopatu vel Prælatura, eo quòd Coadjutor non habeat verum titulum, nec verum beneficium, neque teneatur ad reſidentiam, niſi ad ſummum cauſativam, quatenùs nimirum non tenetur actu reſidere perſonaliter, ſed tamen de ſuis bonis ſatisfacere pro intereſſentia vel reſidentia non ſoluta, teſte Azor *Inſt. Moral. Tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 2. *q.* 4. 3. Quia illa quaſi electio Coadjutoris eſt tantùm nudus & ſimplex conſenſus Capitularium, habetque ſe ſicut votum commendativum, quod ſubſiſtit, ſive indultum Apoſtolicum præveniat, ſive ſequatur. 4. Quia ante nominationem Coadjutoris tale indultum à Capitularibus non ſemper fuit petitum vel impetratum, ut patuit in Sereniſſimo Joſepho Clemente, Electore Colonienſi, dum in Coadjutorem Hildeſii eligeretur, & in Reverendiſſimo ac Eminentiſſimo Lothario Franciſco, Epiſcopo Bambergenſi, dum 5. Septembris 1694. ſine ullo brevi eligibilitatis in Coadjutorem Moguntinum poſtularetur, & ab Innocentio XII. die 8. Octobris

ejuſdem Anni admitteretur. Dum verò Tridentinum: *Seſſ.25. de Reform. cap.7.* Dicit: *Coadjutor non aliàs cum futura ſucceſſione detur, quàm hæc cauſa prius diligenter à Sanctiſſimo Romano Pontifice ſit cognita*; intelligitur non de datione aliqua *inchoativa*, Coadjutori nullum jus tribuente, ſive de denominatione Coadjutoris per Capitulares facta; ſed de datione ſive deputatione *abſoluta & ultimata*, quâ Coadjutor per conſenſum Pontificis verè, Canonicè & actu inſtituitur, ſuſcipitque Jus in re ad Coadjutoriam, & jus ad rem reſpectu Dignitatis vel Prælaturæ, quod Jus plenum effectum obtinebit poſt Coadjuti ceſſum vel deceſſum.

Infer. 2. Hoc indultum Apoſtolicum nequidem prævię eſt neceſſarium ad habilitandum illum, qui in Coadjutorem aſſumendus eſt, ſi is haberet impedimentum Canonicum, ob quod non eligi ſed tantùm poſtulari poſſet, v.g. ſi alibi eſſet Epiſcopus confirmatus. Unde ſatis eſt, quòd ipſius denominatio in Coadjutorem per literas Papæ offeratur, inſerto ſimul impedimento illo Canonico, ut fieri conſuevit in aliis Poſtulationibus propriè talibus: tunc enim Papa diſcuſſis omnibus eundem admittendo cenſetur quoad omnia impedimenta diſpenſare.

Infer: 3. Quaſi-electio Coadjutoris non ideò eſt irrita, quia in ea committuntur defectus, ob quos veræ Electiones aut poſtulationes irritæ ſolent eſſe: cùm enim illa Coadjutoris nominatio non ſit ſtricta electio aut poſtulatio, non eſt menſuranda regulis Electionis vel Poſtulationis veræ. Hinc ſæpe laudatus Card. de Luca, *de Regularibus, diſc. 53.* ſuper cauſa Coadjutoriæ Abbatiæ Sig-

Sigburgenſis, Archi-Diœceſis Colonienſis, pro Cardinali de Baden tunc Abbate Fuldenſi, judicavit non nocuiſſe ſequentes defectus, qui in eligendo Coadjutore prætendebantur commiſſi; 1. quòd quidam eligentium non fuerint in Sacris Conſtituti, adeoque voce activâ caruerint: 2. quòd actus ille Capitularis non fuerit geſtus in Monaſterio in loco Electionis conſueto: 3. Quòd plures Capitularium, qui ſtatuto die non comparuerant, poſteà factæ illi Electioni adhæſerint per actus ſingulares, ac per vota ſingularia data à Religioſis extra Capitulum. Ita ille. Ex quibus patet, quòd denominatio Coadjutoris non ſit actus Capitularis ſolennis ac juriſdictionalis, utpote ad quem requiritur convocatio omnium, qui habent vocem activam, nec perfici poteſt per actus ſingulares, & vota ſingularia data extra Capitulum: eſt tamen conſenſus approbativus, vi cujus quivis de Capitulo approbat, quod eſt propoſitum. An ſubſiſtat denominatio Coadjutoris, ſi planè nullo Capitulo vel congregatione habitâ Capitulares ſubſcriberent literas Circulares, in quibus perſona aliqua pro futuro Coadjutore proponitur, non liquet. Si paritatibus agere liceat, videtur negativa habere patrocinium, eò quòd Promotio per inſpirationem juxta *p.* 1. *q.* 3. & Poſtulatio ſolennis, quæ etiam nititur gratiâ Superioris, non ſubſiſtat, niſi fiat ab Electoribus capitulariter congregatis, juxta *p.* 2. *q.* 1. *Dub.* 1. *n. III.* ergo etiam denominatio Coadjutoris non ſubſiſtet, niſi fiat ab Electoribus capitulariter congregatis. Si rationes examinentur, affirmativa inde accipit veriſimilitudinem

quòd

quod denominatio Coadjutoris habeat ſe ſicut conſenſus nudus ſimplex approbativus, & ſicut votum Commendativum, quod dari poteſt etiam extra congregatum Capitulum. Paritates pro prima parte non videntur ſatis ſtringere: quia tam inſpiratio, quàm poſtulatio ſolennis continet formam Canonicam providendi Eccleſiis viduatis, quæ forma Canonica non poteſt haberi extra Capitulum. In praxi obſervandum eſt omnino, ut denominatio illa fiat Capitulariter, quatenus ſic negotium tam arduum maturiori deliberatione examinetur, & ſicut diſcuſſio cauſarum facienda eſt in Conſiſtorio pleno per Cardinales juxta dicta *q.* 4. *n.* 10. ſic quoque petitio Coadjutoris fiat in Capitulo congregato.

QUÆSTIO VI.

Quot vota requirantur, ut poſſit inſtitui Electio Coadjutoris?

℞. Si adſint cauſæ juſtæ, poteſt major Capituli pars minorem cogere, ut ad conſtitutionem vel petitionem Coadjutoris conſentiat: Quia ut actus à Capitulo geſtus firmitatem obtineat, regulariter requiritur & ſufficit conſenſus majoris ac ſanioris partis, *cap. de ſuis, quæ fiunt à majori parte Capituli.* Poteſtque iſta major pars obligare minorem, ut admittat ea, quæ à majori parte ſunt geſta; quod vel maximè verum eſt in iis, quæ Eccleſiæ utilitatem vel neceſſitatem concernunt, ſicut concernit Coadjutoria. Imò ſi adſit vera neceſſitas, vel utilitas evidens, poteſt minor pars ſtatum Eccleſiæ ad

Pon-

Digitized by Google

Pontificem deferre, & Pontifex hiſce cauſis præſentibus motu proprio Capitulares monere, quin & tardantibus præcipere, ut Coadjutorem eligant. Quæ enim in hoc abſurditas? Idem Pontifex, quando à Capitularibus interpellatus appoſuit manum ſuam cognoſcendo neceſſitatem vel utilitatem Eccleſiæ, ac concedendo gratiam Coadjutorialem, transfert Capitularium conſenſum de voluntario in neceſſarium, & inducit neceſſitatem Coadjutorem aſſumendi.

QUÆSTIO VII.

Quot vota debeant concurrere, ut quis dicatur Electus Coadjutor?

℞. Sufficiunt majora & ſaniora, etſi non adſint duæ tertiæ, niſi coadjuvandus incurrerit amentiam, quo caſu requiruntur duæ tertiæ. Colligitur ex verbis claris *c. un. de Clər. ægr. in 6.* ubi conceditur imprimis, quòd Epiſcopus adhuc ſanæ mentis *poſſit de ſui conſilio & aſſenſu Capituli vel majoris partis ipſius unum vel duos Coadjutores aſſumere.* (quæ eſt prima pars Reſponſionis) *ſi verò Epiſcopus demens fuerit, & quid velit aut nolit, exprimere neſciat, vel non poſſit: tunc ejus Capitulum vel duæ ipſius partes eâdem authoritate* (Apoſtolicâ) *unum aut duos Coadjutores aſſumant idoneos, qui ejus officium exequantur*; quæ eſt ſecunda pars reſponſionis. Ratio ulterior eſt: Quod major pars curiæ agit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint, *L. Quod major. ff. ad Municipalem.* & quod à majori Capituli parte fit, moraliter vel

fictione

ſictione juris cenſetur à toto Capitulo concordi factum, *cap. 1. de his, quæ fiunt à majori parte Capituli.* Sed ſi Coadjutor eligatur omnium votis, dicetur electus Coadjutor, ergo etiam dicendus erit electus, ſi habeat vota majora & ſaniora. Imò de facto cum ſola votorum pluralitate ad Coadjutorias perpetuas admiſſi ſunt à Sede Apoſtolica Maximilianus Henricus Coloniæ, Carolus Casparus Treviris, Ferdinandus Epiſcopus Paderbornenſis Monaſterii in Weſtphalia, Joſephus Clemens Hildeſii.

Obſerva: Pontifex non tenetur ex Juſtitia ſtricta, nequidem vi concordatorum Germaniæ, admittere Coadjutorem à coadjuvando & majori Capituli parte poſtulatum, quia Coadjutoriæ admiſſio pendet à mera Pontificis gratiâ, ſicut Poſtulatio; Pontifex autem in Concordatis non promiſit ſe admiſſurum Poſtulationes Canonicas Sede vacante factas, aut Nominationes Coadjutoris Prælato adhuc vivente inſtitutas, ſed tantùm ſe confirmaturum legitimè electum. Ex æquitate tamen, honeſtate, & pacis vel tranquillitatis conſervandæ cauſa ſolet; imò ſi urgeat neceſſitas vel ingens Eccleſiæ utilitas inſtet, ex quodam Juſtitiæ Legalis debito tenetur admittere.

QUÆSTIO VIII.

Quænam qualitates in Coadjutore requirantur?

℞. Requiritur eadem, ætas, habilitas & ordo, qui requiritur in ipſo beneficio vel dignitate, cujus

Coad-

Digitized by Google

Coadjutoriam ſuſcipit, ut tenuit Rota apud Reifſenſtuel *ad tit. de Cleric. ægr. n.* 24. & colligitur *ad Trid. Seſſ.* 25. *de Reform. cap.* 7. Et quidem Coadjutor temporalis *actu* habere debet omnes qualitates neceſſarias ad officium Coadjutoris de facto exercendum: Perpetuus verò debet imprimis *actu* habere ætatem illam, quæ requiritur ad ipſum beneficium vel dignitatem coadjuvandam: ſic in Coadjutoribus Abbatum, Præpoſitorum, Decanorum, & Parochorum vel aliorum, Juriſdictionem aut curam animarum habentium, requiruntur anni ætatis viginti quinque completi; in Coadjutoribus Epiſcoporum (niſi Papa ſpecialiter diſpenſaverit) quoad *ſpiritualia* coadjuvanda, triginta anni completi, *cap. cùm in cunctis* 7. *de Elect.* Et quoad *temporalia* viginti quinque ad exemplum tutoris, *L. ult. C. de legitim tutela.* & Procuratoris ad Judicia, *c. Qui generaliter.* §. *fin. de Procurat. in* 6. qui hac ætate debent pollere. Ita habet communior contra quoſdam, qui contenti ſunt, ſi Coadjutor ſaltem habitu & potentiâ habeat ætatem, quatenùs intra annum illam poteſt complere. Quoad Ordines ſufficit, quòd Coadjutor illos habeat *habitu*, quatenus intra annum eoſdem poteſt ſuſcipere: non enim plus requirendum eſt in Coadjutore, quàm coadjuto; in hoc verò ſufficit, ipſum intra annum ab obtento beneficio vel dignitate Ordinem requiſitum poſſe ſuſcipere, *cap.* 1. *de ætat. & qual. & Ord. præfic. & c.* 7. §. *inferiora, de Elect.*

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

Quæ ſit Coadjutoris Obligatio vel Officium, Jura, Poteſtas, ac Prærogativæ?

℞. I. *Quod obligationem & Officium.* I. Vi Coadjutoriæ præcisè ſumptæ non tenetur Coadjutor actu inſervire, quia Coadjutoris functiones ſunt in poteſtate Coadjuti, & non in ipſius odium vel gravamen. Excipe 1. Niſi coadjutus, etiam præſcindendo à damno animarum, exigat, ut Coadjutor *ſibi in ſublevamen datus*, actu deſerviat: tunc enim Coadjutor ad hoc tenetur, aliàs tam coadjuto quàm Eccleſiæ tenebitur de damno & intereſſe. Dixi: *ſibi in ſublevamen datus* : ſi enim Coadjutor ex alia cauſa eſſet datus (v. g. ut obviaretur periculis, quæ poſt Prælati obitum ex longa Sedis vacatione oriri poſſent) non tenetur Coadjutor ad aliquod onus vel ſervitia aut reſidentiam perſonalem. Excipe 2. Niſi coadjutus verè ſit impotens ad ſervitia debita Eccleſiæ & ſubditis præſtanda : tunc enim Coadjutor ſupplere aſtringitur, cùm ideò datus fuerit, ne Eccleſia debito ſervitio fraudetur, Et licèt in caſu juſti impedimenti coadjutus à ſervitii perſonalis obligatione excuſetur, hæc tamen excuſatio non tranſit ad Coadjutorem, quia iſte repræſentat coadjuti perſonam ſolùm in Præbenda, Officio vel functionibus dignitatis, non in infirmitate vel alio impedimento perſonali.

II. Si Coadjutus Canonicus petat, vel ſit perſonaliter impeditus, tenetur Coadjutor ad ſervitium

chori,

Chori, & ad privatas Miſſas celebrandas impoſitas Canonicatui, vel beneficio Coadjuti: S. Congregatio Rituum apud Pignatellum *tom.* 4. *Conſult.* 185. *n.* 4. Trimeſtre, quo Canonici à Reſidentia excuſantur, poteſt cum Coadjuto dividere, vel debet illo frui eodem tempore, quo Coadjutus, ne ſi aliud tempus ad hoc impendat, Coadjutus cum ſuo Coadjuto ſex menſibus à Reſidentia excuſentur. Rota Romana apud Barboſam & Gonzalez.

III. Coadjutor etſi actu non deſerviat, tenetur habitum & tonſuram Clericalem deferre, quia Sixtus V. *in Conſt.* 38. *de habitu & Tonſura Clericor.* præcipit, ut non ſolùm habentes actu beneficia, ſed & habentes jus ad beneficia habitum & tonſuram Clericalem deferant. Verùm hoc non ſtrictè eſt uſu receptum.

IV. Coadjutor nondum in Sacris Ordinibus conſtitutus, & necdum beneficiatus, vi Coadjutoriæ tenetur loco ſui Coadjuti Choro intereſſe, ibique Divinum Officium recitare, ut ſic loco ſui Coadjuti deſerviat. Extra Chorum, & quando non tenetur in Choro ſervire, non peccat nihil recitando: non enim adeſt titulus ipſum obligans.

V. Coadjutor *quà talis* non poteſt intereſſe Capitulo, & votum ferre ſine Coadjuti conſenſu: bene tamen Coadjutor *qui talis*, & ut Canonicus, dummodò ſuffragium non ſit dandum in cauſa ipſis utriſque communi & ſpeciali, v. g. in ipſa Coadjutoria.

VI. Coadjutor tenetur rationem ſuæ adminiſtrationis reddere Coadjuto, ſi ſit ſanæ mentis,

Digitized by Google

ac ejuſdem Capitulo, ſeu ipſius Coadjuti Succeſſori, niſi fuerit Coadjutor cum futura ſucceſſione, *c. un. circa fin. de Cleric. ægr. in 6.*

℟. 2. Etſi Pignatellus *tom. 7. Conſult. 129. n. 41.* doceat, quòd Coadjutor Cannici cenſeatur Canonicus, eo quòd inſerviat Eccleſiæ loco Coadjuti hoc tamen eſt intelligendum ſolùm quoad effectum aliquem moralem: nam reipsâ nec temporales nec perpetuæ Coadjutoriæ ſunt vera beneficia Eccleſiaſtica, quia per neutras conceditur jus in re ad beneficium, ſed ad ſummum jus ad rem, ut fit in perpetuis Coadjutoriis cum futura ſucceſſione: unde etiam Coadjutor non tenetur ſolvere fabricæ in ingreſſu, quod aliàs ſolet ſolvi per novos Canonicos. Neque Coadjutoria in Dignitate cum futura ſucceſſione eſt vera Dignitas, quia Coadjutoria non dicitur beneficium, ſed officium, toto jure remanente penes Coadjutum.

Et ex hoc fundamento Barboſa aliique docent, quòd Coadjutor alicujus in Dignitate conſtituti, non ſit capax Commiſſionis à Sede Apoſtolica, vel ejus Legato ſuſcipiendæ, adeoque non poſſit eſſe Judex Apoſtolicus vel Delegatus Papæ; cùm juxta *c. ſtatutum. 11. in princ. de Reſcript. in 6.* non niſi dignitate præditis, aut perſonatum vel Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis obtinentibus cauſæ ab Apoſtolica Sede aut ejus Legato debeant committi. Alii nihilominus docent veriſimiliùs oppoſitum; quia licet Coadjutoriæ non ſint dignitates propriè, ſunt tamen tales fictione Juris: cùm habeant præeminentias & prærogativas Dignitatibus competentes.

℟. 3. Cùm Coadjutoriæ ſint odioſæ ac ſtrictè intel-

intelligendæ teſte Pignatello *tom.9.Conſult.* 84.*n.*7. hinc ad dignoſcenda Jura Coadjutoris ante omnia inſpicienda eſt forma conceſſionis; non enim omnes Coadjutorum literæ continent eadem privilegia. Forma Conceſſionis Ordinariæ præbet I. Facultatem faciendi ea, quæ ad Coadjutoris Officium de Jure vel conſuetudine ſpectant, ita ut Capitulo, Choro, Proceſſionibus, actibus Capitularibus, Officiis Divinis, funeralibus & functionibus Eccleſiaſticis abſente Coadjuto poſſit ac debeat intereſſe, ita tamen ut ſolùm in neceſſariis ſuppleat: ea verò, quæ ab aliis Canonicis ſuppleri poſſunt, non poſſit ſibi arrogare. Unde regulariter Coadjutores in Dignitatibus gaudent, ſaltem habitualiter prærogativis, honoribus & juriſdictionibus, quibus Coadjuti. Secus eſt de Coadjutore Canonici, ſi quis daretur: Is enim ſedere & functiones ſuas peragere debet poſt omnes Canonicos. Vide Pignatellum *tom.* 4. *Conſult.* 185. *n.* 21.

II. Coadjuto invito non poteſt Coadjutor deſervire, ut dictum ℞. 1. etſi Coadjutus ob infirmitatem (exceptâ dementiâ) aliudvè juſtum impedimentum deſervire nequiret, dummodò ſervitia non ſint Eccleſiæ debita. Fagnanus *in C. Nulla. de conceſſ. præb. n.* 60. contra Engel *ad tit. de Clem. ægr. n.* 6. etſi in Bulla Coadjutoriæ conſtitutus eſſet cum libera poteſtate adminiſtrandi: quia hâc clauſulâ non obſtante Coadjutus ſuam poteſtatem & juriſdictionem retinet ſaltem habitu: ergo etiam poteſt velle illius actum exercere, vel ſibi aliqua aut omnia reſervare, ita ut ab hoc non poſſit per Coadjutorem prohiberi. Neque Coadjutus tenetur in Divinis per

Coadjutorem deſervire in iis caſibus, quibus ipſe propter legitimum impedimentum poſſet in abſentia fructus & diſtributiones quotidianas lucrari.

III. Coadjutor non repræſentat Coadiutum in iis, quæ huic competunt ex ſpeciali nominatione, & ejus nomine expreſſo.

IV. Coadjutor non poteſt facere ullam alienationem voluntariam & non neceſſariam bonorum ad Coadjutum vel Eccleſiam ſpectantium, *cap. un. de Cler. ægr. in* 6. ſecus eſt de bonis mobilibus, quæ ſervando ſervari non poſſunt, *arg. L. Lex quæ. C. de adminiſtr. Tutorum.*

V. Coadjutor habet eandem juriſdictionem, quam Coadjutus, ita tamen ut juriſdictio habitu remaneat in Coadjuto, & quoad ſolum exercitium in Coadjutorem tranſeat, quantum Coadjutus concedit. Unde etiam Coadjutor Epiſcopi conſueto Epiſcopi tribunali debet uti, nec poteſt ſibi ſeparatum tribunal aſſumere. Fagnanus *in c. Ex parte. n.* 28. *de Cleric. ægr.*

VI. Coadjutor datus Dignitati, Coadjuto abſente poteſt in Choro eodem prorſus ſtallo & ſede uti, in quo Coadjutus ſedere ſolet: ubi tamen quandoque forma Coadjutoriæ conceſſæ eſt attendenda. Vide Gavantum *in Manuali, v. Coadjutor. n.* 24. & Leonem *Theſauri Fori Eccleſ. p.* 2. *cap.* 4. *n.* 56. Secus eſt de Coadjutoribus Canonicorum (ſi qui dentur) qui non in ſtallo vel Ordine Coadjuti, ſed ultimo loco poſt omnes Canonicos ſedere, lectiones cantare, antiphonas intonare, & ſimilia agere debent, ut dictum *n. I.*

VII. Licèt Coadiutor alicujus in Dignitate conſtituti Coadiuti perſonam repræſentet hoc tamen

ſolùm

ſolùm intelligitur reſpectu aliorum inferiorum, quibus præferri debet, quibus & ipſe Coadjutus Prælat⁹ fuit: non verò reſpectu aliorum æqualium in dignitate ipſi coadjuto. Hinc ſi Coadjutor cum aliis Prælatis, ſuo Principali in dignitate æqualibus, perſonaliter comparentibus, concurrat, etſi Principalis vel Coadjutus ſupra alios Prælatos præcedentiam haberet, hæc tamen non debebitur Coadjutori. Imò teſte Navarro Procurator Abbatis in Synodo inter alios Abbates ſedere non debet, ſed poſteriorem locum tenere, cùm qui propriæ authoritatis lumine coruſcant, illis præferri non debeant, qui alienâ luce fulgent. Si verò concurreret cum aliis Coadjutoribus, juxta prærogativam ſui Principalis ſedet. Sic etiam ſi Coadjutor in Eccleſia, ubi Coadjutorem agit, moretur, poteſt abſente coadjuto ejus locum occupare; ipſo verò præſente morabitur in loco ſui Canonicatûs, quem in illa Eccleſia obtinet. Philippus Braun *ad tit. de Cleric. ægrot. concl. 2. in fine*: ex ratione, quòd Coadjutor ſit tantùm Prælatus fictus, qui apparente vero diſparet. Hæc quidem ex Jure magis communi: at juxta Statuta Præmonſtratenſia *diſt. 2. cap. 8. n. 3. & 6.* Coadjutor non obtinet Stallum Prælati, ſed tantûm in ſiniſtro latere primum ſtallum ipſi eſt concedendum.

VIII. Capitulum non poteſt Coadjutoris poteſtatem vel præeminentias in literis Apoſtolicis conceſſas limitare; multò minùs eundem recuſare aut impedire, quò minùs exerceat ſuum officium. Imò Coadjutus, poſtquàm ſemel conſenſit, non poteſt Coadjutorem impedire in iis, ad quæ de ejus conſenſu per ſuperiorem eſt deputatus.

IX. Coadjutor *in Abbatis abſentia (ſi tamen Sacerdos ſit) præſidendi Capitulo, monendi, & corrigendi habeat Poteſtatem. Sed quæ ad Abbatialem propriè pertinent functionem; ut Novitios veſtire, eos per Profeſſionem monaſterio incorporare, criminoſos excommunicare, incarcerare, vel in gravioris culpæ pœnam mittere, ſimiliaque ſine ſpeciali Abbatis juſſu agere non præſumat.* Statuta Præmonſtratenſia *l. c, n.* 8.

X. Quid Juris Coadjutori Epiſcopi competat quoad collationem beneficiorum deſumendum eſt ex tenore literarum Coadjutoriæ datæ. Si in his nihil ſit expreſſum, inſpicienda eſt cauſa, vel materia coadjutoriæ datæ. Si enim Coadjutor datus eſſet tantùm ob temporalia, non poſſet ſe immiſcere cauſis beneficialibus. Si datus eſſet ob coadjuti mentis debilitatem tantam, ut is materias beneficiales perſonaliter tractare non poſſet, poterit Coadjutor beneficia conferre, reſignationes recipere, permutantibus conſenſum authoritativum præbere, electos confirmare, præſentatos inſtituere, beneficia erigere, unire, diſmembrare, & ſimilia facere, quæ in hac materia Epiſcopo ſanæ mentis competunt; quia in hoc caſu Coadjutor habet omnimodam juriſdictionem Epiſcopalem; *arg. c. un.* §. *Si verò Epiſcopus demens. v. qui ejus Officium exequantur, de Cleric. ægr. in* 6. Azor, *Teſt. Moral. p.* 2. *Lib.* 6. *c.* 25. *q.* 15. Si ſit Coadjutor datus ad ſpiritualia & temporalia ex cauſis contradiſtinctis à dementia coadjuti vel mala adminiſtratione, v. g. ob ſenium, infirmitatem vel ſimile accidens coadjuti, non habet Coadjutor poteſtatem in beneficialibus, niſi quantum coadjutus tacitè vel expreſſè permittit.

Ita

Ita Card de Luca, *de Parochis, diſc. 35. n. 9.* contra Gonzalez. Quamvis in ſimilibus caſibus expediat, ut coadjutus Coadjutoris conſilium adhibeat, hoc ipſum tamen non requiritur neceſſariò ad ſubſtantiam actûs, niſi Coadjutor datus eſſet ob diſſipationem vel malam beneficiorum adminiſtrationem à coadjuto habitam. Vide Leur. *de Vicario, tr. 2. q. 410.*

XI. Habens coadjutoriam perpetuam, nondum quidem habet Jus in re, quamdiu coadjuvandus vivit vel dignitatem poſſidet; unde etiam hæc coadjutoria non inducit incompatibilitatem cum aliis beneficiis, ut inſinuatum *q. 5. illat.* 1. Jus tamen perfectum acquiret, etiam ſine nova electione aut collatione, quamprimum coadjutus ceſſerit vel deceſſerit, ut tunc ſtatim poſſit capere poſſeſſionem dignitatis, Philippus Braun *l. c. concl. 2.*

XII. Coadjutori deſervienti debetur congrua ſuſtentatio, *cap. 3. de Cler. ægrot.* ut qui Altari deſervit, etiam de altari vivat: niſi ipſemet Coadjutor aliunde habens congruam ſuſtentationem, ſponte ceſſerit ſtipendio ratione Coadjutoriæ ſibi præſtandæ; aut aliud in literis Coadjutoriæ ſit expreſſum: aut ſub alia ratione conventum ſit inter partes. Debet Coadjutoris alimentatio congrua & moderata (per ſe & ſecluſis aliis conventionibus aut Ordinationibus Papalibus) deſumi ex bonis vel facultatibus Eccleſiæ vel Dignitatis, cujus Prælato Coadjutor dandus eſt, *d. cap. 3. de Cleric. ægr.* vel ut loquitur *cap. un. §. Præſenti eod. in 6.* de proventibus Prælatorum, in quorum aſſumentur auxilium Coadjutores. Si reditus hujus beneficii vel dignitatis non eſſent ſatis pingues ad alendum Caadjutum cum Coadjutore, vult Gloſſa *in cap. De Rectoribus eod.* potiùs

tiùs ſubveniendum eſſe Coadjutori ex bonis Eccleſiæ. Alii communiùs cum Barboſa, Pirhing, Reiffenſtuel *ad d. t. n.* 57. volunt priùs providendum coadjuto, poſteà Coadjutori; quia inhumanum videtur, Beneficiatum vel Prælatum in alimentis negligi, quibus vel maximè tunc indiget, & ad quæ titulo ſui beneficii & inveſtituræ jus acquiſivit. Unde ad Coadjutoris ſuſtentationem debebunt applicari alia beneficia ſimplicia, juxta Trid. *Seſſ. 24. cap. 17. de Reform.* aut ſi neceſſe ſit, populus vel ſubditi Eccleſiæ ad ejus ſuſtentationem poſſunt cogi, *arg. c. Omnis Chriſtianus. de Conſecr. diſt.* 1.

Sed ſiſtat de Electione calamus coadjuvante Deo motus, & adjuvante gratiâ ad Electos alterius vitæ remiget, qui de Electione in hac vita mortalium titubanter conatus eſt aliquid proponere. Si Chriſto, in quo omnes theſauri Sapientiæ ſunt abſconditi, licuit dicere: *Doctrina mea non eſt mea,* nec mihi difficile eſſe debet, fateri, doctrinam meam non eſſe meam, ſed primò Patris cœleſtis, à quo omne bonum deſcendit, ſecundariò Doctorum & Scriptorum, ex quibus eſt hauſta. Omnia ſubjecta ſint debitæ cenſuræ, neque enim me extra homines eſſe profiteor, qui omnes fragilitati ſint obnoxii. Neque tempus malè impenſum creditur, dum apis more ex Doctorum hortis quaſi mel delibando doctrinæ decerpuntur, ut Sebaſtianus Brant Juris utriuſque Doctor celeberrimus Anno 1552. in fine expoſitionum Titulorum Juris monendo cecinit:

Diſce docendus adhuc: tenerum bene diggere tempus:
Eſt aliquid ſaltem diſcere velle: Vale.

O.A.M.D.V.M.G.

Digitized by Google

INDEX TITULORUM.

SECTIO PRIMA.

De Electione ſecundùm ſe.

Quæſtio I. Quid ſit Electio. pag. 2

Dub. un. *Quomodò Electio differat à Nominatione, & quid ſit Nominatio.* 3

Q. II. *Quotuplex ſit forma Electionis.* 4

Q. III. *Quotuplex via eligendi per inſpirationem.* 5

Q. IV. *Quis terminus, ante quem Electio vel ſcrutinialis vel compromiſſi non poſſit inſtitui? & quænam ſint Electionis præambula.* 7

Q. V. *Quis Ordo procedendi ad Electionem tam Scrutinialem, quàm Compromiſſi.* 10

Dub. *An hic dicta ſint omnia ita neceſſariò præmittenda, ut ſine illis præmiſſis electio ſit irrita.* 16

Q. VI. *In quo conſiſtat forma Scrutinii.* 17

§. I. De Libertate Electionis.

Dub. 1. *Quando lædatur libertas Electionis.* 18

Dub. 2. *An læsâ libertate Electio ſemper ſit irrita.* 19

Dub. 3. *An etiam metus reverentialis ex parte Eligentium, faciat Electiones irritas.* 21

§. II. De convocatione omnium Eligentium.

Dub. 1. *Quomodò ſit intelligendum, eſſe convocan-*

Digitized by Google

dos omnes: an ergo aliqui debeant intereſſe Electioni. 22

Dub. 2. *An & qui abſentes debeant vocari ad Electionem.* 27

Dub. 3. *An ſit prolonganda hora, uno vel altero non comparente.* 28

Dub. 4. *A quo, & quomodò Electores ſint vocandi.* 29

Dub. 5. *An ſi Electores ſigillatim & non collegialiliter conſentirent in aliquam perſonam, electio ſit valida.* 29

Dub. 6. *An Canonicus ſæcularis ingreſſus ſtatum Religioſum, durante novitiatu debeat vocari ad Electionem pro dignitate tunc fortè vacante in ſua Eccleſia ſæculari, in qua fuit Canonicus.* 30

Dub. 7. *An Elector juſtè incarceratus, aut in proprio cubiculo ſequeſtratus debeat ad Electionem vocari, aut ſaltem electio debeat differri, eo quòd brevi ſit è vinculis liberandus.* 31

Dub. 8. *Quid juris, ſi abſens ſuperveniat, dum actus electionis jam eſt inchoatus.* 32

Dub. 9. *An Capitularis abſens, qui ſcit vacationem Eccleſiæ & diem Electioni futuræ præfixum, ſit ulteriùs per literas aut ſpecialem nuncium neceſſario citandus.* 32

Dub. 10. *Quomodò Electores abſentes ſint citandi.* 33

Dub. 11. *An & quomodò Electio contemptis ſive non vocatis aliquibus ſubſiſtat, vel poſſit impugnari.* 33

Dub. 12. *Quid ſi periculum Schiſmatis intruſionis, abuſûs Laicæ poteſtatis, aut alterius gravis mali eſſet in mora ob diſtantiam Vocalium, ut non poſſint*

ſint aliqui abſentium vocari. 35

Dub. 13. *Quid viciſſim ſentiendum de illis, qui cœpto Electionis actu vel tractatu egrediuntur è loco Electionis.* 36

Dub. 14. *Quiſnam Judex habeat poteſtatem arbitrandi, quinam abſentes juxta Dub. 12. ſint vocandi.* 37

Dub. 15. *Quoſnam illa particula* commodè *denotet, dum dicitur vocandos eſſe illos, qui commodè poſſunt Electioni intereſſe: an reſpiciat commoditatem Eccleſiæ, an Electorum abſentium.* 38

Dub. 16. *An renunciatone ſemel abſolutè factâ atque à Superiore acceptatâ, poſſit renuncians pœnitere, & renunciationem ſuam revocare.* 38

Dub. 17. *An & quomodò inhabiles vel privati voce activâ ad votandum ſint vocandi.* 40

Dub. 18. *An ſi qui abſentes vocati venire neglexerint, & poſteà ob non conſenſum Electi nova electio ſit habenda, an inquam abſentes denuo ſint vocandi.* 41

Dub. 19. *An ad debitam citationem abſentium requiratur, ut citandis inſinuetur dies certa electionis futuræ.* 41

§. III. De Scrutatoribus.

Dub. 1. *An Scrutatoes debeant eſſe neceſſariò aſſumpti de Collegio.* 42

Dub. 2. *An Scrutatores debeant aſſumi ſolùm per Capitulares an poſſint etiam ab aliis deſignari.* 43

Dub. 3. *Quâ formâ Scrutatores debant aſſumi vel eligi.* 45

Dub. 4. *An numerus ternarius Scrutatorum poſſit minui.* 45

Dub. 5. *An numerus ternarius Scrutatorum poſſit augeri.* 46

Dub. 6. *An Scrutatores teneantur jurare de præſtanda ſidelitate, & ſervando Secreto.* 48

Dub. 7. *Quales eſſe debeant Scrutatores.* 48

§. IV. De modo tradendi vel exquirendi vota.

Dub. 1. *An vota poſſint tradi vel excipi voce vivâ, an debeant eſſe in ſcripto.* 49

Dub. 2. *In quo loco Scrutatores vota Eligentium ſcrutari aut exquirere debeant.* 50

Dub. 3. *An ad vota exquirenda requiratur, ut Scrutatores alloquantur eos, quorum vota ſcrutantur.* 51

Dub. 4. *An Scrutatores debeant Electores interrogare, ex quo motivo, affectu, vel conſcientia hunc vel illum eligant? aut an aliquibus meritis vel zelo nominatus fulgeat.* 51

Dub. 5. *An Scrutatores teneantur admonere vel corrigere, dum advertunt Electores in votando errare, aut aliquid electioni præjudicioſum attentare.* 52

Dub. 6. *Quomodò vel à quo Scrutatorum vota ſint exquirenda.* 52

§. V. De ſervando votorum Secreto.

Dub. 1. *Cur ſtatuatur, ut vota à Scrutatoribus exquirantur ſecretò.* 52

Dub. 2. *An hoc Secretum incumbat ſolis Scrutatoribus, an etiam Electoribus.* 53

Dub. 3. *An ſi poſt celebratioem Electionis in Bullis Confirmationis vel inſtrumentis ſuper Electione confectis exprimerentur nomina Eligentium, pro quo vota dederint, electio facta annulletur.* 53

Dub. 4.

Dnb. 4. *An ſi vel unus Eligentium ſuum votum palam præſtet, cæteris arctum ſecretum ſervantibus, electio ſit irrita.* 53

Dub. 5. *An ſit contra ſecretum, ſi quis Eligentium ſchedam ſuam ſignet tali ſigno, ex quo Scrutatorum unus vel alter poſſit devenire in notitiam ejus in cujus favorem ſit datum.* 55

Dub. 6. *An ſi quis Eligentium alicui ſecretò oſtendat ſuam ſchedam, ut alter videat, quem eligat, electio irritetur.* 55

Dub. 7. *An violans ſecretum, ſi id faciat ignarus conſtitutionis à Tridentino latæ, & intentatæ annullationis, faciat electionem irritam.* 57

Dub. 8. *An & quomodò hoc ſecretum debeat ſervari non tantùm in Electione Abbatum, ſed & Abbatiſſarum.* 57

Dub. 9. *An ſi quis per errorem votum ſuum alteri oſtenderit, inſcio tamen & ignorante Capitulo, per hoc electio reddatur irrita.* 59

Dub. 10. *An Scrutatores, dum vota ſingulorum exquirunt, poſſint adhibere teſtes, & publicum Notarium ad tollendam omnem fraudis ſuſpicionem, & dandum teſtimonium veritati, ſi opus fuerit.* 59

Dub. 11. *An electio patiatur aliquid, vel nullitatem incurrat, ſi votantium nomina poſt Electionem transactam publicentur.* 60

Dub. 12. *An ſit contra ſecretum, ſi ſchedæ votantium (ubi electio facta eſt per ſchedas) poſteà aſſerventur & aliis monſtrentur.* 63

§. VI. De votis in Scripto dandis.

Dub. 1. *An & quomodò quis votum ſuum debeat ſcribere.* 64

Dub

Dub. 2. *Si quis ſcribere non poſſit, quid tunc.* 64

§. VIII. De votis ſigillatim, ordinatè & diligenter perſcrutandis.

Dub. 1. *An vota juxta* c. Quia propter: *adeò neceſſariò ſint ſigillatim exquirenda, ut ſemper electio fiat irrita, ſi ſimul bini aut trini ſua vota darent?* 65

Dub. 2. *Quid ſignificet particula* diligenter, *quam* d. c. quia propter: *poſt particulam* ſigillatim *apponit, & quam ordinatè ſit procedendum.* 66

§. VIII. De omnium votis ſcrutandis, & in Scripturam redigendis.

Dub. 1. *An vota omnium Eligentium tam ſtrictè ſint exquirenda, ut nec infirmi vel abſentes poſſint præteriri.* 67

Dub. 2. *An & quomodo vota ſingulorum Eligentium à Scrutatoribus poſſint aut debeant in Scripturam redigi.* 71

Dub. 3. *Quis debeat vota in Scripturam redigere.* 71

§. IX. De Publicatione votorum.

Dub. 1. *A quo & cui publicatio votorum ſit facienda.* 72

Dub. 2. *Quando hæc publicatio ſit facienda.* 72

Dub. 3. *Quomodo vel ubi publicatio facienda.* 73

§. X. De Collatione numeri ad numerum, & Zeli ad Zelum facienda.

Dub. un. *Quomodò & quando Collatio ſit facienda.* 75

§. XI. De electione communi facienda poſt Collationem.

Dub.

Digitized by Google

Dub. 1. *An & quomodò factâ collátione electio communis ſit formanda.* 79
Dub. 2. *A quo debeat Electio communis fieri.* 81
Dub. 3. *Quando Electio communis ſit facienda.* 82
Dub. 4. *An Electio quavis ſit ſemper & ſtatim nulla, ſi dicta communis electio vel publicatio omittatur.* 83
Dub. 5. *An Præſes Capituli teneatur Electionem publicare, ſi ſibi conſtaret electum eſſe indignum.* 83
Dub. 6. *An & quomodò ad Electionem communem requirantur verba ore prolata.* 84

§. XII. De faciendis poſt finitam electionem, & aliis Corollariis.

Dub. 1. *Quid faciendum finitâ electione.* 85
Dub. 2. *An Capitulares teneantur petere conſenſum electi.* 87
Dub. 3. *An Electores poſſint ſtatim publicato ſcrutinio antefactam electionem communem conſenſenſum electi exquirere: vel an Electus pro tunc conſenſum poſſit præſtare.* 88
Dub. 4. *An prædicta in ſcrutinio debeant ſervari non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam ſecundùm Ordinem, ſecundùm quem ſunt recenſita.* 89
Dub. 5. *Quid ſi forma præſcripta non poſſit ſervari.* 89
Dub. 6. *An forma* c. quia propter. *præſcripta non ſervata Electio ſit ipſo jure nulla, an ſolum annullanda.* 89
Dub. 7. *An Electores poſſint ſe Electioni factæ opponere.* 90
Dub. 8. *Quam pœnam incurrant ii, qui moleſtant*

Electo-

Digitized by Google

Electores ideò, quia non elegerunt illum, pro quo fuerunt rogati vel ſollicitati. 92

Dub. 9. *Quomodo Electio ſit intimanda Electo.* 92

Dub. 10. *Ad quid referatur hæc clauſula in ſæpe cit.* c. Quia propter, *expreſſa*: Electio aliter facta non valeat. 92

Q. VIII. *In quo conſiſtat forma eligendi per compromiſſum.* 93

Dub 1. *An quis invitus poſſit ad viam compromiſſi cogi.* 97

Dub. 2. *An Compromiſſarii debeant eſſe de Capitulo.* 99

Dub. 3. *An poſſit compromitti in quoslibet.* 99

Dub. 4. *An Religioſus poſſit eſſe compromiſſarius alicujus Electionis ſine licentia ſuperioris.* 100

Dub. 5. *Quomodò Compromiſſarii debeant aſſumi.* 100

Dub. 6. *Quid ſi Capitulares non poſſent convenire circa Compromiſſarios.* 102

Dub. 7. *Quot debeant eſſe compromiſſarii.* 102

Dub. 8. *Quemnam poſſint Compromiſſarii eligere.* 102

Dub. 9. *An Compromiſſariorum aliquis ſciens ſe habere vota aliorum, poſſit conſentiendo in Electionem numerum ſuffragiorum augere.* 102

Petes 1. *An hic dicta procedant, ſi compromiſſariorum non ſint plures, ſed ſolùm unus.* 104

Petes. 2. *An ſi Compromiſſarius A. alium elegiſſet, ſed aliquot ſequentes conſenſiſſent in ipſum Compromiſſarium A, eumque elegiſſent, poſſit ille Compromiſſarius A. revocare ſuum votum alteri datum, & Electioni ſuæ aſſenſum præbere.* 106

Petes.

Petes. 3. *An etiam electus via ſcrutinii conſentiendo electioni de ſe factæ à media parte Eligentium augeat numerum, & electionem perficiat.* 107

Petes. 4. *An huc uſque dicta poſſint habere locum in Electionibus Regularium.* 108

Petes. 5. *An hic dicta in Petes. I. ſint certa an ſolum probabilia.* 108

Dub. 10. *An Compromiſſarii teneantur certam electionis formam ſervare.* 111

Dub. 11. *An Electores poſſint compromiſſum & poteſtatem compromiſſariis datam revocare.* 113

Dub. 12. *Quid juris, ſi Compromiſſarii eligant indignum.* 115

Petes. 1. *An ſi ex compromiſſariis numero tribus duo eligant ſcienter indignum, poteſtas plena eligendi devolvatur ad unum, vel alios, qui non deliquerunt.* 115

Petes. 2. *Ad quem ergo tunc poteſtas eligendi devolvatur.* 115

Dub. 13. *An compromittentes poſſint compromiſſariorum poteſtatem extendere vel limitare.* 116

Dub. 14. *An in compromiſſo debeat fieri electio communis eo modo, quo dictum eſt.* q. præced. §. 11. 117

Dub. 15. *Si Compromiſſarii intra tempus à Jure præfixum (intra trimeſtre) eligere prætermittant, ad quem ſpectet poteſtas providendi.* 117

Dub. 16. *Si alicui per compromiſſum daretur poteſtas eligendi ſub hac forma, ut ipſe ſecretò & ſigillatim requiſitis & in ſcriptis redactis omnium eligentium votis eligat eum, in quem conſentit major pars*

Digitized by Google

comparatione minoris, licet illa major pars non exceſſerit vel attigerit medietatem capituli, an valeat ſi Compromiſſarius ſub hac forma proceſſerit. 118

Dub. 17. *Quid juris in Monialibus per compromiſſum electis.* 118

Dub. 18. *An Capitulum teneatur acceptare perſonam à Compromiſſariis electam.* 119

Dub. 19. *Si Compromiſſariorum Electio non ſortiatur effectum, ad quem jus eligendi devolvatur.* 119

Dub. 20. *Ad quem pertineat Jus ſecundò eligendi, ſi per compromiſſum electus electionem non acceptet nec conſentiat.* 120

Dub. 21. *Quænam ſint de ſubſtantia compromiſſi.* 120.

Q. VIII. *An adhuc hodiè inter Regulares poſſit valere Electio, quæ non ſit ſcrutinialis, ſed facta per viam Inſpirationis vel puri compromiſſi.* 121

Q. IX. *An forma* in c. Quia propter. *& Concil. Trident.* Seſſ. 15. de Regular. cap. 16. *præſcripta ſit ſervanda in electione omni quorumcunque Prælatorum.* 123

Q. X. *An per dictum Tridentini Decretum* Capitulo, Quia propter. *derogetur.* 125

Q. XI. *An electio facta per ſortes, fabas, lupinos, calculos vel ſimilia valeat.* 127

Dub. 1. *An electio facta per ſortes ſit ipſo jure irrita, an ſolùm irritanda.* 128

Dub. 2. *An iſte uſus ſortium in Electionibus Eccleſiaſticis ſit prohibitus Jure naturæ, an ſolo Jure Eccleſiaſtico vel divino.* 129

Dub. 3. *An non poſſit uſus ſortium adhiberi, ſi duo*

*pari numero ſuffragiorum ad dignitatem vel be-
ium ſint electi.* 131
Dub. 4. *An dum prohibentur Electiones per ſor- facienda intelligatur ſolùm de Electione ipſius ad ſcopatum, Pralaturam vel Dignitatem Eccleſia- am promovendi, an etiam de Electione compro- ſſariorum.* 132
Dub. 5. *An hac prohibitio ultra Electiones pro- iè dictas extendenda.* 133
Dub. 6. *An dicta in Dub. 1.* De nullitate Ele- ionis *facta per ſortes, ſint intelligenda tantùm, uando ipſa perſona Superioris, Pralati, Epiſcopi vel eneficiati per ſortes eligitur, an verò, quando etiam mpromiſſarii per ſortes eliguntur.* 134
Dub. 7. *An in Electionibus ad officia, & benefi- ia Eccleſiaſtica poſſint lites exorta ſortibus di- imi.* 136
Q. XII. *An in Electionibus Regularium debeant ſervari apices Juris communis.* 137
Q. XIII. *An Electio, qua ob formam Jure poſitivo praſcriptam non obſervatam eſt nulla, valeat in foro interno.* 137
Q. XIV. *An Pralati Regulares poſſint eligi per Nominationem.* 139
Q. XV. *Qualiter Simonia inficiat Electionem.* 139
Dub. 1. *Quanam ſint palliata praxes ſimoniacè conſequendi aliorum vota.* 141
Dub. 2. *Quid ſi Simonia eſſet commiſſa à tertio ignorante electo.* 142
Dub. 3. *An, ſi Simonia à Cajo vel ab aliis de ejus conſenſu ſit commiſſa cum uno tantùm Electore, v. g. uni tantùm eſſet, pretium promiſſum, & hoc non obſtan-*

non obſtante major pars adhuc elegiſſet Cajum, ſit tota electio irrita, vel ſolùm irritanda. 145
Dub. 4. *An & quomodò abſque Simonia labe liceat pecuniâ vel pretio temporali redimere vexam, quam quis in Electione patitur.* 146
Petes. 1. *An à poſſeſſione ſuæ dignitatis injuſtè expulſus poſſit vexam pretio temporali redimere, & ſic poſſeſſionem recuperare.* 150
Petes. 2. *An liceat vexam redimere pecuniâ, quando ſuppetunt aliæ viæ.* 151
Petes. 3. *An vexa in iis caſibus, quibus licitè redimitur poſſit redimi per aliquid ſpirituale, v.g. per beneficium Eccleſiaſticum vexaturo promiſſum.* 151
Petes. 4. *An & quando vexatio in ſe & fundamento ſuo eſt juſta, ſit tamen modo injuſto, v.g. non ex Zelo charitatis ſed animo perverſo, odio, & pravo nocendi deſiderio, poſſit pecuniâ redimi.* 151
Dub. 5. *An, quando Electio facta eſt litigioſa, liceat abſque Simonia pretium offerre parti opponenti, ut à lite deſiſtat.* 152
Dub. 6. *An ſi dignitas quædam Eccleſiaſtica, v.g. Epiſcopatus, vel Abbatia, detineatur à Laico v.g. Acatholico, liceat eandem pecuniâ redimere.* 153
Q. XVI. *In quo loco Electio ſit facienda.* 153
Dub. 1. *An Electio celebrata in loco interdicto valeat.* 156
Dub. 2. *Quid ſi quis durante electione exiret de loco Capitulari.* 156
Dub. 3. *In quo loco ſit facienda electio Monialium.* 156
Dub. 4. *An ſi Monialis ob infirmitatem non poſſit adire locum electionis poſſint Præſides Electionis ingre-*

di Monaſterium ad ejus votum exquiren- 157

etes incidenter: *Quis debeat præſidere Electio-s Monialium.* 157

XVII. *Quot vota debeant adeſſe, ut Electio ſit perfecta,* 158

Dub. 1, *Quot vota debeant concurrere in Abbatim eligendam.* 162

Dub. 2. *Quid ſi in primo Scrutinio major pars alium in unum non conſentiat.* 163.

XVIII. *Quando poſſit vel debeat inſtitui Electio.* 164

Dub. 1. *An Electiones poſſint fieri nocte.* 164

Dub. 2. *An Electiones poſſint inſtitui Die Feſto.* 165

Dub. 3. *Quid faciendum, ſi die Electionis præfixo uperior negligat congregare Capitulum.* 166

Dub. 4. *An dies Electionis ſemel determinatus oſſit prolongari vel breviari,* 166

Dub. 5. *Intra quod tempus electio ſit abſolvenda.* 167

Dub. 6. *An ſi Electores infra trimeſtre fecerint actus aliquos electionis, vel ad electionem pertinentes ſed electionem ipſam non perfecerint abſque juſto impedimento, an inquam poſſint in electione cœpta progredi.* 168

Dub. 7. *An electione caſſatâ poſſint Electores ex integro frui ſuo trimeſtri.* 168

Dub. 8. *An trimeſtre ſit præfixum pro omnibus Electionibus.* 169

Dub. 9. *Quinam actus ad Electionem ſpectantes ante mortem Prælati ſint prohibiti.* 170

Dub. 10. *Quomodo tres menſes pro terminanda Electione ſint computandi.* 170

Dub. 11. *An ſi ultimâ die temporis ad Electionem conceſſi major pars Capituli nolit eligere, teneatur minor pars majorem exſpectare uſque poſt prandium iſtius diei? An verò poſſit ſtatim ad Electionem progredi* 172

Q. XIX. *Quando Electio ſit electo præſtanda.* 173

Dub. *An ſufficiat Electionem præſentâſſe Procuratori Electi.* 174

Q. XX. *Quid juris, ſi reperiantur Electiones duæ factæ in eadem Eccleſia vacante.* 174

Q. XXI. *Quid juris, ſi concurrat electio instituta à Capitulo, & proviſio facta à Superiore.* 177

Dub. *Uter in dubio hujus & quæſtionis præcedentis eſt præferendus.* 179

Q. XXII. *Quale jus tribuat Electio nondum confirmata.* 179

Q. XXIII. *Quid de votis alternativis, incertis, conditionatis, vel datis per verba de futuro ſentiendum.* 184

Q. XXIV. *An & quomodò Regulares vel alii Electores poſſint ſe opponere, ſeu appellare ab Electione ſuorum Prælatorum.* 187

Dub. 1. *Quiſnam poſſit aliquid opponere Electioni.* 188

Dub. 2. *An Electores poſſint ſe Electioni opponere, ſi Electus ſit poſitivè dignus, ſed habeat ſe digniorem.* 188

Dub. 3. *Quando Electores debeant opponere, ſi quæ opponenda occurrant.* 189

Dub

Dub. 4. *An ad opponendum poſſit conſtitui Procurator.* 187

Q. XXV. *An electio contra prohibitionem Superioris celebrata ſit valida.* 190

Q. XXVI. *In quibus caſibus Regulares amittant vocem activam & paſſivam.* 190

Q. XXVII. *An Electio poſſit ſuſtineri, facta cum defectu ſubſtantiali commiſſo ex ignorantia invincibili.* 201

Q. XXVIII. *An poſſit introduci conſuetudo contra formam ſubſtantialem Electionis præſcriptam in Canonibus.* 202

Dub. *An poſſit conſuetudine introduci, ut ab Eccleſia quadam planè auſferatur jus eligendi, & in alium transferatur jus nominandi vel præſentandi Paſtorem, qui nullâ præcedente electione neceſſariò ſit admittendus, ut ferme contingit in aliis beneficiis patronatis.* 204

Q. XXIX. *An electio facta juxta Jus commune, attamen contra ſpecialia Eccleſiæ privilegia ſit valida.* 206

Q. XXX. *An ſi Electores elegiſſent tres præſentandos ſuperiori, ut is determinet ex eis Prælatum Eccleſiæ, poſſint poſtea variare inſtituendo Electionem novam ad unum tantùm eligendum* 207

Q. XXXI. *Cui incumbat ſolutio expenſarum in in electione factarum.* 208

Q. XXXII. *Quale Jus acquirant Regulares per per electionem ſui ad aliquam Prælaturam extra ſuum Ordinem.* 208

Q. XXXIII. *Quid juris de iis, qui cathedralibus & Regularibus ac Collegiatis Eccleſiis vacantibus bona*

Digitized by Google

bona à Prælatis dimiſſa, vel vacationis tempore obvenienda, quæ in utilitatem dictarum Eccleſiarum expendi, vel futuris deberent ſucceſſoribus fideliter reſervari, occupant, inter ſe dividunt, ſurripiunt, conſumunt & dilapidant. 209

Q. XXXIV. *In quibus caſibus jus eligendi devolvatur ad Superiores.* 219

Dub. 1. *Quomodo in caſu devolutionis Superiores debeant providere.* 211

Dub. 2. *An aliquando Electio caſſata vel non obtinens effectum revolvatur ad ipſos Electores.* 211

Dub. 3. *An eligentes indignum ſemper priventur voce activa.* 211

Dub. 4. *Quemnam debeat eligere is, ad quem eligendi eſt devolutum.* 212

Dub. 5. *An is, ad quem jus eligendi eſt devolutum ſit liber ad eligendum vel poſtulandum.* 212

Q. XXXV. *An & quomodo Electiones Clandeſtinæ ſint invalidæ.* 214

Q. XXXVI. *Quid ſi Capitulum tam paucis conſtet Electoribus, ut ſupra aſſignata omnia, maximè quoad numerum Scrutatorum ſervari non valeant.* 216

Q. XXXVII. *Quis dicatur Electionis præſes, & quodnam illius Officium.* 220

Q. XXXVIII. *Quomodo Præſidentes in Capitulis Regularium debeant procedere, ſi Capitularem quempiam voce activa vel paſſiva privare velint.* 222

Dub. 1. *An præſes ipſe eligi poſſit in ea electione, cui præſidet.* 222

Dub. 2. *An officium Præſidis ſonet dignitatem,* 223

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De Eligentibus.

Q. I. *Apud quos Jus activum eligendi reſideat.* 224
Dub. *Cujus ſit eligere Abbatiſſas.* 225
Q. II. *Quæ conditiones in genere requirantur in Electore Regulari pro Eccleſia Regulari.* 225
Dub. *An promotus ad Sacros Ordines ante ætatem legitimam acquirat Jus vocis activæ.* 228
Q. III. *An innodati cenſura poſſint validè eligere.* 229
Dub. 1. *An omnis ſuſpenſio vel excommunicatio auferat jus vocis activæ.* 230
Dub. 2. *An electio tota corruat, quando ſolùm unus vel alter eligentium eſt excommunicatus vitandus.* 234
Dub. 3. *Si excommunicatus toleratus non poſſet ſine gravi ſcandalo vel periculo expelli ab electione, an ſufficiat proteſtationem interponere, ita ut hoc caſu alii Electores non teneantur è Capitulo exire, ut alibi vel alio tempore eligant, etſi non inſtet terminus Juris Electioni præfixus.* 236
Dub. 4. *An dicta proteſtatio debeat neceſſariò fieri publicè.* 236
Dub. 5. *An ſi excommunicatio unius ſit quidem occulta, ita tamen ut Electores alii de illa ſint certi, poſſintque illam in Judicio probare, an inquam talis excommunicatus poſſit vi ab electione expelli, ut nequeat pro electione caſſanda agere.* 237
Q. IV. *An irregulares validè eligere poſſint.* 238
Q. V. *An electio facta ab Acatholicis ſit valida.* 241

Q. VI. *Quando criminoſi fiant ad vocem activam inhabiles.* 240

Q. VII. *An ſint capaces eligendi activè, qui pœnitentiatos promovent ad gradus vel officia.* 243

Q. VIII. *An & quando Electores poſſint per ſubſtitutum Procuratorem eligere.* 243

Dub. 1. *An Procurator ad electionem conſtitutus poſſit ſubdelegare alium.* 249

Dub 2. *Quâ formâ Procurator procedere valeat, an ſolius ſcrutinii, an etiam compromiſſi.* 250

Dub. 3. *An & quomodò mortuo Principali poteſtas Procuratoris exſpiret.* 250

Q. IX. *Quomodò contemptus alicujus habentis vocem activam inficiat electionem.* 250

Dub. 1. *Ad quem ſpectet jus eligendi de novo, quando ob alicujus contemptum caſſatur electio præcedens.* 252

Dub. 2. *An Superior (præcipuè Regularium) prohibere poſſit ſuo ſubdito ad electionem non vocato, ne agat de contemptu.* 253

Dub. 3. *Ad quem ſpectet onus probandi aliquem eſſe contemptum, vel vocatum.* 254

Q. X. *An & quouſque Electores poſſint ſuffragium mutare.* 255

Q. XI. *An Capitulum poſſit concedere, ut qui non habet vocem in Capitulo, illam habere poſſit in Electionibus.* 260

Q. XII. *An Capitulum poſſit ſupplere voces abſentium.* 262

Q. XIII. *An Laici ſint capaces vocis activæ in Electionibus Eccleſiaſticis.* 263

Dub.

Dub. 1. *An electio valeat, in qua fuerunt admiſſi ...ici ad coëligendum.* 264

Dub. 2. *Quænam pœnæ ſint à jure contra tales ...ctiones impoſitæ.* 267

Dub. 3. *An poſſit fieri, ut ſaltem poſt electionem ...beat neceſſariò requiri conſenſus Laïci.* 269

Dub. 4. *An dicta dub. 1. ſint intelligenda de qua...is conſuetudine etiam immemoriali.* 269

Dub. 5. *An conſuetudine introduci poſſit, ut electio contra conſenſum Principis Laici, nimirum eo ...vel non requiſito, vel repugnante, licet non poſitivè ...coëligente facta, ſit ipſo jure irrita vel ex hoc ſolo irritanda.* 270

Dub. 6. *An Laicis poſſit ex pacto competere jus dandi votum in Electionibus Eccleſiaſticis.* 270

Q. XIV. *An Præſes Electionis (maximè Monialium) in caſu diſcordiæ poſſit dare votum, ut electio certa ſequatur.* 271

Q. XV. *An Elector ægrotans poſſit dare votum & debeat audiri.* 272

Q. XVI. *An Elector cæcus debeat admitti ad coeligendum.* 273

Q. XVII. *An debeat admitti Elector, de quo dubitatur, an habeat vocem activam.* 274

Q. XVIII. *Cui competat Jus eligendi Vicarium Prælati, Prælato vero depoſito vel ſuſpenſo.* 275

Q. XIX. *Quando Electoribus liceat tranſire ad electionem ſecundam.* 276

Q. XX. *An & quouſque una eligentium pars poſſit ad alteram accedere, ut compleatur majoritas votorum ad electionem perficiendam neceſſaria? Item, an ſit valida electio, quando Electores præviè inter*

inter ſe convenerunt, quòd ad celeriorem Electionis expeditionem omnes velint accedere ad eum, qui habet plura vota, etſi illa non ſint majora reſpectu totius Capituli. 276

Q. XXI. *Quomodò ſit intelligendum, ſi quis per Canones privetur voce, an de activa, an paſſiva, an utraque.* 285

Q. XXII. *An ſi privatus voce activâ eligat, electio ſit valida.* 286

Q. XXIII. *An infames gaudeant voce activa.* 286

Q. XXIV. *Quæ ſit pœna eorum, qui non ſervant in Electione tempus vel formam,* c. Quia propter. *præſcriptam.* 287

Q. XXV. *Quæ ſit pœna, ſi Electores electionem debito tempore electo non intiment, aut eligant indignum.* 288

Q. XXVI. *An gaudeat voce activa, qui bona ſide poſſidet beneficium, v.g. Canonicatum, cui tamen movetur lis in petitorio.* 290

Q. XXVII. *An Electores præcisè ratione privationis vocis paſſivæ nondum declaratæ per ſententiam, teneantur privatum excludere ab electione.* 292

SECTIO TERTIA.

De Eligendis & Electis.

Q. I. *An & quomodò debeat Eligendus eſſe poſitivè dignus Prælaturâ, ad quam eligitur.* 293

Dub. 1. *Contra quam virtutem ſit eligere indignum.* 294

Dub. 2. *Quantam Electores debeant adhibere diligentiam ad inveſtigandã eligendi dignitatem.* 295

Dub.

Dub. 3. *An quodvis peccatum mortale faciat gendum indignum dignitate Eccleſiaſticâ.* 295

Dub. 4. *An non detur cauſa excuſans, ut ad dignitatem Epiſcopalem vel Abbatialem eligatur indignus.* 296

Dub. 5. *An Elector vel quivis alius poſſit revelare delicta occulta eligendi, ut ſic ejus electionem impediat.* 296

Dub. 6. *An electio de perſona indigna ſit ipſo jure nulla, an ſolùm annullanda.* 297

Dub. 7. *Quænam ſint pœnæ Eligentium indignum.* 299

Q. II. *An ſufficiat eligere poſitivè dignum relicto magis digno.* 304

Dub. 1. *An ſint excuſandi, qui ſolùm ſemel aut bis prætulerunt minùs dignum digniori.* 305

Dub. 2. *An nunquam poſſit eligi minùs dignus relicto digniore.* 305

Q. III. *Quis cenſeatur magis dignus.* 309

Q. IV. *An & qualis oriatur obligatio reſtituendi ex electione perſonæ indignæ vel minùs dignæ relictâ digniore.* 309

§. I. De indigno acceptante Dignitatem. 309

Dub. 1. *An indignus teneatur compenſare lucrum ceſſans, quod dignus vel dignior Eccleſiæ acquiſiviſſet.* 311

Dub. 2. *An ſufficiat, ſi indignus ſubſtituat ſibi vicarium temporalem, donec ſe magis habilitet.* 311

Dub. 3. *An ipſo jure inhabilis aut privatus voce paſſiva, teneatur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam non conſentire electioni, aut ſi conſenſerit & dignitatem obtinuerit, renunciare.* 312

§. II.

§. II. De Obligatione eligentium & cooperantium ad Electionem indigni. 313

Dub. 1. *An & quomodò eligentes indignum contrahant obligationem reſtituendi.* 313

Dub. 2. *Ego quidem inter priores dedi ſuffragium, ſed etſi hoc non feciſſem, alii ſubſequentes in numero ſufficienti dediſſent, ſumnè immunis ab onere reſtitutionis.* 314

Dub. 3. *Quomodò teneantur reſtituere Electores, de quibus conſtat, quòd ad electionem efficaciter influxerint, an in ſolidum an pro rata influxus.* 314

Dub. 4. *An & quomodò cooperantes extranei ad electionem indigni, vel impedientes electionem digni teneantur reſtituere.* 315

§. III. De iis, quibus reſtitutio eſt facienda. 318

Dub. *An digniori prætermiſſo ſit aliquid reſtituendum.* 318

§. IV. Quo ordine ſubeant obligationem reſtituendi, qui ad electionem indigni concurrunt. 319

Q. V. *An indignus vel ſaltem minùs dignus electus prætermiſſo digniore poſſit electioni conſentire.* 321

Q. VI. *An ſine culpa poſſit eligi, qui de præſenti eſt inidoneus, ſed ſperatur progreſſu temporis futurus idoneus.* 322

Q. VII. *Si electus bonâ fide judicet ſe eſſe dignum, Elector verò ſciat contrarium, quis teneatur reſarcire damna ab electo inculpabiliter illata.* 324

Q. VIII. *Quot vota debeat habere electus, quando concurrit dignus cum indigno.* 324

Q. IX. *An Electores poſſint eligere indignum ſcienter,*

enter, quando intentantur minæ graves, ſtre-nuant. 325

Q. X. *Quæ qualitates in ſpecie requirantur in eli-gendo.* 325

§. I. De Profeſſione Religioſa eligendi in Ab-batem. 326

Dub. *Quantum temporis requiratur à profeſſio-ne.* 329

§. II. De ætate eligendorum. 329

§. III. De Ordinibus eligendi. 331

Dub. 1. *An ex diſpenſatione promotus ad Sacerdo-tium ante annum 25. poſſit eligi in Abbatem, De-canum vel Præpoſitum.* 332

Dub. 2. *Si non Sacerdos poſt Canonicam electionem fiat irregularis abſque culpa ſua, an dignitate ſuâ ſit privandus.* 333

§. IV. Quomodò eligendus debeat eſſe liber ab excommunicatione. 333

Dub. 1. *An liber ab excommunicatione tempore electionis poſſit electioni conſentire & dignitatem acceptare, quando tempore acceptationis in ex-communicationem incidit.* 334

Dub. 2. *Quomodò ſegeret electus, cujus excommu-nicatio eſt occulta.* 335

Dub. 3. *An excommunicatus toleratus poſt Con-Conſtantienſe nunquam poſſit eligi.* 336

§. V. Quomodò debeat eſſe liber à ſuſpenſione. 337

§. VI. Quomodò debeat eſſe liber ab interdicto. 338

§. VII. Quomodò liber ab irregularitate. 339

§. VIII. Quâ debeat inclareſcere famâ. 339

Dub.

Dub. 1. *An infames validè poſſint eligi.* 340
Dub. 2. *An infamia ſuperveniens privet electum dignitate jam poſſeſſa.* 341
§. IX. Quomodò debeat eſſe liber ab hæreſi. 342
Dub. 1. *An Filii hæreticorum ſint eligibiles.* 342
Petes. 1. *An Filii hæreticorum concepti ante hæreſin Parentum ſubjaceant huic pœnæ.* 344
Petes. 2. *Quid de Filio, qui fuit conceptus ante ſed genitus poſt delictum paternum.* 345
Petes. 3. *Quid de Filio nato à parentibus conſtitutis in ſola hæreſi interna.* 346
Petes. 4. *An dicta pœna concernat filios illegitimos.* 346
Petes. 5. *An Filii & Nepotes ſint liberi à pœnis, quando Parentes obeunt ut Catholici, ſed tamen ſunt traditi brachio ſæculari ob hæreſin puniendi.* 347
Petes. 6. *An Filii ſint à pœnis liberi, quando Parentes ante obitum reſipuerunt per manifeſtam pœnitentiam, ſed ab hæreſi non fuerunt abſoluti.* 348
Petes. 7. *An ut Filii incurrant pœnas, ſufficiat Parentes obiiſſe in hæreſi externa occulta.* 349
Petes. 8. *An ſufficiat, quomodocunque conſtet de hæreſi parentum, an verò requiratur eſſe per ſententiam declaratos.* 349
Petes. 9. *Quando poſſit habere locum illud, quòd Filii hæreticorum ſint ineligibiles uſque ad ſecundam generationem.* 350
Dub. 2. *An hæreticus poſt publicam hæreſis revocationem ſit eligibilis.* 351
Dub. 3. *An de hæreſi ſuſpectus, & ſi non convictus, ſit eligibilis.* 351

§. X.

Digitized by Google

§. X. An pœnitentiatus poſſit eligi. 352
§. XI. De Legitimitate Natalium eligendi. 354
Dub. 1. *Quid de illegitimo Dignitatis Abbatialis Candidato.* 356
Dub. 2. *Quid de diſpenſatione cum illegitimis Regularibus.* 358
Dub. 3. *An illegitimus Filius Religioſi intuitu privilegiorum poſſit ſimpliciter diſpenſari ad habendas Prælaturas ſaltem poſt mortem Patris ſi non in eodem, ſaltem diverſo Monaſterio.* 364
Dub. 4. *An diſpenſatus in ſæculo ad beneficia, ſit etiam diſpenſatus ad Dignitates Regulares, ſi fortè poſteà Religionem profiteatur.* 366
Dub. 5. *An illegitimi per ſolam Profeſſionem habilitentur ut poſſint eſſe Vicarii Epiſcopi.* 366
Dub. 6. *An Religioſus illegitimus virtute privilegiorum poſſit diſpenſari ad dignitates & Parochias ſæculares.* 367
Dub. 7. *An illegitimus abſque diſpenſatione poſſit eſſe Præſes Capituli.* 367
Dub. 8. *Quouſque ſe extendat diſpenſatio, quam illegitimus obtinet in Religione.* 367
Dub. 9. *Quid ſentiendum de diſpenſatione, quam facit Pontifex cum illegitimo.* 368
Dub. 10. *An Legati Apoſtolici aliquam habeant diſpenſandi facultatem cum illegitimo ad dignitates.* 369
Dub. 11. *An Prælati Regulares habeant aliquam facultatem diſpenſandi cum illegitimis externis.* 370
Dub. 12. *Qualem diſpenſandi facultatem habeant Epiſcopi.* 371

Digitized by Google

Dub. 13. *An perſonæ Laicæ habeant facultatem legitimandi.* 371
Dub. 14. *Quot modis legitimatio poſſit fieri.* 372
Dub. 15. *Si Superior habens poteſtatem diſpenſandi ſcienter aſſumat illegitimum ad dignitatem, an ipſo facto cenſeatur diſpenſare.* 381
Dub. 16. *Quid in ſupplica debeat exprimere illegitimus petens diſpenſari.* 381
Dub. 17. *An iſta expreſſio etiam debeat fieri coram Pontifice.* 383
§. XII. An bigamus poſſit eligi. 384
Dub. 1. *An bigamus ſit ad dignitates eligibilis.* 388
Dub. 2. *Quomodò Pontifex in Bigamiis poſſit diſpenſare.* 389
Dub. 3. *An habens ex privilegio facultatem diſpenſandi cum Bigamo ad Sacros Ordines, poſſit etiam diſpenſare ad dignitates.* 389
Dub. 4. *An Bigamiæ irregularitas tollatur per Profeſſionem.* 390
Dub. 5. *An Epiſcopi valeant diſpenſare in Bigamia.* 390
Dub. 6. *An Prælati Regulares? habeant illam facultatem.* 391
§. XIII. De Corpore vitiatis eligendis vel non. 395
Dub. 1. *Quænam vitia habeantur notabilia.* 397
Dub. 2. *An judicium de notabilitate deformitatis ſpectet unicè ad Epiſcopos, ut non ſufficiat judicium Confeſſarii, vel Prælati Regularis.* 404
Dub. 3. *Si quis ob vitium corporis ſit inhabilis ad ſolas functiones Sacerdotales, ſit prohibendus à dignitatibus vel ſuſceptione aliorum Ordinum.* 405

Dub.

Digitized by Google

Dub. 4. *Quid ſi vitium ſuperveniat poſt Ordines ſuſceptos, an talis ſit ad dignitates promovibilis.* 406
Dub. 5. *An & quomodò Papa vel Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitatibus provenientibus ex vitio corporis.* 410
Dub. 6. *An vel quomodò diſpenſent Superiores Regulares.* 420
Petes. *An Regulares exempti poſſint ſe ſubjicere Epiſcopo ut ab illo diſpenſentur.* 429
§. XIV. De Mutilatis à ſe vel ab alio. 432
Dub. 1. *An ſit irregularis, qui abſciſſionem membri occulti paſſus eſt ab aliis invitus, ſed tamen ob ſuam culpam.* 434
Dub. 2. *Quid ſi delictum, ob quod à Judice quis mutilatur, maneat occultum.* 435
Dub. 3. *Quid ſi talis caſu mutiletur.* 435
Dub. 4. *Quis cum mutilato poſſit diſpenſare.* 436
Dub. 5. *An ad hoc, ut mutilatio inferat irregularitatem ſufficiat ſola debilitatio.* 437
§. XV. De Dæmoniacis & maleficiatis. 437
Dub. 1. *Quid ſentiendum de iis, qui non ſunt energumeni, tales tamen ſe ſimulant.* 438
Dub. 2. *Quid de Maleficiatis.* 439
§. XVI. De Infirmis. 439
§. XVII. De Maniacis. 441
§. XVIII. De Androgymis. 442
§. XIX. De Simoniacis, an ſint eligibiles. 443
Dub. 1. *An ut Simoniacus incurrat ineligibilitatem, neceſſe ſit intervenire ſententiam Judicis.* 443
Dub. 2. *Quis ſuper inhabilitate Simoniaci diſpenſet.* 445

Dub. 3. *An Prælati Regulares poſſint diſpenſare ? & a pœnis Simoniæ abſolvere.* 452

Petes. *An, qui Simoniacè obtinuit beneficium vel dignitatem poſſit abſolvi, dum dilatâ reſignatione procurat diſpenſationem, an verò cogendus ſit ſtatim reſignare.* 454

§. XX. De Schiſmaticis. 455

§. XXI. De Apoſtatis. 457

Dub. *Quando Regularis cenſeatur Apoſtata à Religione.* 459

§. XXII. De Aleatoribus qualiter ſint eligibiles. 461

§. XXIII. De Scientia Eligendi. 463

Dub. *An Theologus præferendus ſit Juriſperito.* 464

Q. XI. *Quas conditiones debeat habere eligenda in Abbatiſſam.* 465

§. I. De ætate & profeſſione eligendarum. 465

Dub. 1. *An requiſiti anni 40. Debeant eſſe completi.* 466

Dub. 2. *An profeſſio expreſſa, & ætas præſcripta ſint de ſubſtantia electionis.* 467

Dub. 3. *Si in aliquo Monaſterio eſſent Moniales dignæ in gradu poſitivo, quæ habent annos 40. ætatis, & 8. Profeſſionis; adſint autem aliæ, quæ ſint magis dignæ, ſed ætatem necdum habent completam, an prætermiſſis prioribus poſſit eligi una ex iſtis.* 467

Dub. 4. *Si duæ ad Prælaturam idoneæ concurrant, altera habens annos ætatis 40. ſed nondum 8. Profeſſionis, altera habens 8. Profeſſionis, ſed nondum 40. ætatis, utra ſit præferenda.* 467

Dub. 5. *An ſi non poſſit haberi una habens annos*

Digitized by Google

40. *ætatis.* & *8. Profeſſionis , debeat aſſumi Se-
nioriſſa ſubſequens.* 468
Dub. 6. *Quis ſuper ætate eligendæ diſpenſet.* 468
§. II. De illegitima, an ſit eligibilis. 469
§. III. De vidua vel corrupta, an poſſit in Ab-
batiſſam eligi. 471
Q. XII. *An Regulares tranſeuntes de una Reli-
gione ad aliam poſſint ad Prælaturas eligi.* 472
Q. XIII. *An* & *quomodò Regulares promoti ad
Epiſcopatum, illo depoſito redeuntes ad Religionem
poſſint eligi ad Prælaturas Religionis.* 474
Q. XIV. *An* & *quomodò poſſint eligi, qui directè vel
indirectè ſive pro ſe, ſive pro aliis procurant ſuffra-
gia ad officia aut Prælaturas Ordinis.* 475
Q. XV. *An poſſint ſecundò eligi, qui in pœnam fue-
runt depoſiti à Prælatura priùs poſſeſſa.* 476
Q. XVI. *An ſemel electus, ſi ejus electio caſſetur, poſſit
ſecundò eligi ad regimen ejuſdem vel alterius
Eccleſiæ.* 476
Q. XVII. *Si electus tempore electionis laboraverit
defectu aliquo ſubſtantiali faciente electionem ir-
ritam, ſed poſteà tollat illum defectum,* & *acquirat
qualitates debitas, an electio priùs facta ſubſiſtat
vel convaleſcat.* 478
Q. XVIII. *An Electus teneatur conſentire electioni.*
479
Dub. 1. *An Electus poſſit renunciare , quando
conſenſum ex parte ſua præſtitit, ſed electio nondum
fuit confirmata.* 480
Dub. 2. *Ad quem devolvatur jus providendi Ec-
cleſiæ, ſi Electus renunciet.* 480
Dub. 3. *An ex tunc Electores habeant de novo*

tempus integrum præfixum ad electiones faciendas. 480

Dub. 4. *An Electus ad dignitatem, ſi ſe dignum judicet peccet electioni renunciando.* 481

Q. XIX. *Intra quod tempus debeat electus conſentire.* 481

Dub. 1. *An ſufficiat electum conſentire conditionatè.* 482

Dub. 2. *An electus poſſit conſenſum præſtare ante communem electionem.* 483

Dub. 3. *An ſtatim cenſendus ſit renunciâſſe, qui dicit ſe nolle conſentire.* 483

Dub. 4. *An, qui ſemel diſſenſit poſſit voluntatem mutare & electionem acceptare.* 484

Dub. 5. *Quid ſi electus ſine Superioris licentia conſentire non valeat.* 485

Q. XX. *An validè & licitè eligatur, qui non eſt de gremio Capituli.* 486

SECTIO QUARTA.

De Confirmatione Electionis. 488

Q. I. *Quid ſit Confirmatio.* 488

Q. II. *Quando Confirmatio Electionis ſit petenda.* 488

Dub. 1. *An trimeſtre pro confirmatione petenda conceſſum poſſit abbreviari.* 492

Dub. 2. *An Confirmatio poſſit concedi, etſi non petatur.* 492

Dub. 3. *Intra quod tempus Confirmatio ſit danda.* 493

Q. III. *An electus poſſit invitus confirmari.* 493

Q. IV. *An & quale jus adminiſtrandi habeat electus ante confirmationem.* 494

Dub.

Digitized by Google

Dub. 1. *An dicta procedant etiam de conſuetudine immemoriali.* 499

Dub. 2. *An ſufficiat ad aggrediendam adminiſtrationem, quòd electus confirmationem petierit, licet actu non obtinuerit.* 500

Dub. 3. *An etiam Poſtulati cadant jure ſuo vel quaſi jure, ſi ſe ingerant adminiſtrationi, ante admiſſionem Poſtulationis.* 500

Dub. 4. *Quæ ſint pœnæ Electi, qui ante confirmationem adminiſtrationi ſe ingerit.* 501

Dub. 5. *Quinam cenſeantur in concordia electi, ut illis cenſeatur conceſſa adminiſtratio ante confirmationem.* 502

Dub. 6. *An hæc conceſſio adminiſtrationis adhuc vigeat.* 502

Dub. 7. *An acta ab electo ante confirmationem ſint ita prohibita, ut etiam ſint nulla.* 503

Dub. 8. *Quinam juxta caſ. 6. cenſeantur valdè remoti ab Urbe.* 503

Dub. 9. *An conceſſio habeat locum in Poſtulatis, vel aliis Prælatis Papæ non ſubjectis immediatè.* 504

Dub. 10. *An geſta per eum, qui in vim hujus conceſſionis adminiſtravit, maneant rata, ſi poſteà ob defectum noviter repertum electio reſcindatur.* 505

Dub. 11. *An legitimè electus ante Confirmationem poſſit accipere poſſeſſionem ſuæ dignitatis.* 505

Q. V. *Quem effectum tribuat Confirmatio impenſa electioni validæ vel invalidæ.* 507

Q. VI. *A quo Confirmatio ſit petenda.* 510

Dub. 1. *A quo Regulares Abbates debeant petere confirmationem.* 512

Dub. 2. *Cui competat Jus Electionis Abbatiſſarum & Prioriſſarum confirmandi.* 513

Q. VII. *Si Electus legitimè à Confirmatore appellarit, eo quòd noluerit ipſum confirmare, ac pendente appellatione poſſit ab eodem confirmari.* 514

Q. VIII. *Quomodò confirmatio ſit impendenda.* 515

Q. IX. *Quænam requirantur præviè vel concomitanter ad Confirmationem ritè impendendam.* 516

Dub. 1. *Quomodò inquiſitio in electum ſit inſtituenda.* 517

Dub. 2. *An hæc inquiſitio ſit facienda, etſi necdum aliquid fuerit objectum contra perſonam electi, vel formam electionis.* 518

Dub. 3. *Quomodò Confirmator hanc inquiſitionem debeat inſtituere, an generaliter, an ſpecialiter, an judicialiter an extra judicialiter.* 518

Dub. 4. *An Electus ſit præviè citandus, dum Confirmator procedit ad Electionem caſſandam.* 521

Q. X. *Quis poſſit confirmari.* 524

Q. XI. *An Confirmator poſſit electum rejicere ex defectu qui ſibi extra judicialiter innotuit.* 528

Q. XII. *Si Confirmatòr electionem digni caſſet, & novam de perſona alterius electionem faciat, eique poſſeſſionem tradat: at primò electus appellet, atque pro ſe ſententiam obtineat, ſuam electionem malè eſſe caſſatam, uter ſit præferendus.* 531

Q. XIII. *An electio facta per inſpirationem vel quaſi indigeat confirmatione.* 534

Q. XIV. *An* Poſtulatus *opus habeat confirmatione.* 535

Q. XV. *An promotus per Nominationem vel Præſentationem debeat ſpecialiter confirmari.* 535

Q. XVI.

Q. XVI. *An irritatâ confirmatione eo ipſo cenſeatur irritatus actus confirmatus.* 535

Q. XVII. *An Elector contemptus ſit audiendus, ſi poſt Confirmationem electi cauſam ſuam proponat.* 536

Q. XVIII. *Si ſuperior alteri committat examen & Confirmationem electi, is autem confirmet indignum an Principalis teneatur ex culpa Commiſſarii.* 536

Q. XIX. *Quid faciendum Abbatibus Regularibus, poſtquàm Confirmationem vel à Papa vel à Generali Ordinis, vel à Patre Abbate, vel ab alio habente poteſtatem confirmandi obtinuerunt.* 537

Q. XX. *Si legitimè electus committat Simoniam in obtinenda Confirmatione, an per hoc præcedens electio irritetur.* 538

Q. XXI. *An Electo debeatur confirmatio ex juſtitia.* 539

Q. XXII. *An & quomodo ad confirmationem requiratur deſuper confectas eſſe literas authenticas.* 540

Q. XXIII. *Quouſque ſe extendat poteſtas adminiſtrandi, quam Epiſcopi vel Abbates acquirunt per confirmationem ante conſecrationem vel benedictionem.* 543

Q. XXIV. *Quis Confirmationem teneatur petere, an Electus, an Eligentes.* 547

Q. XXV. *An ſuperior extra territorium ſuum exiſtens poſſit electionem confirmare.* 549

Q. XXVI. *An Confirmator poſſit confirmationem revocare, & electionem, quam ipſe confirmavit, caſſare.* 550

Digitized by Google

Q. XXVII. *An & quomodò à Confirmatione poſſit appellari.* 552

Dub. 1. *An ſit audiendus, qui vult excipere contra electionem confirmatam.* 554

Dub. 2. *Quinam à Confirmatore, dum vel confirmationem indebite confert, vel electionem caſſat, poſſint appellare.* 555

Dub. 3. *An Electores à caſſatione electionis appellare valeant, quando is, qui electus eſt, non habet jus ad confirmationem.* 556

Dub. 4. *An Electores poſſint à Caſſatione Electionis appellare & cauſam proſequi, ſi electus non velit ſimul agere.* 557

Dub. 5. *An ab Electionis con- vel infirmatione liceat immediatè ad Prælatum mediatum appellare.* 557

PARS SECUNDA.

De Poſtulatione Prælatorum. 561

Q. I. *Quid ſit Poſtulatio.* 561

Dub. 1. *Quotuplex ſit Poſtulatio.* 566

Dub. 2. *Quotupliciter poſtulatio minùs ſolennis fieri poſſit.* 568

Q. II. *Quænam ex Jure communi in poſtulationibus ſint pœnæ, ſi poſtulatus ſit indignus.* 571

Q. III. *In quo Poſtulatio diſtinguatur ab Electione.* 572

Q. IV. *In quo Poſtulatio differat à Nominatione.* 574

Q. V. *An & quomodò Poſtulantes poſſint variare.* 574

Q. VI. *An eo ipſo, quod detur alicui poteſtas eligendi, ſit etiam commiſſa poteſtas poſtulandi.* 576

Q. VII. *An valeat Poſtulatio facta contemptis abſentibus habentibus jus eligendi.* 577

Q. VIII.

Q. VIII. *Quid Juris, ſi ante admiſſam à Superiore poſtulationem recipiatur poſtulatus.* 577

Q. IX. *Quem effectum tribuat breve eligibilitatis. aut quid conferat diſpenſatio, quâ per Sedem Apoſtol. quandoque conceditur, ut ad alterum Epiſcopatum tranſire liceat priore retento.* 578

Q. X. *An, ſi major pars delinquat poſtulando indignum, & minor pars nec conſentiat, nec expreſſe contradicat, ſed ſolùm taceat, an inquam minor pars poſſit puniri cum majori.* 578

Q. XI. *An poſſit præſcriptione acquiri jus vocis activa in poſtulatione.* 579

Q. XII. *An, qui præſcribit jus eligendi, etiam præſcribat jus poſtulandi.* 579

Petes. *Quænam requirantur ad Jus poſtulandi vel eligendi præſcribendum.* 581

Q. XIII. *An Cardinalis in Epiſcopum promovendus, debeat poſtulari, an eligi.* 581

Q. XIV. *An Regulares aſſumendi in Epiſcopos debeant poſtulari, an eligi.* 585

Dub. 1. *An Superior poſſit cogi ad licentiam dandam, ſi eam indebitè vel culpabiliter neget.* 586

Dub 2. *Quid faciendum, quando Abbas vult dare licentiam, ſed Conventus reclamat.* 487

Dub. 3. *Cujus Superioris conſenſus requiratur.* 587

Dub. 4. *An requiratur Superioris licentia ſi Papa ſcienter alicui Regulari Epiſcopatum conferat.* 587

Dub. 5. *An nomine dignitatis Epiſcopalis, ad quam Religioſus poteſt promoveri, veniant etiam aliæ Prælaturæ habentes propriè curam animarum.* 588

Dub. 6. *Quot vota habere debeat Regularis, ut obtinea*

obtineat Epiſcopatum vel aliud beneficium ſæculare, cujus proviſio à pluribus ſuffragatoribus pendet, v.g. ſi fiat per electionem, poſtulationem, vel præſentationem plurium Patronorum. 589

Dub. 7. *An Religioſus abſque licentia ſui Superioris poſſit ſaltem validè conſentire electioni vel poſtulationi de ſe ad aliquam Prælaturam extra ſuum Monaſterium vel Eccleſiam.* 590

Dub. 8. *An valeat licentia à Superiore conceſſa ſuo Religioſo ſubdito, ut poſſit conſentire electioni, ſi quam de ipſo fieri in futurum contigerit.* 590

Dub. 9. *An Religioſus ad quaſvis Prælaturas intra-vel extra Ordinem ſuum poſſit poſtulari.* 591

Q. XV. *An Epiſcopi in partibus ſint in veros Epiſcopos eligendi, an poſtulandi.* 592

Q. XVI. *An Abbates, Præpoſiti, Decani tam ſæculares, quàm Regulares ſint eligendi, an poſtulandi in Epiſcopos.* 593

Q. XVII. *An Epiſcopus ſtatim à die electionis fiat ineligibilis pro alia Eccleſia, ita ut ex tunc debeat poſtulari.* 593

Dub. *An Epiſcopus, poſtquàm ſuo Epiſcopatui reſignavit, ut promoveatur ad aliam Eccleſiam, debeat poſtulari, an verò eligi.* 594

Q. XVIII. *An Clericus ſæcularis poſſit poſtulari in Abbatem Regularium.* 594

Q. XIX. *An poſtulatio indigni ſit valida.* 596

Q. XX. *An ſi certò eligibilis poſtuletur, actus ſit nullus.* 597

Q. XXI. *An forma præſcripta* cap. Quia propter. 42. de Elect. *debeat etiam obſervari in poſtulationibus.* 599

Dub.

Digitized by Google

Dub. *Quænam ſpecialiter ſint in poſtulationibus neceſſariò ſervanda.* 600
Q. XXII. *Quid ſi Superior legitimè poſtulatum repellat.* 600
Q. XXIII. *Apud quem Superiorem debeat fieri poſtulatio.* 601
Q. XXIV. *Quando proſequentes vel impugnantes poſtulationem aut electionem poſſint expenſas repetere.* 602
Q. XXV. *An Capitularis invitus poſſit cogi ad poſtulandum.* 603
Q. XXVI. *An liberum ſit Capitularibus poſtulare vel eligere.* 604
Q. XXVII. *Quo ſenſu ſit vera illa parœmia: quòd per poſtulationem deveniatur ad electionem.* 605
Q. XXVIII. *Quot vota poſtulatus habere debeat, ut poſtulatio ſit valida.* 605
Q. XXIX. *An invalidè electus ob defectum, quo laborabat, poſſis dein poſtulari.* 613
Q. XXX. *Quis pro admiſſione poſtulationis teneatur vel poſſit laborare? An poſtulatus an poſtulantes.* 613

PARS TERTIA.

De Coadjutoriis. 614

Q. I. *Quid & Quotuplex ſit Coadjutoria.* 615
Q. II. *Quæ Coadjutoriæ ſint Juri conformes? vel, dignitatibus locum habeant.* 616
Q. III. *Quis Coadjutorem poſſit dare vel aſſignare.* 620
Q. IV. *Quænam præviè requirantur, & ex quibus cauſis Coadjutoriæ concedantur.* 624

Q. V.

Digitized by Google

Q. V. *An Coadjutor cum futura ſucceſſione eligi, an poſtulari debeat.* 631

Q. VI. *Quot vota requirantur, ut poſſit inſtitui Electio Coadjutoris.* 636

Q. VII. *Quot vota debeant concurrere, ut quis dicatur electus Coadjutor.* 637

Q. VIII. *Quænam qualitates in Coadjutore requirantur.* 638

Q. IX. *Quæ ſit Coadjutoris obligatio, vel officium, jura, poteſtas, ac prærogativa.* 640

FINIS.

Erra-

Digitized by Google

Errata graviora correcta.

Quia Verbum corrigendum in contextu habetur, hinc modus, quo correctio facienda eſt, hic ſolùm exprimitur, Numerus primus paginam, ſecundus lineam deſignat.

1. 16. S. Leo, 3. 13. part. 2. 17. 1. induci. 22. 12. Quis. 25. 22. adde cogi. 32. 22. Vacationem Eccleſiæ & diem Electioni. 51. 15. loco *ſolent*. Sedent. 53. 20. Prælatorum. 57. 4. ignarus. 66. 31 irritans, loco irritum. 78. 31. nominatum. 84 20, loco *linguam*, ſingulari. 85. 3. Electo. 105. 18. dele, qui. ibi 21. loco *&*, vel 108. 2, deberent. 118. 5. eligerent 120. 9. eligendi. 130. 29, lædat. 132. 26. Compromiſſariorum ibi. 31. loco *tres*, vos. 133. 1. elegiſtis. ibi. 6. loco *votis*. vobis. 134. 6. dele *in* 136. 15. dele *res*. ibi. 31. Vi hujus ſententiæ is qui, 141. 6. loco *partes* praxes. 147. 26. affectum. 171. 13. inſumant. 187. 15. loco *quia*, qui. 198. 20. clauſuræ. 201. 17. confirmatio. 203. 15. actuum. 205. 11. dele. *Nam*, 206. 30. caſſatur. 212. 27 loco *irrito*. invito. 213. 1. loco *q*. 6. q. 10. 224. 24. eligendi. 227. 3. loco *verò* veræ. 234. 5. electione. ibi. lin. 12. poſt ſi tamen dele, lineas duplicatas. 237. 15. poſſeſſione. 247. 13. loco *aliis* ab iis. 248 11. patitur. 249. lineam decimam ſextam connecte cum ſequenti. ibi. 21. loco *unam* urnam. 253. 9. dele. *Ut allegatur infra de poſtulatione, q. 17.* 254. 23. profeſſus. 256. 8. injuriis. ibi. 11. convenerant 259. 2. functi. 261. 20. Eſt iſtud, 272. 5. debeant. 278. 9. ideoque. 280. 2. loco *minori*, majori. 282. 20. *Prob.* Mi. 283. 26. juvari. 288. 6. loco *bimeſtre* trimeſtre. 289. 9. *de Eligendis*, *Sect*. 3. 290. 10. loco *quaſi poſſeſſionem* quaſi proprietatem. 292. 27 Sed, Electori. 297. 14. Inſere. Dub. 6. *An electio de perſona indigna ſit ipſo jure nulla, an ſolùm annullanda?* 298. 20. dele. *non*. 299. 31. dele. & 9. 306. 5. 1. Si digniori. 308. 20. *poſſum*, ſed & *teneor*. 314. 22. quot ſufficiunt. ibi. 26. conſtat, quòd ad. 316. 31. læſio 388. 10 quia ubi non eſt. ibi, 19. Jus ſtrictum in vel ad dignitatem, tunc enim. 321. 17. poteſt quandoque 322. 26. conſiſtat. 327. 5. aſt potiùs. 329. 8. Concilium. 335. 24. dele. *non* 337. 5. *in ordine ad forum*. 339. 29. Quâ 341. 9. obtento. 343. 23. redun-

Digitized by Google

redundet, 346. 3. dele. *Ubi*, 348. 29. poſt. *diſceſſiſſe*. adde, atqui poſt manifeſtam pœnitentiam non poſſunt probari eſſe hæretici actu, vel ut Hæretici deceſſiſſe. 349. 13. Videtur ſufficere reincorporatio valida coram DEO, etſi ut talis non ſit declarata coram hominibus. 356. 2. condemnare. ibi. 11. ex inceſtu. 360. 25, *Verùm*. dele. 362. 4. Idem. 370. 32, nullam. ibi. 21. A Legato. 372. 30. Præteritis. 376. 21. Prælaturam retinere. 378. 3. Hodiè 379. 24. Filius illegitimus. 380. 14. non acquiritur, 389. 32. concedendo, ut irregularitatem. 390. 3. Inſpecto. 395. 11. *ſit* ſolùm. 398. 11. Ubi de promovendo. 413. 13. reſtringitur. 418. 9. Epiſcopo, non ut puro delegato videtur eſſe conceſſa, ſed ex privilegio. 419. 15. & quidem ſive diſpenſans ſolùm, ſive diſpenſandus ſolùm, ſive uterque. 422. 10. Chaſſaing. 427. 17. meritò 429. 14. per quas. 446. 28. commiſſam. 456. 32. quod ſchiſmatici. 457. 8. triplicem vel quadruplicem. 473. 5. promoveri. 477. 7. ſine culpa. 483. 14. at electione. 484. 16. q. 19. 501. 16. ſub nomine. 506. 13. dele. *ante confirmationem*. 507. 26. electioni validæ. 529. 20. q. 9. 550. 19. licet eam ibi. 29. Idem dic, ſi 556. 16. loco *nec*, non. 570. 9. loco *ea* ex. 578. 6. loco *more* priore. 584 loco S. pone P. 585. 3. non ideò debent. 602. 14. dele. *Et ſuccumbunt, aut alias Poſtulationem*. 605. 12. Quot. 606. 17. poſt admitti, adde, à Papa Poſtulatio facta à minori quàm tertia parte, ergo a contrario, facta a majori parte Capituli poteſt & ſolet admitti. Nam argumentum &c. 607. 21. loco 21. pone 32. 608. 20. duas partes.

Cæteros Errores benevolus Lector excuſabit & emendabit.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google